»Quod autem scientia de anima sit nobilior priori modo, patet, quoniam anima non solum supermundana, sed etiam mundana, scilicet humana, inter omnia viventia secundum naturam est nobilissima, omnibus enim corporibus superior est animae substantia per 20[5]). "Res" enim, inquit Seneca 106 epistula[6]), "magna" et honorosa "est humanus animus", cuius terminus Deus est, sicut dicit idem in 104 epistula[7]). Animatum etiam et vivens inquantum tale est nobilius non animato et non vivente[8]). Quare, cum anima sit nobilitatis talis, scientia etiam de ea erit nobi-

1) Arist., Metaph. VI 1, 1026a21–22
2) Averr., De an. I comm. 1; Crawford 4,31–35
3) Arist., De an. I 1, 402a1–2
4) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 212vb
5) Procl., Elem. theol. 20; Dodds 22,1; Boese 13,1
6) Sen., Epist. 102,n.21; Reynolds 430,3–5
7) Sen., Epist. 104,n.23–24; Reynolds 439,25–440,11
8) cf. Arist., De gen. animal. II 1, 731b30–31

8 anima *om. V* 22 quoniam *coni.*: quomodo *codd.* 26 idem: ibidem *V*

lior et honorabilior omni alia scientia tractante de corpore vel animalibus. Sane nobilitas huius scientiae ex parte firmitatis et certitudinis demonstrationis apparet, quoniam animae nihil se ipsa praesentius est, sicut dicit Augustinus X *De Trinitate* cap. 3[9]); et propter hoc se totam novit et non potest se nescire, sicut ostendit *Super Genesim* V libro cap. 6[10]). Igitur scientia de anima in his duobus modis, scilicet subiecti honorabilitate et demonstrationis firmitate, superat alias scientias post divinam.«[11])

»Utilitas etiam eius patet et quoad omnem aliam scientiam et praecipue quoad naturalem, cum anima sit "principium animalium", quorum cognitio est maxime de cognitione naturalium, sicut vult Aristoteles I *De anima*[12]) et Averroes ibidem[13]). Quod autem cognitio ipsius animae proficiat ad cognitionem veritatis omnium, ostendit Averroes super eundem locum[14]) generaliter et specialiter. Generaliter, quia affert "iuvamentum commune" ad acquirendum "confirmationem in principiis primis" propter hoc, quod "ex ea acquiritur cognitio causarum", hoc est "primarum propositionum"; et ob hoc dat certitudinem cognitionis, quia "cognitio alicuius per suam causam est magis firma quam cognitio sui esse tantum"[15]). Specialiter, quia affert utilitatem respectu scientiae divinae, naturalis et moralis. Divinae, quoniam secundum intentionem Aristotelis divinus suscipit ab eo formam sui subiecti, scilicet formas separatas seu abstractas, puta intelligentias, immo sicut ex cognitione rerum venit anima humana in cognitionem sui, ita ex cognitione sui venit in cognitionem Dei, sicut manifestat Tullius *De Tusculanis quaestionibus* libro V[16]). Utilitatem vero ipsius respectu naturalis scientiae ostendit, quoniam ipsa est pars ipsius nobilissima, et ideo non completur sine scientia de anima. Utilitatem autem eius respectu moralis ostendit per hoc, quod dat ei principia plura, utpote regendae communitatis. Suscipit etiam moralis scientia ab hac ultimum finem hominis in eo, quod est homo. Quare liquet utilitas scientiae de anima.«[17])

»De profunditate vero huius scientiae patet per Aristotelem II *De anima*[18]), cum dicit, quod omnino penitus difficile est accipere fidem de ipsa, scilicet anima, hoc est de substantia eius; nam, licet sit una via communis venandi quiditatem eius, tamen difficile est eam appropriare ipsi animae. Si vero sit via propria, sicut demonstratio secundum quosdam sive divisio secundum Platonem sive compositio

9) Aug., De Trin. X 3,n.5; Mountain–Glorie 317,11–13
10) cf. pot. Aug., De Gen. ad litt. VII 21; Zycha 218,1–14
11) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 212vb
12) Arist., De an. I 1, 402a6–7
13) Averr., De an. I comm. 2; Crawford 4,14–16
14) Averr., De an. I comm. 2; Crawford 4,18–5,37
15) Averr., De an. I comm. 2; Crawford 5,33–37
16) cf. pot. Cic., De nat. deor. II 61,n.153; Plasberg–Ax 112,9–19; cf. etiam II 12,n.33 sqq.; Plasberg–Ax 61,25 sqq.
17) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 212vb–213ra
18) cf. pot. Arist., De an. I 1, 402a12–22

41 quia *coni.*: quo *codd.* 46 quoniam *om. sed suppl. in marg. m. post. V* 48 anima humana: humana anima *O*

secundum Aristotelem, tunc est magis difficile illam applicare propter dubitationes et errores eius, ex quo oportet accipere scientiam substantiae animae[19]). Cuius ratio est, quia, etsi scientia de anima sit in se firma et certa, tamen, quia "ad vera conspicienda caligat animus noster", prout dicit Seneca epistula 73[20]), et ideo id, quod est valde manifestum in natura, se habet ad intellectum nostrum sicut lumen solis ad oculum vespertilionis secundum Aristotelem II *Metaphysicae*[21]), propter hoc scientia de anima est difficilis.«[22])

»Et tamen est maxime necessaria. Quod patet ex hoc, quia anima sui ignara irrationabilibus animabus est assimulata. Propter hoc dicit Avencebrol libro I cap. 2[23]), quod, cum id, quod magis necessarium est homini quaerere, sit scientia, de scientia magis est necessarium scire se ipsum. Nam perfecta sapientia est in cognitione sui et originis animae, unde sit et quae sit, quoniam ex hoc pervenitur ad beatitudinem, sicut dicit Macrobius libro I cap. 13[24]). "Neglegentia enim magna est nescire illud, quo tam profunde caelestia cogitamus, quo naturalia tam subtili indagatione investigamus et de ipso etiam creatore tam subtilissima scire desideramus"[25]).

Igitur scientia de anima non habet modicum locum inter ceteras scientias.«[26])

»Ex his etiam patet ordo istius tractatus, scilicet de anima, ad tractatum immediate praecedentem de intellectibus et ad ultimum tractatum istius libri, qui est de corporibus caelestibus, quoniam secundum gradum nobilitatis est medius post illum et ante illum. Anima enim ex uno respectu, inquantum spiritus, similis est intelligentiae abstractae, sicut dicit Avencebrol libro * cap. *[27]). Ex alio respectu unitur corpori existens nobilissima pars compositi. Propter hoc ordine convenienti tractatus de anima sequitur tractatum de intellectibus.«[28])

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod scientia de anima non est perfecte tradita in libro, B quem edidit Aristoteles, in quo non tractat de anima, nisi secundum quod est actus, non autem prout est substantia et imago divinae et intellectualis similitudinis. Et ideo auctor in hoc tractatu conatur colligere ea, quae dixerunt antiqui et specialiter Plato, cuius imitator est, de anima quoad omnem eius ambitum et continentiam, secundum quod respicit scientiam divinam. Ubi breviter recolligit ea, quae pertinent ad omnis animae, sive divinae sive intellectualis, non autem pure animalis – quae excluditur a praesenti consideratione directe et per se, cum pertineat

19) cf. Averr., De an. I comm. 5; Crawford 8,19–9,26
20) Sen., Epist. 71,n.24; Reynolds 215,6–7
21) Arist., Metaph. II 1, 993b9–11; transl. Michaelis Scoti: Darms 53,13–15
22) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 213ra
23) Avenc., Fons vitae I 2; Baeumker 3,30–4,9
24) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 9,n.1; Willis 40,2–6
25) Alch. Claraev., De spir. et an. praef.; PL 40, 779–780
26) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 213ra
27) Avenc., Fons vitae IV 12; Baeumker 238,7–8 et 13–16
28) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 15; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 213ra–b

63 id quod: quod id *V* 68 libro I: libro II *O* 80 spiritus *add.* est *V* 91 animalis: animealis *O*

ad scientiam naturalem – substantiam, virtutem sive potentiam et operationem et eius efficaciam et omnium proprietatum ista tria consequentium circumstantiam, ut inferius apparebit.

Et hoc de secundo.

C Verum in primis, antequam accedamus ad ea, quae respiciunt tam substantiam animae quam virtutem et operationem eius, inquiramus de ipsius existentia, an sit, propter minus provectos, qui solis sensibilibus dediti nihil praeter haec sensibilia credunt esse[29]).

»Et ponantur primo rationes generales de omni anima, secundo speciales de existentia animarum, de quibus solis auctor videtur intendere in praesenti.

Rationes generales sumuntur per naturam motus et actionis.

Ut autem sciatur, quid per nomen animae intelligatur, notandum, quod hoc loco secundum hanc generalitatem anima est principium motus et actionis in corporibus existens aliquid in se praeter corpora. Quod autem necessarium sit hanc esse, apparet, tum quia in corporibus sunt actiones multae, quarum corpus vel corporeitas non est principium«[30]), tum quia impossibile est esse actionem per se, nisi sit agens per se – corpus autem non est agens per se, cum solius incorporei sit agere per se[31]) –, et super istud medium fundatur intentio »Avencebrolis libro III cap. 43 et sequentibus[32]), tum etiam quia omne movens habet aliquid de actualitate, quod non habet mobile[33]). Cum ergo multae actiones sint in corporibus, quarum principium non est corpus, quod est quiescens et non agens per se, et corpus in eo, quod huiusmodi, nihil habeat actualitatis, necessarium est in corporibus praeter corpora aliquid esse, quod sit principium talium actionum. Et hoc dicimus esse animam ex supra dicta descriptione.«[34]) Et hoc sufficiat in generali.

De anima vero rationali, quam auctor vocat partialem, quod ipsa sit, palam est per sui corporis formationem et voluntariam motionem et intellectualem apprehensionem.

Primum apparet, tum quia nullum instrumentum est propter se, tum etiam quia nullum instrumentum servit sibi ipsi. Cum igitur totum corpus humanum sit organicum, unum autem organum ad multas operationes aptum est fabricatum, necesse est, quod habeat operatorem, cui naturaliter deserviat, qui eo uti habeat et per ipsum operationes exerceat, qui sit respectu corporis in ratione dominantis. Talem autem dominantem animam dicimus.

Secundum etiam apparet. Nam clarum est omni intelligenti naturalem motum esse humano corpori, qui est ad medium, ratione suae ponderositatis. Cum igitur

29) cf. Domin. Gundiss., De an. prol.; Mückle 31,3–6
30) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 16; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 213va
31) Procl., Elem. theol. 80; Dodds 74,27–28; Boese 42,1–2
32) Avenc., Fons vitae III 43 sqq.; Baeumker 175,24 sqq.
33) cf. Arist., Phys. VIII 5, 257b8–9
34) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 16; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 213va–b

101 generales *add.* de omni anima secundo speciales de existentia animarum *sed del. V* 102 de *suppl.: om. codd.* 108 actionem *om. V* 113 non est: est motus non *O*

nulli corpori sint duo motus naturales, manifestum est omnes alios motus, qui sunt secundum locum, esse innaturales corpori humano. Quare ab aliquo principio voluntario insunt ei, quod habet rationem imperantis.

Tertium etiam satis liquet. Omni enim intelligenti notum est scientiam esse in homine, quae principaliter fundatur in anima et animae intellectu. Igitur necesse est animam humanam esse, quae dicitur partialis.

Sane de anima totali, quod sit, apparet, tum quia omne mobile movens se ipsum est perfectum per motorem sibi coniunctum; caelum autem est huiusmodi, cuius motus est primus motuum et causa omnis motus. Igitur caelum movetur ex se, quare habet animam.

»Item, caelum vel movetur ab intrinseco, quod est actus eius, vel ab extrinseco, quod non est de natura eius«[35]).

»Si primo modo, ergo habet animam, quia, quod sic movetur hoc motu, qui est per se naturalis et primus, movetur ex se, ut ostendit Aristoteles VIII *Physicorum*[36]), ubi dicit Averroes[37]), quod caelum magis movetur ex se quam animal in hoc inferiori mundo. Quod autem movetur ex se, movetur a principio intrinseco, quod principium intrinsecum non potest esse forma naturalis corporalis, tum quia non esset subiecto distincta a suo mobili, quod per se requiritur in omni motu, ut probat Aristoteles in principio VII *Physicorum*[38]) et in VIII[39]), tum quia motus caeli non esset perpetuus per naturam, quia virtus motiva divideretur secundum divisionem corporis et esset finitae motionis, ut probat Aristoteles in VI[40]) et VIII *Physicorum*[41]). Item non potest hoc principium poni in tota substantia corporis caelestis, ut videlicet talis substantia moveatur propter naturalem inclinationem ad motum, ut lapis movetur secundum inclinationem suam deorsum. Talis enim motus, si non sit impedimentum, perficitur in instanti, ut dicit Aristoteles in IV *Physicorum*[42]), cuius ratio est, quia, quod sic movetur, non est nisi in potentia accidentali et non indiget nisi removente prohibens impedimentum. Sed nec movetur per aliquam partem sui corporalem, ut sic moveatur ex se sicut quoddam aliud animatum, tum quia tale movens non moveret tempore infinito, tum quia in tali motu est contrarietas moventis et moti per resistentiam, quare non esset motus caeli totaliter naturalis, tum etiam quia in omni tali motu necesse est partem moventem figi in

35) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 10; Palazzo 9,147–149
36) Arist., Phys. VIII 4, 254b14–17; cf. etiam supra, prop. 17 C; Sturlese 38,186–187
37) Averr., Phys. VIII comm. 27; Venetiis 1562, 365rF; cf. etiam supra, prop. 14 H; Sturlese 11,289–292; prop. 17 C; Sturlese 38,187–190
38) Arist., Phys. VII 1, 241b34
39) Arist., Phys. VIII 1, 251b1–4; VIII 4, 255a12–19
40) Arist., Phys. VI 4, 234b21–24 et 235a13–17
41) Arist., Phys. VIII 5, 257a33–34; VIII 10, 266b25 sqq.
42) Arist., Phys. IV 8, 215a24–b12

146 in *om. V*

immobilitate«[43]). »Igitur tale principium intrinsecum movens caelum necessarium est esse aliquam substantiam pertinentem essentialiter ad substantiam caeli«[44]), et talem dicimus animam caeli.

»Si vero sit secundo modo, scilicet quod caelum moveatur ab extrinseco ita, quod vel nihil influit mobili vel aliquid influit, si nihil influit, tunc talis motus erit violentus, et sic non erit per se nec ex se nec primus; si autem influit formam suam, sicut desideratum et amatum influit formam suam desideranti, ita tamen, quod manet secundum se extrinsecum, tunc oportet, quod id, quod movetur, sit perceptivum formae desiderabilis, et sic erit animatum. Ergo immediatum movens caelum erit anima, et desideratum erit movens per medium, et hoc desideratum est intelligentia«[45]).

Sic igitur patet animam esse et totalem et partialem.

Et hoc de tertio et primo principali.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de animabus in generali, secundo explicabo de eis in speciali, tertio ex praemissis enumerabo omnes vere animas comprehensas in seyra animeali.

D De primo sciendum, quod, ut in superioribus frequentius tactum est et deductum, omne, quod qualitercumque subsistit, aut est secundum causam principaliformiter aut secundum existentiam essentialiter aut secundum participationem exemplariter per 65[46]). Sed anima subsistit. Ergo est subsistens aliquo trium modorum.

Et sic consequenter habemus in intentione animealitatis triplicem animam, scilicet prime et principaliter existentem animam, imparticipabilem et amethectam, quae monarcha est omnium animarum et per consequens una sola. Omne enim, quod prime et principaliter est, secundum unumquemque ordinem unum est et non duo neque plura duobus per 22[47]). Haec etiam est primordialis unitas et causa, quae universo ordini animarum suam proprietatem, scilicet animealitatem, tradit, et quod est illa primo, hoc est hic secundum submissionem per 97[48]).

Omnis etiam primordialis unitas duplicem substituit numerum, hunc quidem per se perfectarum hypostaseon, hunc autem illustrationum in aliis hypostasim habentium per 64[49]). Igitur prime anima ut primordialis unitas substituit duplicem numerum animarum, scilicet per se perfectarum et illustrationum, quarum primae subsistunt in animealitate secundum existentiam sive essentialiter, primo et per se, illustrationes vero animarum nec subsistunt primo nec per se, sed per participationem et exemplariter, et ideo magis dicuntur idola animarum quam animae, et de istis quasi nulla mentio fit in decursu istius tractatus.

Et hoc de primo.

[43]) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 17 1–7; Sturlese 27,6–28,45
[44]) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 18 1; Sturlese 29,60
[45]) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 10; Palazzo 9,152–162
[46]) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
[47]) Procl., Elem. theol. 22; Dodds 26,1–2; Boese 15,1–2
[48]) Procl., Elem. theol. 97; Dodds 86,8–10; Boese 49,1–3
[49]) Procl., Elem. theol. 64; Dodds 60,20–22; Boese 34,1–3

160 violentus ... nec[2] *om. V* 161 amatum: animatum *V* 166 et[1] *om. V*

Verum quia prime anima, cum sit prime causa omnium animarum et sic exal- E
tata ab effectu per 75[50]), non connumeratur seyrae animeali, cum sit amethecta, in quam omnis seyra animealis sursum tendit sicut in principium et in causam[51]), et per consequens proprie loquendo non cadit in divisionem animarum, quae hic exprimitur. Licet enim prime anima sit divina anima, cum sit deus per essentiam utpote per se perfecta unitas per 114[52]), et anima prime praehabens principaliformiter omnem effectum sub sua intentione contentum et sic solus numerus per se perfectarum animarum, utpote quibus primo et per se animealitas competit, hic dividitur, cum dicitur, quod "omnis anima aut est divina" etc.

Ex qua divisione tres animarum maneries colliguntur, scilicet divinarum et intellectualium, quae semper actu intellectu participant et quae transmutant ab intellectu ad non intellectum, quarum primae, scilicet divinae, sunt supremae, intellectuales mediae, sed transmutationis susceptivae sunt infimae.

Primae sunt animae caelorum, quae dicuntur et sunt divinae non per essentiam, sed per participationem, qua videlicet suis divinis intellectibus sunt participes divinarum unitatum participatarum per 129[53]), et per consequens habent in inferiora influentiam generalem. Mediae vero sunt secundum intentionem auctoris animae humanae, prout sunt in ente. Hae enim sunt intellectuales sicut semper suspensae ad proprios intellectus.

Postremae vero sunt animae humanae, prout sunt in generatione, et hae transmutantur secundum actualem intelligentiam de intellectu ad non intellectum sive de scientia ad ignorantiam. Cum enim intellectus possibilis sit homini ratio intelligendi et non stet semper in actuali intelligentia, sed aliquando sit in potentia ad intelligere et ad formam, quae est principium intelligendi, puta speciem intelligibilem – ordo autem huiusmodi potentiae ad talem actum est per se, tum secundum propriam rationem talis intellectus, tum etiam secundum propriam rationem talis actus –, hinc est, quod a tali ordine potentiae ad actum numquam denudatur talis intellectus sicut nec habitudo materiae ad formam, cum intellectus possibilis sit quasi novum genus materiae recipiens omnes formas intelligibiles sicut materia individuales. Et per consequens talis intellectus non semper stat sub uno actu sicut nec materia, factus etiam in actu per formam seu speciem intelligibilem sicut forma nobis ex parte sui mediante specie intelligibili, ex parte autem nostri, ut sic loquamur, mediantibus speciebus imaginabilibus, ut dicit Averroes super III *De anima*[54]), aliter enim non esset principium intelligendi, quia secundum Aristote-

[50]) Procl., Elem. theol. 75; Dodds 70,28–29; Boese 40,1
[51]) cf. Procl., Elem. theol. 100; Dodds 90,1–2; Boese 51,1–2
[52]) Procl., Elem. theol. 114; Dodds 100,16; Boese 57,1–2
[53]) Procl., Elem. theol. 129; Dodds 114,13–14; Boese 65,1–3
[54]) Averr., De an. III comm. 36; Crawford 500,592–593

195 prime: proprie *V* 202 primae scilicet *om. sed suppl. in marg. m. post. V* 213 sit: fit *V*
215 tum *add.* quia *codd.* 216 tum ... (217) actus *om. O*

lem[55]) non est intelligere sine phantasmate. Et secundum hoc talis intellectus in actu est forma in alio et ex hoc est principium agendi in aliud ut aliud, quod est primum obiectum eius, puta quiditas.

Cum igitur nec intellectus semper stet sub uno actu, sed vicissitudinetur in actibus, nec semper sit sic unitus nobis, ut sit nobis ratio intelligendi, et obiectum non semper sit praesens secundum actum, apparet evidenter animam, ut est in generatione, scilicet in statu istius corruptionis, non semper intelligere, sed transmutari de intellectu ad ignorantiam.

Et hoc de secundo.

F Ex praemissis evidenter colligitur, quod sunt tantum tria genera sive maneries animarum, quae totum ambitum intentionis animealis, prout subsistit secundum existentiam, exhaurit, ita videlicet, quod omnis talis anima aut est divina aut transmutans ab intellectu ad non intellectum aut intermedia harum, semper quidem intelligens, inferior autem divinis animabus. Licet enim omnes sint vere animae secundum existentiam, tamen participantes divinos intellectus sunt quidem animae secundum se, sed divinae per participationem; intellectuales vero animae etiam sunt animae secundum se, sed intellectuales participativae sicut participantes intellectus solum intellectuales; tertiae autem sunt rationales potius quam intellectuales, licet aliquando participent intellectu.

Posset tamen et aliter dici, quod, quia inter motores caelorum, quos animas dicimus, est non modica differentia sicut et inter sua propria mobilia, cum tam motores inter se quam etiam mobilia differant quasi specifice propter habitudinem superpositionis et suppositionis in essentialibus perfectionibus, per quas etiam prius sunt entia simpliciter quam entia haec, licet determinentur ad individua, ideo in eis sunt gradus nobilitatis et supereminentiae secundum exigentiam talis habitudinis.

Sicut ergo mobile quanto est superius, tanto est eminentius, ut etiam luna sit quasi faex inter planetas[56]) ex eius inferioritate, ita etiam se habet proportionaliter inter motores. Superiores enim magis assimulantur intellectibus separatis per 147[57]), non iam intellectualibus solum, quibus immediate copulantur, sed etiam divinis, per quos diis exadiacent, et sic dicuntur et sunt tales motores divinae animae. Omnis enim ordinis prima formam habent eorum, quae ante ipsa per 112[58]). Postremi autem motores et multum distantes non assequuntur divinitatem per 110[59]), licet semper intelligant, sicut etiam eorum mobilia non sunt sic simplicis, uniformis et regularis motus sicut superiora.

[55]) Arist., De an. III 7, 431a16–17
[56]) cf. Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11,n.8; Willis 46,25–47,5
[57]) Procl., Elem. theol. 147; Dodds 128,32–33; Boese 73,1–2
[58]) Procl., Elem. theol. 112; Dodds 98,33–34; Boese 56,1
[59]) Procl., Elem. theol. 110; Dodds 98,4–5; Boese 55,3–5

241 sed *om. V* 246 quasi specifice: etiam specifice quasi *O*

Et sic animae caelorum constituuntur in duabus differentiis istius divisionis, quia quaedam earum sunt divinae, quaedam vero intellectuales solum et semper intelligentes. Animae vero corporum generabilium et corruptibilium ad aequalitatem caeli inter omnia complexionata magis accedentium, sive utantur eis solum sicut instrumentis – et hoc tantum, prout sunt in generatione secundum intentionem auctoris – sive etiam utantur eis ut subiectis propriis, non sunt semper intelligentes secundum actum. Licet enim habeant partem sui, scilicet intellectum agentem, semper in actu essentialis intellectionis stantem, tamen quantum ad proprium intelligere, quod eis competit secundum proprietatem suae naturae, transmutantur ab intellectu ad non intellectum, quia quandoque intelligunt, quandoque non, prout sunt in generatione, sicut quilibet experitur. Vel sic: transmutantur, quia aliquando sunt in ente, quando exutis corporibus corruptibilibus ascendunt a generatione in ens, et tunc semper intelligunt, quandoque descendunt ab ente secundum auctorem in generationem, et ibi non semper intelligunt, ut dictum est[60]). Inter primas autem animas, quas dixi divinas, et istas, quae sic transmutantur, mediae sunt animae, scilicet motrices orbium, post supremas, quae semper intelligunt, et sunt inferiores gradu nobilitatis divinis animabus et superiores humanis.

Quae autem istarum expositionum magis sit participans ad propositum, nondum mihi video esse clarum.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim divinus intellectus a divinis participatur animabus, intellectualis autem solum a neque divinis neque susceptivis transmutationis ab intelligentia ad non intelligentiam, sunt autem et quae hoc patiuntur quandoque quidem intelligentes, quandoque autem non, manifestum, quia tria genera sunt animarum. Et primae quidem, quae divinae, secundae autem non divinarum, quae semper intellectu participant, tertiae autem, quae quandoque quidem ad intellectum, quandoque autem ad contrarium transmutantur.

Probatio elementi talis est: Omne participans intellectu aut divino aut quandoque tantum intelligens aut participans solum intellectuali intellectu est aut divinum aut transmutans ab intellectu ad non intellectum aut intermedium horum, semper quidem intelligens, inferius autem divinis. Sed omnis anima est huiusmodi. Ergo omnis anima etc.

[60]) cf. supra, prop. 184 E

260 differentiis *om. sed suppl. m. post. V* 271 exutis *coni.*: exuntis *codd.* 284 hoc: hic *O* 285 primae: proxime *O* 286 non *om. O*

Istius rationis medium ponitur in littera, cum dicitur, quia, si est divinus intellectus, participatur a divinis animabus per 182[61]), sed solum intellectualis intellectus participatur a neque divinis animabus neque susceptivis vicissitudinalis transmutationis ab actu intellectionis ad non intelligentiam, sed ab intellectualibus animabus per praemissam[62]).

Verum et quaedam animae sunt, quae talem vicissitudinem sustinent quandoque quidem intelligentes, quandoque autem non. Quare manifestum est, quia tria sunt genera seu maneries animarum, quarum primae sunt divinae, secundae vero non divinae, sed intellectuales, quae semper participant intellectu, tertiae autem vicissitudinis susceptivae.

[61]) Procl., Elem. theol. 182; Dodds 160,4–5; Boese 89,1–2
[62]) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3

299 primae … divinae: divinae sunt primae *V*

PROPOSITIO 185
OMNES QUIDEM DIVINAE ANIMAE DII SUNT ANIMEALITER; OMNES AUTEM, QUAE INTELLECTUALI INTELLECTU PARTICIPANT, DEORUM CONTEMPLATRICES SUNT; OMNES AUTEM TRANSMUTATIONIS SUSCEPTIVAE DEORUM CONTEMPLATRICES QUANDOQUE

Postquam ostensum est tres esse maneries animarum, nunc auctor comparat eas ad invicem in respectu ad deos dicens: OMNES etc.

Ad istius elementi evidentiam tria declarabo secundum tres partes eius, quia primo dicam de animabus divinalibus, secundo de animabus intellectualibus et tertio de animabus rationalibus.

Circa primam partem duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa suppositum tria dicam, quia primo ostendam divinarum animarum anitatem, secundo earum quiditatem, tertio graduum nobilitatis earum diversitatem.

De primo sciendum, quod Aristoteles videtur negare existentiam divinarum A animarum secundum earum propriam rationem »in eo, quod vocat primam intelligentiam[1]) 'primum motorem', et illum dicit esse primam causam, cum dicit in II *Caeli et mundi*[2]): "Causa prima est, quae movet primum causatum". Nec videtur verum, quod quidam dicunt eum loqui de causa prima in genere causarum naturalium, quae sunt proportionatae suis mobilibus secundum virtutem[3]), et non de causa prima simpliciter, quia ea, quae idem Aristoteles attribuit primo motori in VIII *Physicorum*[4]) et XI *Metaphysicae*[5]) antiquae translationis, nulli conveniunt nisi causae, quae simpliciter est prima, et rationes, quas idem ibidem, scilicet in XI *Metaphysicae*[6]), ponit, nihil concludunt de intentione sua nisi supposito, quod primus motor sit simpliciter causa prima. Tunc enim oportet, quod ipse sit purus actus, quia aliter non esset prima essentia, sed haberet aliquid aliud ante se, quod educeret ipsum de potentia ad actum«[7]).

1) Averr., De subst. orb. 4; Venetiis 1562, 10vG
2) Arist., De cael. II 6, 288b2–4; transl. Gerardi: Opelt 138,82–83
3) cf. Alb., De cael. II 2 6; Hoßfeld 138,65–67
4) Arist., Phys. VIII 5–10, 256a4–267b26
5) Arist., Metaph. XII 6–7, 1071b3–1073a13
6) cf. Alb., Metaph. XI 2 3; Geyer 486,56–63
7) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 2; Palazzo 4,23–33

21 ea quae *suppl.*: *om. codd.* 22 antiquae ... (24) ponit *om. O* 26 aliud ante *om. O*

»Verum ista positio est impossibilis, quia ex illo primo motore et mobili constaret unum "primum movens se ipsum"[8]), quod esset "animal sempiternum et nobilissimum", quod ipse vocat "Deum" in XI praeallegato[9]), cuius locus secundum omnes priores philosophos esset caelum«[10]). »Cuius impossibilitas apparet, tum quia purus intellectus nullius corporis est actus[11]), multo minus prima causa, quae ab universitate totius causati sui simpliciter est exempta, cum sit causa prime omnium per 75[12]), tum quia omnis motor proportionatus est mobili, tum quia omne, quod sic movet, "est propter id, ad quod movet, ad minus sicut propter finem" operis – finis autem ultimus, qui et coincidit cum simpliciter prima causa, est omnino propter se ipsum[13]) –, tum etiam quia movens non est perfectum et sufficiens per se ipsum largiri bonitates suas, quia aliter motus eius esset superfluus«[14]). »Ex omnibus ergo istis patet, quod impossibile est primum motorem esse simpliciter causam primam. Unde et ipsemet Aristoteles ponit primam causam ante primam intelligentiam in libro *De principio universitatis*[15]) et in libro *De natura deorum*[16]) et in libro *De regimine dominorum*[17]), et sic consentit Platoni[18]) et sequacibus suis«[19]).

8) cf. Arist., Phys. VIII 5, 258a6–8; etiam Alb., Metaph. XI 2 12; Geyer 499,38–42; Phys. VIII 2 9; Hoßfeld 608,9–13

9) Arist., Metaph. XII 7, 1072b28–29; Geyer 498,88; transl. media: Vuillemin-Diem 214,21–22

10) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 2; Palazzo 4,38–45

11) cf. Lib. de caus. 19(20),n.155; Pattin 177,97–98; cf. Alb., Metaph. XI 2 12; Geyer 499,90–91

12) Procl., Elem. theol. 75; Dodds 70,28–29; Boese 40,1

13) cf. Alb., De cael. II 2 6; Hoßfeld 138,47–50

14) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 4; Palazzo 5,60–79

15) opus ab Alberto saepe adductum: cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 1 6; Fauser 13,70–71; II 1 1; Fauser 61,66–67; De int. et intell. I 1 2; Borgnet 479b; Summa theol. I 3 18 2; Siedler 88,7–13; II 1 4 2 5 1; Borgnet 97a; cf. etiam Ulric. de Arg., De summo bono II 5 2; Beccarisi 10,84; IV 1 8 3; Pieperhoff 46,58; Avic., Metaph. IX 2; Van Riet 463,68–71

16) Cic., De nat. deor. I 13,n.33; Plasberg–Ax 14,10–18; II 30,n.75; Plasberg–Ax 79,14–16; II 37,n.95; Plasberg–Ax 87,7–27; cf. etiam Ps.-Arist., De mundo 7, 401a12–401b30; transl. Nicholai: Lorimer–Minio-Paluello 48,6–49,20; Alb., Summa theol. I 3 14 1; Siedler 51,47–51; Ulric. de Arg., De summo bono II 2 2 2; de Libera 32,39–40; II 4 1 3; de Libera 119,72–73; IV 1 7 14; Pieperhoff 43,247–248; IV 1 8 3; Pieperhoff 45,52–46,57

17) cf. Ps.-Arist., Secret. secret. III 6; Steele 127,3–6; Ulric. de Arg., De summo bono II 2 2 2; de Libera 32,39; II 4 1 3; de Libera 119,72–73

18) Plat., Tim. 41a7; Waszink 35,9–10; etiam Alb., De caus. et proc. univ. I 1 3; Fauser 8,39–40; II 5 7; Fauser 175,22–23; Ulric. de Arg., De summo bono I 1 8; Mojsisch 21,8; II 2 2 2; de Libera 31,38–32,39; II 4 1 3; de Libera 119,72–74

19) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 5; Palazzo 6,80–85

36 finis: *dub. V*

»Item Ptolemaeus in suo *Almagesti*[20]) et specialiter Alpetragius videntur negare esse divinarum animarum, cum ponant caelos moveri a sola voluntate Dei. Dicit enim Alpetragius[21]) in *Scientia secretorum astronomiae*, quae sibi dicitur revelata[22]), omnes caelos moveri immediate divina virtute, et quod diversimode movetur, hoc est propter gradus distantiae a primo, quia omnis motoris, et per consequens primi motoris, virtus maior est in mobili immediate coniuncto quam mediato[23]), et ideo illud velocius movetur. Et hanc posuit causam, quare stellae videntur stantes vel retrogradae, et negavit esse epicyclos et excentricos et motum planetarum contra motum primi mobilis[24]). Sed hoc dictum omnino esse irrationabile patet per hoc, quod videmus in omnibus inferioribus omne mobile movens se ipsum esse perfectum per motorem sibi coniunctum[25]). Hoc enim manifestum est in omnibus animalibus. Quod ergo primum mobile, cuius motus est primus motuum et causa omnis motus[26]), non sit per aliquod movens sibi coniunctum perfectum, sicut potentia mobilis perficitur per actualem coniunctionem motoris cum mobili, omnino est inconveniens. Constat enim, ut iam supra dictum est[27]), quod prima causa nulli causato unitur ut perfectio eius, cum secundum auctorem *De causis*[28]) regat res, "praeter quod commisceatur eis" per 20 propositionem«[29]).

»Alii[30]) vero, qui etiam negant divinas animas esse, adhuc irrationabilius dicunt caelum non moveri ab intelligentia vel ab anima, sed a natura proprie dicta, sed quod ipsa dividitur contra animam et contra omnem substantiam, quae nullius corporis est actus. Contra istam enim opinionem concorditer etiam ipsi Peripatetici[31]) obiciunt, quod motus localis naturalis non est nisi ad unum et non ab aliquo ubi et in ipsum. Natura enim est forma corporis corporalis, quae tantum est ad unum, quo cum pervenerit, quiescit in illo et non movet ab ipso. Est etiam motus naturalis a generante[32]), et ideo nihil movetur naturaliter in loco suo, sed extra locum suum

20) Ptolem., Synt. mathem. I 1; Heiberg 5,13–15; Alb., De IV coaequ. III 16 1; Borgnet 438a
21) Alpetrag., De mot. cael. II 23; Carmody 77–78
22) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 54,89–90
23) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 55,5–8
24) cf. Alpetrag., De mot. cael. I–III; Carmody 71–80; VII 18; Carmody 90–91; VIII 1–3; Carmody 92
25) cf. Alb., Phys. VIII 2 3; Hoßfeld 597,50–51
26) cf. Alb., Phys. VIII 2 3; Hoßfeld 597,52–53
27) cf. supra, prop. 185 A
28) Lib. de caus. 19(20),n.155; Pattin 177,97–98
29) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 7; Palazzo 7,105–121
30) scil. Epicurei (Democritus, Leucippus, Xuthos); cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 52,75–53,1; Metaph. I 3 15; Geyer 45,16–46,85
31) cf. e. g. Algaz., Metaph. I 4 3; Mückle 105,28–106,5; Averr., De cael. I comm. 5; Carmody–Arnzen 13,39–42; II comm. 3; Carmody–Arnzen 274,21–25; II comm. 61; Carmody–Arnzen 391,37–42; Avic., Metaph. IX 2; Van Riet 447,52–448,79; IX 3; Van Riet 473,64–79
32) cf. Arist., Phys. VIII 4, 256a1; transl. vetus: Hoßfeld 593,69; Bossier–Brams 296,6

60 quod: quam *codd.* 61 adhuc: adeo *O* 65 non est *iter. O*

existens. Et etiam motus naturalis est solum existentis in potentia ad formam substantialem[33]), nec potest esse uniformis nec regularis[34]). Nihil autem horum potest esse in caelo et motu eius, ut per se patet. Ergo non movetur a natura«[35]).

»Reprobatis igitur his positionibus sicut impossibilibus, consentiendum videtur Hermeti Trismegisto[36]), Platonicis et Peripateticis[37]), qui dicunt motum caeli esse ab anima imaginativa et electiva«[38]), et cum motus caeli sint plures, oportet ipsas animas gradatim distribui secundum maiorem et minorem nobilitatem. Ideo superiores dicunt esse animas divinas, licet enim omnes sint nobiles, tamen non omnes sunt divinae.

»Quod autem omnes sint nobiles, apparet, quia anima nobilis secundum suam rationem est principium et causa motus circularis ad formam intelligentiae. Ex hoc enim, quod est anima, est principium motus, quia omnis anima est principium alicuius motus. Ex hoc autem, quod est nobilis, sequitur, quod ipsa sit causa tantum motus circularis[39]), et hoc ad formam intelligentiae, quia assimulatur ei, quia ubique est et semper[40]). Nihilominus tamen ratione divinitatis participatae movet ad formam prime boni ita, quod, sicut prime bonum est causa per se simpliciter omnium, ita talis anima per motum suum fit causa inferiorum«[41]).

Et hoc de primo.

B Verum, quid sit talis nobilis anima, sciendum, quod Avicenna[42]) et Algazel[43]), qui dant cuilibet caelo duplicem motorem, scilicet separatum, qui est intelligentia, et coniunctum, qui est anima, dicunt tales motores in lege vocari angelos superiores et inferiores.

Sed ista positio quantum ad intelligentias est superius reprobata. Quantum vero ad hoc, quod ponunt tales substantias intellectuales movere corpora caelestia, »est inconveniens primo, quia non consonat rationi, qua conicimus de dispositione huius universi quantum ad ordinem causalium processuum et essentialem conexionem ipsius in suis partibus, ex qua conexione et ordine essentiali universum hoc est ens et unum per se. Huiusmodi autem substantiae spirituales, scilicet angeli, omnino disparatae sunt in suis naturis et essentiis a substantiis corporum caele-

[33]) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 52,38–40
[34]) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 52,54–55
[35]) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 8; Palazzo 7,122–8,133; cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 52,72
[36]) cf. Alb., Probl. det. 1; Weisheipl 48,14–17; De caus. et proc. univ. I 3 3; Fauser 38,62–64; cf. etiam Asclep. 6; Moreschini 44,26; Apul., De Plat. et eius dogm. I 9; Moreschini 98,1–8
[37]) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 53,65–67
[38]) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 9; Palazzo 8,135–138
[39]) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,32–36
[40]) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,29–31
[41]) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 22–23; Palazzo 14,300–317
[42]) Avic., Metaph. IX 2 et X 1; Van Riet 462,43–48 et 522,9–11
[43]) Algaz., Metaph. I 4 3; Mückle 112,17–23

72 igitur *om. O* 75 et: vel *V*

stium et nullum respectum et habitudinem secundum naturam habent ad ipsa, tum quia sunt diversarum providentiarum, voluntariae scilicet et naturalis«[44]), tum quia angelus non habet rationem causae essentialis, tum etiam quia non est unibilis caelo, ut ipsum vivificet. Et sic motus caelorum non esset naturalis, nec primus, nec ex se.

Et ideo sunt alii dicentes, »quod caelum movetur solum ab intelligentia, quam dicunt esse duplicis naturae, scilicet naturae intellectualis, secundum quam omnino separata est et nulli corpori unita, et naturae moventis, et sic coniungitur corpori ut motor mobili et non ut forma materiae, quia nec intellectus potest esse actus corporis, nec etiam caelum exit de potentia formae substantialis ad actum, quia hoc esset generatio. Et ideo dicit Averroes[45]), quod non coniungitur ei ut materiae, sed ut subiecto completo. Intelligentiam enim esse in aliquo est illustrationem intelligentiae esse in ipso, sive illustratio illa sit speculativa sive practica. Speculativa, sicut intelligentia dicitur esse in anima, practica, quae est intellectus practici, sicut dicitur intelligentia esse in his, quae moventur vel causantur ab ipsa. Et quamvis haec illustratio in remotis ab intelligentia sit per casum a ratione intellectualis luminis eo, quod in eis tantum est secundum rationem intellectualiter formantis, tamen in caelo, quod sibi propinquum est, illustratio illa est per lumen, quod est intellectuale secundum rem et rationem[46]). Haec autem propinquitas est conformitas illius corporis maxime formalis inter corpora ad immaterialitatem intelligentiae et luminis eius, propter quod Themistius[47]) huiusmodi corpora vocat formas et spiritualia corpora. Ex hac enim conformitate illud corpus est susceptibile huius luminis et ex hoc ex sua natura est instrumentum omnino oboediens intelligentiae«[48]), »et ipsum lumen intelligentiae est actus et esse caeli, inquantum est organum intelligentiae, et motus circularis consequitur formam illam, quia, sicut intellectus est ubique et semper, ita etiam motus caeli est ubique sive ad omnem situm et est semper«[49]).

»Et sic etiam dicunt motum caeli esse naturalem, cum tamen non sit a natura, sed ab intelligentia. Et sicut instrumentum formas artis exserit in materia, sic etiam caelum esse et vitam explicat per suum motum, inquantum ipse motus habet in se virtutem hypostasis omnium formarum. Et ideo motus talis est sicut vita omnibus viventibus[50]), quia, sicut illa vita est in toto corpore vivorum ex motu cordis vel eius, quod est loco cordis, inquantum ille motus est animae, quae est vita, sic est

44) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 20 1–3; Sturlese 30,78–95
45) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 6vG–H
46) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 54,49–60
47) ap. Averr., De subst. orb. 5; Venetiis 1562, 10vL
48) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 12–13; Palazzo 10,184–11,205
49) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 15; Palazzo 11,222–226; ex Alb., De caus. et proc. univ. I 4 7; Fauser 54,66–79
50) cf. Arist., Phys. VIII 1, 250b14–15; etiam Alb., De caus. et proc. univ. II 1 2; Fauser 62,65–67

129 cordis: corporis *V* 130 animae: anima *V*

etiam in proposito. Et cum operatio intellectus sit vita, sic etiam hoc esse caeli vita vocatur«[51]). »Et ideo dicit Aristoteles in I *Caeli et mundi*[52]): "Vita ergo illic est fixa, sempiterna, in saecula saeculorum, quae nec finitur nec deficit, et est melior vita". Hoc enim concludit ex hoc, quod caelum est immutabile. Unde secundum quod anima sumitur secundum communem differentiam, qua ipsa distinguitur a natura in hoc, quod per se operatur plura, sic hoc lumen receptum in caelo anima caeli vocari potest. Et ideo sic Aristoteles vocat[53]) caelum animal, et Averroes in libro *De substantia orbis*[54]), et Rabbi Moses in II collectione *Ducis neutrorum*[55]) dicit: "Caeli sunt animalia rationalia" "oboedientia Creatori". Si vero anima dicatur[56]) "actus corporis physici potentia vitam habentis", sic Aristoteles in II *Caeli et mundi*[57]) probat caelum non habere animam, quia tunc motus eius esset cum labore et interciperetur quiete. Et sic etiam dicit in *De plantis*[58]), quod caelum habet regimen nobilius et dignius nostro regimine«[59]).

»Coniungitur ergo intelligentia mobili ut motor naturalis et non violentus, qui necessario formam suam influit mobili. Et quia haec forma est forma practici intellectus et lumen, quod non est hic et nunc, sed ubique in suo mobili, ideo quidam philosophi[60]) bene dicunt intelligentiam uniri mobili non ita, quod infundatur ei vel immittatur, sicut anima inferior immittitur ei corpori per se ipsam ut actus potentiae et ut sit aliquid substantiae eius, quae infunditur corpori, ita, quod secundum partes suas potentiales dominatur in partes corporis, quarum illae potentiae sunt actus, sed potius intelligentia unitur mobili ut ambiens ipsum amplitudine suae virtutis et sui luminis, quod est scientia eius practica, qua movet, sicut motor ambit id, quod movetur ab ipso, et sicut artifex forma artis suae ambit manum et instrumenta artis, et sicut lumen solis ambit hemisphaerium. Nisi enim sic dicatur, motor esse intra mobile. Sequeretur, quod primus omnium motuum sit violentus et sit causa omnis motus naturalis, quod est impossibile, sicut quod privatio sit ante habitum. Sequetur etiam, quod motor non sit immediate coniunctus sui mobili, cuius oppositum ostendit demonstratio Aristotelis VII *Physicorum*[61]). Sequetur etiam, quod motus caeli non inducat esse et vitam et sensum inferioribus, quod

51) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 15; Palazzo 11,227–233
52) Arist., De cael. I 9, 297a20–22; transl. Gerardi: Opelt 75,78–79
53) Arist., De cael. II 2, 285a29; II 12, 292a20–21; Alb., De cael. II 3 4; Hoßfeld 149,40–41; Avic., Metaph. IX 1; Van Riet 446,48
54) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 7vG; cf. etiam Metaph. XII comm. 36; Venetiis 1562, 318vH
55) Mos. Maimon., Dux neutror. II 6; Parisiis 1520, 42v
56) Arist., De an. II 1, 412a27–28; transl. vetus: Stroick 66,91
57) Arist., De cael. II 1, 284a27–29
58) Nicol. Damasc., De plantis I 1; Drossaart Lulofs–Poortman 520,24
59) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 16–17; Palazzo 12,234–248
60) cf. Alb., De int. et intell. II 11; Borgnet 519a–b; Metaph. XI 2 13; Geyer 500,56–88
61) Arist., Phys. VII 2, 243a32–34; cf. Alb., Phys. VII 1 2; Hoßfeld 521,52

145 est forma *om. sed suppl. m. post. V* 148 ei] *om. O* 153 forma artis *iter. O*

ad sensum patet esse falsum. Quando enim motor est extrinsecus mobili, tunc id, quod movetur, non informatur forma motoris, nec potest esse causa eius in aliis per suum motum«[62]).

»Haec igitur intelligentia vocatur sic anima aequivoce ad animas alias, non tamen simpliciter aequivoce, sed secundum prius et posterius, ut dicit Averroes in *De substantia orbis*[63]). Et compositum ex tali anima et corpore caelesti potest vocari animal eo modo, quo omne movens se ipsum animal vocatur. Sunt igitur hic tres diversae rationes eiusdem rei, quae secundum suam naturam in se intelligentia est et secundum proportionem eius ad mobile anima est et secundum comparationem sui ad formationem, qua, ut dicit Augustinus *Super Genesim ad litteram*[64]) formatur conversione ad Creatorem, angelus est«[65]).

Hucusque dicta opinio, quae, licet subtilis appareat, tamen non est absolute continens veritatem.

Quod apparet. Tum quia ponit intelligentiam, quae est intellectualis hypostasis et sic simpliciter independens ut imparticipabilis et ad corpus et ad animam, cum sit "stans per essentiam suam" secundum auctorem *De causis*[66]), et simpliciter et immobilis esse naturae moventis, et sic uniri suo mobili, quod dicatur moveri ex se et esse animatum, quod videtur contradicere. Tum quia ponit intelligentiam non uniri mobili per suam essentiam, sed per lumen suum, quo ambit id, quod ab ipsa movetur, sicut artifex manum et instrumenta artis, quod etiam lumen dicit intellectuale secundum rem et secundum rationem, et esse scientiam practici intellectus et nihilominus esse actum et formam caeli, quae videntur esse incomponibilia.

Istud enim lumen vel est essentia intelligentiae vel non.

Si sit iam essentia intelligentiae existens idem scientiae, quae est separata et nulli corpori unita, ut ipsemet[67]) dicit, esset unita, quod contradicit. Si forte diceretur, quod bene ibidem est separatum et coniunctum, sicut etiam ipse Averroes dicit[68]) de motore orbis, in proposito non valet, quia idem secundum idem impossibile est esse separatum et non separatum seu coniunctum. Averroes etiam vult[69]), quod motor, inquantum est intellectualis, sic est separatus, sed inquantum est anima seu animealis, sic est coniunctus. Sed dices, quod sic est in proposito, quia intelligentia inquantum huiusmodi est separata, sed inquantum motor est coniun-

62) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 18–19; Palazzo 12,255–276
63) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 7vG
64) Aug., De Gen. ad litt. I 1; Zycha 4,15–17; I 4; Zycha 7,18–8,21
65) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 20; Palazzo 13,277–288
66) Lib. de caus. 27(28),n.194; Pattin 191,25–26
67) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 10; Palazzo 9,162–164
68) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 6rA–7rA
69) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 7rA

164 in *om. V* 171 est *om. O* 174 cum ... (175) causis *om. O*

cta. Non valet, quia intellectus, cum sit simplex[70]), est se toto separatus et totaliter, cum sit conversivus ad se ipsum[71]), non autem est e converso coniunctus. Quod non est de anima, quae est minoris simplicitatis intellectu, ut inferius apparebit[72]).

Si non est essentia intelligentiae dictum lumen, tunc intelligentia per essentiam suam non est intrinseca, sed extrinseca mobili. Ergo caelum ratione intelligentiae non movebitur ex se, cum non sit intrinseca unione essentiali mobili. Et sic omnia inconvenientia incidunt, quae evadere nitebatur. Item tale lumen, quod dicit esse actum et formam caeli, vel est substantialis actus vel accidentalis ipsi caelo, cum non sit essentia intelligentiae.

Si substantialis actus et forma, aut est intellectus in actu per essentiam aut non. Si primo modo, iterum non erit coniungibilis corpori, cum omnis intellectus talis sit per suam essentiam supra omnia corpora elevatus. Si non, tunc vel erit forma animealis vel naturalis. Si animealis, tunc vel erit forma intellectualis, sensibilis et vegetabilis simul, vel intellectualis et sensibilis tantum, vel intellectualis et vegetabilis tantum, vel sensibilis et vegetabilis solum, vel vegetabilis solum, vel intellectualis solum. Sed cum sensus non sit in immortalibus nec vegetatio, prout est in germinibus et seminibus et complexionatis, necessarium est talem animam esse solum vel intellectualem tantum vel solum vegetabilem a vegetando solum dicta vel simul intellectualem et vegetabilem, et tunc erit duplex motor, quod vegetat, scilicet extrinsecus et intrinsecus, et intelligentia non erit motor immediate coniunctus caelo, sed talis anima, quae etiam non erit scientia practica intelligentiae nec eius virtus nec lumen, quibus ambit ipsum mobile, ut dicit. Si erit forma naturalis, ergo motus caeli non erit vitalis nec vita nec circularis nec causabit vitam tantae diversitatis in inferioribus.

Si vero tale lumen dicitur esse actus et forma accidentalis caelo, tunc corpus caeli et tale lumen non erit unum per se. Ergo praecedet alia compositio caeli et formae substantialis, nec caelum tali lumine movebitur ex se, quia accidens non movet substantiam. Et sic etiam simpliciter nec movebitur ipsum caelum tali lumine, ut dictum est[73]), cum movens et motum sint distincta subiecto. Et sic iterum caelum tali lumine sive forma accidentali non erit causa substantialis inferiorum, cum nulla actio recipiatur intimius in obiecto sive passivo quam egrediatur a subiecto sive activo.

Et sic tres oppositae rationes non sunt eiusdem rei, ut apparet[74]).

70) cf. Procl., Elem. theol. 47; Dodds 46,29; Boese 27,1
71) cf. Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
72) cf. infra, prop. 185 L
73) cf. supra, prop. 185 B
74) cf. supra, prop. 185 B

196 omnia: anima *V* 197 incidunt *coni.*: incidit *codd.* 203 forma *om. O* 204 vel[1]: et *O* 223 sic: si *V*

Omnibus igitur istis opinionibus dimissis sentiendum est cum intentione auctoris, quod anima substantia divina est, substantia inferioris naturae ab intelligentia pura participans intellectum divinum, unita essentialiter ipsi caelo ita, quod sit actus eius substantialis, licet elevatiori modo, quam sint animae partiales, et sic est separata simul et unita, ut inferius apparebit[75]).

Et hoc de secundo.

»Ex praemissis etiam colligi possunt gradus nobilitatis divinarum animarum. C
Quia enim substantialis earum ratio est, quod sint actus caelorum et sic "principium motus circularis"[76]), illa anima, cuius motus est nobilior ex ampliori simplicitate et regularitate, et per consequens est universalioris influentiae in inferiora, non solum ratione talis motus, sed magis ex divinioris intellectus participatione, ista, inquam, anima divina est divinior alia anima, cuius motus non est adeo uniformis, nec quae participat intellectum sic divinitatis eminentis. Et sic sunt animae divinae, diviniores et divinissimae, quia, "quod per superhabundantiam dicitur, uni soli convenit"[77]). Cuius evidens signum est in animabus partialibus concernentibus habitudinem non iam superpositionis et suppositionis sicut divinae animae, sed habitudinem aequiparantiae, in quibus sunt gradus nobilitatis, licet individualis. Excellentior enim est anima rationalis, quae movet per intellectualem apprehensionem[78]) appetibilis, quam quae per sensibilem, et hoc sive moveat per influentiam formarum caelestium in ipsam vel sub lumine intelligentiae, sicut dicit Aristoteles[79]) interdum in dormientibus fieri motus per visiones intellectuales certas vel sub virtutibus figurarum caelestium, sicut idem dicit Aristoteles[80]) fieri motus somniorum per signa vera futurorum, non tamen necessaria«[81]).

Et hoc sufficiat de supposito primi.

Circa propositum primae partis tria faciam, quia primo distinguam de imagine et de eo, quod est ad imaginem in generali, secundo ostendam animam divinam esse ad imaginem Dei in speciali, tertio, quod hoc multum diversificatur in natura animeali.

»De primo sciendum quod, sicut ex declaratis super 32[82]) colligitur, ad imagi- D
nem requiritur, quod sit ens ut simpliciter, repraesentativum eius, cuius est imago, secundum essentiam suam et eorum, quae in ipsa sunt per se, et quod sit expressum formali defluxu ab imaginato, quod est expressivum suae imaginis quasi sui

75) cf. infra, prop. 186 I
76) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,33
77) cf. Lib. XXIV philos. pars altera 11; Hudry 58,31–32
78) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 12; Fauser 75,3–4
79) Arist., De insomn. 1, 458b15–20 et 459a8–10
80) Arist., De div. per somn. 2, 463b22–25
81) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 24; Palazzo 15,334–344; ex Alb., De caus. et proc. univ. II 1 12; Fauser 75,9–20
82) cf. supra, prop. 32 F; Mojsisch 212,203–224

225 inferioris: inferiorum *V* 236 sic: sit *V* 246 tamen *coni.*: tantum *codd.* 254 sunt *om. O*

ipsius in altero, et quod sit consubstantialitas sive coessentialitas imaginis ad imaginatum ita, quod sint eiusdem essentiae, licet esse non sit idem. Et sic imago vult esse perfecta conformitas sui ad imaginatum et similitudo repraesentativa, qua non invenitur maior«[83]).

Talis autem conformitas licet per prius inveniatur in diis per essentiam, tamen per analogiam invenitur in omnibus divinis participative, in quibus praedictae condiciones saltem proportionaliter sunt repertae.

Et hoc de primo.

E Verum quia prime bonum, quod est ex se Deus, exprimit se ipsum superunialiter et imprimit se immediate ipsis bonitatibus supersubstantialibus boniformiter, ut quaelibet eorum existens per se perfecta unitas sit Deus essentialiter per 114[84]), et per ipsas unitates et in ipsis imprimit se omnibus divina proprietate participare valentibus; exprimit, inquam, et imprimit sic se omnibus, ut dictum est, potentibus suscipere, ut quodlibet sit Deus suo modo eorum, quae talem impressionem sortiuntur.

Quare non solum bonitates dicuntur dii unialiter, sed etiam animae divinae dicentur et sunt dii, sed animealiter. Et omnia intermedia inter bonitates et divinas animas suo modo dicentur dii ita, quod ipsum prime bonum ab unoquoque participantium totum participetur et a nullo nulla parte secundum Dionysium 2 cap. *De divinis nominibus*[85]).

Cuius exemplum gratiosum statim ibidem[86]) subiungit dicens: "Sicut sigilli expressiones multae participant archetypo sigillo et in unaquaque expressionum toto et eodem existente et in nullo secundum nullam partem. Excedit autem et omnium causae deitatis impartibilitas eo, quod neque tactus est eius neque alia quaedam ad partes commiscendi communio. Quamvis dicat aliquis: 'Non est sigillum in totis expressionibus totum et idem', huius autem non sigillum est causa. Omne enim se ipsum illud et idem unicuique ingerit, sed participantium diversitas dissimiles facit expressiones unius et totius et eiusdem principalis formae". Haec Dionysius.

Sicut ergo sigillum, licet secundum varietatem participantium secundum oportunitatem vel ineptitudinem diversimode se imprimat, tamen cuilibet se totum et idem ingerit et imprimit, ut quodlibet expressum sit id ipsum, licet secundum aliud esse, sic et prime Deus superunialiter, ut decet, se exprimit et omnibus ipsum participare valentibus imprimit, ut quodlibet imago sui sit quasi alter Deus, quamvis secundum aliud esse, quia unitates unialiter, infinitates virtualiter, entia enter, vitae

83) cf. Theodor. de Vrib., De vis. beat. 1.2.1.1.6., 6–1.2.1.1.7., 1; Mojsisch 42,40–43,5
84) Procl., Elem. theol. 114; Dodds 100,16–17; Boese 57,1–2
85) Dion., De div. nom. 2 5; PG 3, 644A; Suchla 129,4–6; Dionysiaca 86C–D
86) Dion., De div. nom. 2 5–6; PG 3, 644A–B; Suchla 129,7–15; Dionysiaca 87B–89A; transl. Sarraceni: Simon 70,71–71,57

258 qua *coni.*: quae *codd.* 267 ipsas *add.* bonitates *V* 279 tactus *om. O* 283 eiusdem: eundem *V*

vitaliter, intellectus intellectualiter, animae animealiter. Taliter enim superiora sunt in inferioribus modo inferiorum per 103[87]). Sic igitur omnes divinae animae sunt dii animealiter et per consequens provident sibi subiectis. Quod "providere est eius, quod in ipsis unius" secundum auctorem *De providentia* quaest. 10[88]), "secundum quod enim imitantur deos, secundum hoc ipsis comprovident omnibus. Nam prime providens Deus, quia et prime bonum, animae autem post hos, quando secundum unum illocantur et divine operantur et provident cum diis". Haec auctor.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet tertium. Si enim dii uniales differunt maiori vel minori F totalitate per propinquitatem maiorem vel minorem ad prime unum – omnis enim deus totalior quidem est, qui uni propinquior, particularior autem, qui remotius[89]) –, multo magis dii animeales differunt maiori vel minori universalitate in providendo sibi subiectis, cum maior expressio divinitatis sit in summitate animarum divinarum quam in aliis, quae sequuntur.

Et hoc de proposito.

Circa secundam partem elementi tria dicam, quia primo dicam de contemplatione, secundo de intellectualis animae condicione, tertio ex praemissis de contemplationis deorum talium animarum continuatione.

De primo sciendum, quod omne quidem, quod ens, propter supersubstantia- G lem unionem indicibile est et incognoscibile omnibus simul secundis, a participantibus autem capibile propter hoc, quod solum primum penitus est ignotum tamquam amethectum ens per 123[90]).

"Ipsius quidem", ut dicit Dionysius 1 cap. *De divinis nominibus*[91]), "quod quid est scientia et contemplatio, omnibus est invia existentibus sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata. Et multos theologorum invenies non solum sicut invisibilem ipsum et incomprehensibilem laudasse, sed inscrutabilem simul et non investigabilem sicut non existente vestigio ullo eorum, qui ad occultam ipsius infinitatem transierunt. Non tamen incommunicabile est universaliter bonum nulli existentium, sed in se ipso singulariter supersubstantialem collocat radium, uniuscuiusque existentium proportionalibus illuminationibus benigne superapparet, et ad possibilem ipsius contemplationem et communionem et assimulationem extendit sanctas mentes, quae ipsi, sicut est fas, ut decet sanctos, se immittunt et neque ad superius, quam convenienter data Dei apparitio, superbe praesumunt, neque

87) Procl., Elem. theol. 103; Dodds 92,13–16; Boese 52,1–4
88) Procl., De X dub. 10,n.65; Boese 106,8–12
89) cf. Procl., Elem. theol. 126; Dodds 112,14–15; Boese 63,1–2
90) Procl., Elem. theol. 123; Dodds 108,25–28; Boese 62,1–4
91) Dion., De div. nom. 1 2; PG 3, 588C–589A; Suchla 110,5–111,2; Dionysiaca 13C–17A; transl. Sarraceni: Simon 9,78–79 et 13,74–14,82

296 quando *scr. cum B*: quoniam *codd.* 303 animeales: animealiter *V* 305 quam: qua *V* 310 supersubstantialem: substantialem *sed corr. m. post. V* 312 hoc *om. O* 314 dicit Dionysius: Dyonisius dicit *V* 321 benigne ... (322) contemplationem *om. sed suppl. m. post. V*

ad inferius ex subiectione ad peius prolabuntur; sed firme et indeclinabiliter ad radium ipsius supersplendentem extenduntur et cum mensurato amore convenientium illuminationum, cum reverentia sancta et caste et sancte alis elevantur". Haec Dionysius.

Et licet praedicta verba Dionysii sint dicta de mentibus sanctis humanarum animarum, tamen proportionaliter eminentiori modo applicari possunt ad animas semper intelligentes, a quibus sic secundum substantiam et operationem intellectualibus participatur omnis intellectus primitus per 165[92]).

Et hoc de primo.

H Verum qualiter tales animae semper contemplentur deos, ut a magis notis et quasi per simile procedatur, notandum, quod, sicut ex causa, quae est "supersapiens et omnisapiens" "et ipsius per se sapientiae et totius et" participans "substantificatrix" secundum Dionysium 7 cap. *De divinis nominibus*[93]), "intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes simplices et beatos habent intellectus non indivisibilibus aut divisibilibus aut sensibus aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem neque ab aliquo communi ad ista simul actae, ab omni autem materiali multitudine mundae existentes intellectualiter uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt. Et est ipsis intellectualis virtus et operatio munda et immaculata puritate resplendens conspicaci divinorum intellectuum simplicitate et immaterialitate et divinitus" unitivo et conformiter et uniformiter "ad divinum et supersapientem et mentem et rationem" "figurata". Haec Dionysius.

Eodem modo proportionaliter, sed excellentius, animae intellectuales, quae participant semper et connaturaliter intellectus – sed solum intellectuales, non divinos, per 183[94]) –, habent simplices intellectus, si tales animae sunt de numero animarum totalium, licet inferiores; si autem sunt de animabus partialibus, prout sunt in ente, quae exuerunt "tunicas", ut dicit auctor 7 cap. *De malorum existentia*[95]), "quas descendentes indutae" sunt et nudae hinc progressae illinc, quae purificaverunt "animae oculum, quo entia" specularentur, quae etiam fecerunt intellectum praesidem "interioris vitae pro sensu". Tales autem animas fugat "ad divinum similitudo", ubi est "totum bonum et fons bonorum omnium et pura enter et felix vita ibi profectis animabus".

92) Procl., Elem. theol. 165; Dodds 142,26–27; Boese 80,1–2
93) Dion., De div. nom. 7 1–2; PG 3, 868A–C; Suchla 194,20–195,11; Dionysiaca 387D–390C; transl. Sarraceni: Simon 343,79–84
94) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3
95) Procl., De mal. subs. 7,n.24; Boese 203,29–204,37

326 radium *suppl.: om. codd.* | ipsius *coni.*: ipsis *codd.* 327 alis: aliis *O* 330 proportionaliter: proportionali *V* 336 et omnisapiens *coni.*: et omnesapiens *O* est omnisapiens *V* 340 ab *suppl.: om. codd.* 341 materiali: naturali *O* 346 animae *iter. O* 351 illinc quae: illum qui *V* 352 animae *coni.*: ante *codd.* 353 praesidem *scr. cum B*: praesidere *codd.* 354 ubi: ibi *O* 355 profectis: perfectis *V*

Hae enim secundum Dionysium, immo nos toti, 1 cap. *De divinis nominibus*[96]), "tunc, quando incorruptibiles et immortales erimus, christiformem et beatissimum consequemur finem, semper cum Domino secundum Eloquium[97]) erimus visibili ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa divinissima transformatione; intelligibili autem luminis datione ipsius impassibili et immateriali mente participantes et super mentem unitione in ignotis et beatis immissionibus superclarorum radiorum in diviniore imitatione supercaelestium mentium. Nam aequales erimus angelis, ut veritas dicit Eloquiorum[98]), et filii Dei resurrectionis filii existentes".

Ex praemissis apparet, quod animae intellectuales, utpote participantes intel- I
lectuali intellectu semper et per ipsum unitae unitioni, quae est super mentem, sive sint totales sive partiales, incessanter contemplantur deos.

Si enim secundum Dionysium 7 cap. *De divinis nominibus*[99]), "oportet videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam (alia translatio[100]): "unitatemque superexaltatam"), per quam coniungitur ad ea, quae sunt supra ipsam, secundum hanc igitur divina oportet intelligere, non secundum nos, sed totos nos ipsos extra totos nos ipsos statutos et totos deifactos: Melius enim est esse Dei et non nostri ipsorum, ita enim erunt divina data cum Deo factis" – haec Dionysius –, necessarium est animas, quae semper sunt statutae extra se ipsas et supra se ipsas et sic totae deifactae, incessanter unitate supermentali contemplari ipsos deos, cum hoc sit animae partiali, prout est in generatione, immo nobis per eam possibile aliquando, ut statim dicetur.

Et hoc de secunda parte.

Circa tertiam partem tria faciam, quia primo dicam de animae rationalis transmutatione, secundo de animarum trasmutationis susceptivarum condicione, tertio ex praemissis de talium animarum interrupta deorum contemplatione.

De primo sciendum, quod anima rationalis, ut supra[101]) ostensum est et K
infra[102]) melius deducetur, est duplicis transmutationis, unius, prout secundum intentionem auctoris aliquando ascendit a generatione in ens vel descendit ab

96) Dion., De div. nom. 1 4; PG 3, 592B–C; Suchla 114,7–115,5; Dionysiaca 29C–31D; transl. Sarraceni: Simon 24,61–67
97) I Thess. 4,17
98) Lc. 20,56
99) Dion., De div. nom. 7 1; PG 3, 865C–868A; Suchla 194,10–15; Dionysiaca 385A–386C; transl. Sarraceni: Simon 337,71–74
100) transl. Eriugenae: Dionysiaca 385C
101) cf. supra, prop. 184 E–F
102) cf. infra, prop. 185 M

365 existentes: existentis *O* 377 deifactae *coni.*: deifactas *codd.* 379 statim dicetur: dicetur statim *V*

ente in generationem, alterius, prout est existens in generatione. "Propter divinam enim sapientiam" secundum Dionysium 7 cap. *De divinis nominibus*[103]) "et animae rationale habent, diffusive quidem et circulo circa existentium veritatem circumeuntes et divisibili et largissimo varietatis deficientes ab unitivis mentibus, multorum autem ad unum convolutione et intellectibus aequalibus angelis, inquantum est animabus proprium et possibile, digne" Deo "habitae".

De tali etiam variatione dicit idem 4 cap. eiusdem libri[104]) loquens de anima secundum statum praesentis vitae, ubi ascribit sibi triplicem motum, scilicet circularem, obliquum et rectum, sic dicens: "Animae autem motus circularis quidem ad se ipsam introitus ab exterioribus et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio sicut in quodam circulo, non errare ipsi largiens in multis exterioribus ipsam etiam congregans primum ad se ipsam, deinde, sicut informem factam, uniens unitive unitis virtutibus, et ita ad pulchrum et bonum manuducens, quod est super omnia existentia et unum et idem et sine principio et interminabile. Oblique autem anima movetur, inquantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse, et sicut commixtis et" "transitoriis"[105]) "operationibus et ab exterioribus sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis ad simplices et unitas sursumagitur contemplationes. In directum autem, quando non ad se ipsam ingressa et singulari intellectualitate mota, hoc enim est secundum circulum, sicut dixi, sed ad ea, quae sunt circa ipsam, progreditur". Haec Dionysius de motione seu transmutatione animae partialis seu rationalis.

Et hoc sufficiat de primo.

1. Verum licet ista anima sit unius substantiae, tamen secundum diversas potentias est diversarum operationum, scilicet sensitivarum et appetitivarum, rationalium, intellectualium et ipsius intelligentiae.

Quarum primae duae, quae sunt "species vitae irrationales omnes entes, eam, quae secundum naturam operationem habent cum corpore", ut ostendit auctor *De fato et providentia*, 6 cap.[106]). Ubi et subdit de ratione sic dicens[107]): "Ad ipsam autem iam rationalem aspiciens animam, vitae illius vitam tertiam et plenam etiam insidentem inferioribus vitis et corrigentem aut deficiens ipsarum secundum cognitionem, sicut quando sensum deceptum circa sua cognoscibilia desuper ipsa arguit. Dico autem, puta solem pedalem dicentem aut aliud aliquid cum consueta deceptione pronuntiantem ex talibus aut immensuratum ens motu erudientem,

[103]) Dion., De div. nom. 7 2; PG 3, 868B–C; Suchla 195,12–16; Dionysiaca 390C–391D; transl. Sarraceni: Simon 345,72–74

[104]) Dion., De div. nom. 4 9; PG 3, 705A–B; Suchla 153,10–154,6; Dionysiaca 190C–193D; transl. Sarraceni: Simon 202,79–82 et 204,78–82

[105]) transl. Eriugenae: Dionysiaca 192C

[106]) Procl., De prov. 6,n.16; Boese 124,17–19

[107]) Procl., De prov. 6,n.17; Boese 124,1–14

390 unitivis *coni.*: unitis *codd.* 413 vitae irrationales *scr. cum B*: vita nec rationales *V* vite et rationale *O* 416 vitae *codd. et B* vide *Procl.* 417 insidentem: incidentem *O* 420 deceptione *scr. cum B*: conceptione *codd.*

quando percutit furorem", "aut rursum quando concupiscentia lasciviens circa delectationes has, quae ex corporibus pullulant, conatur detinere petulantiam ipsarum meliorata temperamentis, in talibus enim omnibus operationibus manifestat utique omnes irrationales motus reprehendens, cognitivos et appetitivos, et absolvens se ipsam ab his tamquam alienis entibus". Et infra[108]): "Respiciens rationes, quarum nullam per corpus novit aut per corporeas cognitiones, manifestum, quod secundum hanc operationem elongat se ipsam evidenter a sensibus".

Et infra loquens de intellectuali operatione sic dicit[109]): "Post hanc autem video alterum et meliorem ea, quae in nobis rationali anima motum, quiescentibus iam inferioribus et nullum tumultum, veluti in multis consuevit, exhibentibus, secundum quem (scilicet motum) conversa est ad se ipsam et videt sui ipsius substantiam et virtutes, quae in ipsa, et harmonicas rationes, ex quibus consistit, et multas vitas, quarum est complementum, et meminit se ipsam entem mundum rationalem, imaginem quidem eorum, quae ante ipsam, a quibus egressa est, exemplar autem eorum, quae post ipsam, quibus superstat".

Et infra loquens de cognitione intelligentiae sic subiungit[110]): "Post has ambas operationes rationalis, ut dictum est, huius animae ad ipsam iam summam recurrens ipsius intelligentiam, per quam videt sorores ipsius in mundo animas caelumque et totam generationem secundum patris voluntatem sortitas, quarum et ipsa pars quaedam ens illarum speculationem desiderat. Videt autem supra animas intellectuales substantias et ordines, supra omnem enim animam residet intellectus deiformis, qui et animae dat intellectualem inhabitum; videt autem rursum et ante haec eas que supra intellectum deorum ipsorum monades, a quibus intellectuales multitudines suscipiunt uniones. Oportet enim supra unita locari unificas causas et supra intellectuales factas intellectualificas, et supra omnia simpliciter participantia imparticipabiles hypostases. Secundum omnes enim has sursumductivas intelligentias palam aestimo facere non penitus caecis, quomodo et sensum relinquens deorsum et corpora intellectualibus circumspectationibus sursum deducitur certaliter mundanorum deorum indeflexas et ut vere mysticas epibolas, id est adiectiones. Aut unde nobis et ex qualibus operationibus elucidarunt" nobis "deorum ekgoni, id est progeniti, dispensationes deorum occultas? Qualiter autem enthoysiazemi, id est indivinari, dicuntur animae et sobrietate meliorem maniam

108) Procl., De prov. 6,n.17; Boese 124,20–23
109) Procl., De prov. 6,n.18; Boese 124,1–126,8
110) Procl., De prov. 6,n.19; Boese 126,1–128,24

421 rursum: cursum *V* 432 quae: qui *B* 437 rationalis *scr. cum B*: rationabiles *codd.* 442 inhabitum: in habitu *O* | rursum *scr. cum B*: cursus *codd.* 443 eas … intellectum *suppl. cum B*: *om. codd.* 445 supra: super *V* 449 certaliter *sic codd. et B* circa *Procl.* | mysticas *scr. cum B*: inuisticas *dub. codd.* 452 enthoysiazemi *verius* enthoysiazein | dicuntur *scr. cum B*: differunt *codd.*

sumentes coaptari diis ipsis? Sibyllam dico illam, quae post partum mox prolocuta est mira et audisse praesentes, quae sit et ex quali ordine venerit in eum, qui circa terram, locum; et si qua et alia anima sic fuit divinae partis".

Et hoc de secundo.

M Ex praemissis colligitur tertium, quod, quia anima non semper movetur motu circulari, ut fiat informis uniens se unitis virtutibus, nec semper est statuta se tota extra se totam et supra se totam in unitionem excedentis mentis, per quam coniungitur diis per recursum sui ad summam intelligentiam, ut dictum est[111]), ideo non semper contemplatur deos, licet aliquando. Quod tamen paucis conceditur animabus, ut ad tantam contemplationis eminentiam admittantur, iuxta illud, quod dicit Dionysius 1 cap. *De divinis nominibus*[112]) loquens de se et aliis eximiae sanctitatis viris dicens: "Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, et ex istis rursum ad simplicem et unitam intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extendimur, et post omnem secundum nos" deiformem "unitionem sedantes nostras intellectuales operationes ad supersubstantialem radium, secundum quod est fas, nos immittimus, in quo omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter praeextiterunt; quod neque cogitare possibile neque dicere neque totaliter aliquo modo contemplari, propter hoc, quod ab omnibus ipse est segregatus et superignotus", etc.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim hae quidem habent divinum lumen desuper irradians, hae autem semper intelligunt, hae autem quandoque ab hac perfectione transmutantur, hae quidem in multitudine animarum proportionaliter stant diis, hae autem consequenter diis, secundum intellectum semper operantes et a divinis dependent animabus, hanc habentes rationem ad ipsas, quam quidem intellectuale ad divinum. Quae autem quandoque intelligunt et assequuntur quandoque diis, neque intellectum semper participare neque divinis simul converti animabus semper potentes. Quod enim ab intellectu quandoque transcidit, nulla arte diis semper coaptari possibile.

Probatio elementi quoad primam partem talis est: Omnia habentia divinum lumen desuper irradians sunt dii suo modo; sed omnes divinae animae sunt huiusmodi: ergo sunt dii suo modo, scilicet animealiter.

[111]) cf. supra, prop. 185 I

[112]) Dion., De div. nom. 1 4; PG 3, 592C–D; Suchla 115,6–13; Dionysiaca 31D–33C; transl. Sarraceni: Simon 24,67–25,69

453 illam: eam *B* 454 venerit *sic codd. et B* venit *Procl.* 455 sic: si *O* 459 supra: super *O* 462 ut *suppl.: om. codd.* 463 1 cap.: 7 cap. *O* 465 intelligibilium *suppl.: om. codd.* 477 ad ... (478) ad *om. O* 483 sed ... (484) modo *om. O*

Secunda pars sic probatur: Omnia semper intelligentia sunt contemplativa deorum; sed omnes animae intellectuales sunt huiusmodi: ergo etc.

Tertia pars sic ostenditur. Omnia, quae quandoque dependent ab intellectu et quandoque non, sunt contemplativa deorum quandoque; sed omnes animae transmutationis susceptivae sunt huiusmodi: ergo etc.

Hae quidem. Hic inducuntur condiciones praedictorum mediorum cum assignatione differentiarum inter dicta tria genera animarum, cum dicitur: Pro certo hae (scilicet divinae animae) in multitudine animarum stant diis ipsis proportionaliter. Sicut enim dii provident, sic et ipsae. Hae autem (scilicet intellectuales) consequenter stant divinis animabus operantes semper secundum intellectum et dependent a divinis animabus, sicut media in omni ordine essentiali dependent a supremis, habentes hanc proportionem ad ipsas, quam habet intellectuale ad divinum. Sed animae, quae quandoque intelligunt, etiam quandoque assequuntur diis, non valentes neque semper participare intellectum sicut intellectuales, neque valentes simul converti divinis animabus, ut coaptentur diis.

Cuius rationem subiungit, quia, quod quandoque transcidit ab intellectu, non est possibile aliqua arte diis copulari, cum intellectus sit medium copulans.

487 ab: ad *codd.* | intellectu *coni.*: intellectus *codd.* 495 dependent[1]: dependet *V* | dependent[2]: dependeret *codd.*

PROPOSITIO 186
OMNIS ANIMA EST INCORPOREA SUBSTANTIA ET SEPARABILIS A CORPORE

Habito de proprietatibus animarum in comparatione ad superiora nunc auctor prosequitur de ipsis animabus in habitudine ad sua corpora dicens: OMNIS ANIMA etc.

Ad istius elementi evidentiam duo ostendam, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ostendam animam non esse accidens in generali, secundo deducam hoc secundum diversitatem opinionum in speciali, tertio ex praemissis ostendam quiditatem animae in universo totali.

A De primo sciendum, quod ex rationibus positis super 184[1]), quibus ostensum est animam esse, etiam liquere potest »animam non esse accidens. Si enim anima est principium multarum actionum in corpore, quarum corpus non est principium, ipsa non erit accidens, tum quia accidens ut huiusmodi non est per se agens, substantiae enim est proprium agere[2]), tum quia omnis actio est a virtute et virtus a substantia, sicut ostendit Avencebrol libro III cap. 44[3]), tum quia "actiones non diversificantur nisi per essentias" secundum Averroem super IX[4]), hoc autem non esset, si accidens esset principium actionis, tum etiam quia, secundum Aristotelem VII *Physicorum*[5]) omnis actio vel est a potentia naturali vel ab arte vel a voluntate vel a casu. Quare liquet, quod anima non est accidens.

Praeterea omne agens sive movens plus habet de actualitate quam motum sive patiens secundum Aristotelem VIII *Physicorum*[6]). Unde ad hoc, quod sit actio et passio, inter alias condiciones requiritur, quod agens sit actu per 7[7]) et sit ens per se. Omne autem accidens habet esse dependens et sequitur materiam, quae secundum se est ens potentia, et sic minus habet de actualitate quam substantia; quapropter aut anima non est movens et agens respectu corporis, aut necesse est eam esse substantiam.«[8])

1) cf. supra, prop. 184 C
2) cf. Procl., Elem. theol. 80; Dodds 74,27–28; Boese 42,1–3
3) Avenc., Fons vitae III 44; Baeumker 179,9–10
4) Averr., Metaph. IX comm. 7; Bürke 38,42–43
5) cf. pot. Arist., Metaph. VII 7, 1032a27–30
6) Arist., Phys. VIII 5, 257b8–9
7) Procl., Elem. theol. 77; Dodds 72,20–23; Boese 41,1–5; cf. etiam Arist., De gen. et corr. I 9, 326b29–34
8) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 17; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 214vb–215ra

6 etc. *om.* V 23 sit[2]: sic *O*

»Amplius omne agens et movens, omne formans et imperans inquantum tale nobilius est acto, moto, formato et serviente seu ministrante. Quare, si anima se habet ad corpus in ratione agentis, moventis, formantis et imperantis, necesse est ipsam esse nobiliorem corpore per 20[9]). Omne autem accidens ignobilius est substantia, cum sit causatum a substantia. Igitur impossibile est animam esse accidens.«[10])

»Idem apparet ex definitione accidentis, quam dat Porphyrius[11]): "Accidens est, quod adest et abest praeter subiecti corruptionem". Sed anima non adest nec abest praeter subiecti corruptionem, quare non est accidens. Medium declaratur per hoc, quia subiectum animae, puta corpus, non remanet in sua specie post recessum animae nec easdem habet operationes, sed nobiliores amittit et habet aliam formam et alia accidentia et dissolvitur et corrumpitur.«[12])

»Ex eadem definitione arguitur: Si anima est accidens, ergo, cum recedit ab aliquo, eius recessus est praeter subiecti corruptionem. Ergo tale non moritur. Quare omnia animalia erunt immortalia. Et similiter iuxta eandem definitionem, cum nullum accidens det esse substantiale subiecto, ergo nec absentia sua aufert ei esse neque inducit ei non esse. Quare vivere non erit esse, quae omnia sunt impossibilia.«[13])

Idem apparet ex ratione causae. Cum enim anima sit in genere triplicis causae respectu corporis, quod est substantia, scilicet efficientis, formae et finis, necessarium est ipsam esse substantiam. Antecedens apparet, quia est in ratione moventis et in ratione constituentis et conservantis corpus. Item dat esse et essentialiter penetrat corpus. Item est illud, propter quod corpus agit et factum est.

Idem apparet de anima rationali specialiter, cum recipiat opposita secundum se ipsa existente eadem et una numero et immutabili in sua substantia. Hoc enim est proprie proprium substantiae. Ex dictis apparet animam non esse accidens.

Et hoc de primo.

»Verum in prosequendo opiniones, quibus ponebatur anima accidens, sicut quidam posuerunt eam numerum, circulum, harmoniam, complexionem et entelechiam, breviter videamus, quid veritatis vel falsitatis contineant. B

Pythagoras vero et Plato posuerunt animam esse numerum vel ex numeris«[14]), et recte dixit Plato circulum esse animam, quorum positiones inferius[15]) pertractabo.

9) Procl., Elem. theol. 20; Dodds 22,1; Boese 13,1
10) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 17; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 215ra
11) Porphyr., Isag.; Busse 12,24–25; Minio-Paluello–Dod 20,7–8
12) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 17; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 215rb
13) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 17; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 215rb
14) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 215vb
15) cf. infra, prop. 190 A

35 sed ... (36) corruptionem *om. O* 44 non[2] *om. sed in marg. suppl. m. post. V* 53 proprium *om. V* 59 dixit Plato: Plato dixit *V*

Alias autem tres tangam secundum intentionem Gregorii Nysseni, qui libro *De homine* 2 cap.[16]) sic dicit: "Quoniam autem neque insubstantialis (scilicet: est ipsa anima) deinceps est dicendum, quia et Dinarkus harmoniam determinavit esse animam, et Simmias contradicens Socrati (scilicet in *Phaedone*) animam harmoniam dixit esse, dicens assimulari quidem animam harmoniae, corpus autem lyrae, exponendum solutiones huius, quae in *Phaedone* Platonis positae sunt. Igitur una quidem est, quae ex praedemonstratis ab eo est. Praedemonstratum est enim ab eo, quoniam doctrinae rememorationes sunt. Hoc igitur assumens ut concessum construit sermonem suum ita: Si doctrinae rememorationes sunt, erat nostra anima, antequam in humana specie generaretur. Si autem harmonia est, prius quidem non erat, postea autem facta est compacto corpore". Et infra[17]): "Falsum est igitur animam harmoniam esse. Amplius anima quidem et adversatur corpori et principatus habet rationem quasi principans eius, harmonia autem neque praeest neque adversatur. Non igitur anima est harmonia. Amplius harmonia magis et minus est, harmonia in remissione et intensione est, in ratione autem animae hoc impossibile est. Impossibile est enim rationem, quod magis et minus habere, sed unum sunt harmonia". Et infra[18]): "Anima autem non est magis et minus. Non igitur harmonia est anima. Amplius anima virtutem et malitiam suscipit, harmonia autem compactionem et incompactionem non suscipit. Non igitur anima est harmonia. Amplius anima, cum suscipiat contraria seorsum, substantia est et subiectum, harmonia autem qualitas est et in subiecto, substantia autem a qualitate aliud est. Et anima ergo ab harmonia aliud est. Harmonia nempe participare animam non est inconveniens; sed non ex hoc harmonia est, neque enim, quod virtute participat, virtus est". Haec Gregorius.

Et tunc subiungit[19]) positionem Galeni, quam construit ex sermonibus Hippocratis, ex qua sequitur omne corpus habere animam, quod est falsum; item anima alterari secundum diversas aetates; item esse qualitatem, quae adest et abest praeter subiecti corruptionem, et sic esset sensibilis. Et infra[20]): "Aristoteles autem animam entelechiam dicens nullominus concordat cum his, qui qualitatem eam dicunt. Exponamus autem prius entelechiam, quid vocat. Substantiam tripliciter esse dicit, hoc quidem ut hyle, id est materiam subiectam, quod secundum se ipsum quidem nihil est, potestatem autem habet ad generationem; aliud vero formam et speciem,

[16]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 22,18–23,2; Verbeke–Moncho 30,72–82; etiam apud Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216va
[17]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 23,7–13; Verbeke–Moncho 31,87–94
[18]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 23,16–23; Verbeke–Moncho 32,97–4
[19]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 23,24 sqq.; Verbeke–Moncho 32,5 sqq.
[20]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 26,13–28,10; Verbeke–Moncho 35,75–38,25

73 quasi: *an* quod *scrib. est?* 75 intensione: intentione *O* 80 substantia est: est substantia *V* 85 construit: construxit *V* 87 adest et abest: abest et adest *V*

secundum quam specificatur hyle; tertium vero illud, quod utrumque, quod ex hyle et specie est generatum, quod est de reliquo animatum. Est igitur hyle quidem virtus (id est potentia), species vero entelechia. Hoc autem dupliciter, hoc quidem ut disciplina, alia autem ut contemplari secundum disciplinam, hoc est hoc quidem ut dispositio, alia vero ut actus. Disciplina quidem, quoniam in existendo animam et evigilantia est et somnus. Evigilantia quidem proportionalis est ei, quod contemplatur, somnus autem ei, quod videt et non agit. Prior autem est disciplina actu. Ideo primam entelechiam vocat speciem, differentiam vero actum, ut puta oculus ex subiecto est et specie; et est subiectum quidem unum ei, quod autem suscipit visum, est hyle oculi. Vocatur autem et haec aequivoce oculus. Species autem et entelechia, qui primus oculi motus, ipse est hoc, qui visus, qui posse videre ei tribuit, secunda vero entelechia est, quae oculi actus, secundum quem videt. Sicut enim, qui modo genitus est catulus, neutram quidem habet entelechiam, potentiam vero habet suscipiendi entelechiam, ita oportet accipere et quod animae. Sicut enim illic genitus visus perficit oculum, ita hic genita anima in corpore perficit animal, ut neque sine corpore sit umquam anima neque corpus sine anima. Sed primum quidem zoticam (id est vegetabilem) quidem partem animae animam vocat separans ab ea rationale. Oportebat autem omnem simul suscipere animam hominis et non a parte, et hoc ab imbecillissima de toto enuntiare. Deinde ait corpus potestate vitam habere et antequam generata sit anima, dicit enim corpus potestate vitam habere in se ipso. Oportebat autem corpus, quod potestate vitam habet, prius actu esse corpus. Non potest autem actu esse corpus, antequam suscipiat speciem. Hyle enim est sine qualitate et non corpus. Impossibile ergo est, quod non est actu potestatem habere ad hoc, ut fiat quid ex eo. Si autem et corpus potestate est, qualiter, quod potestate est corpus, potestate vitam habere in se ipso potest? Et alioquin (id est praeterea) in aliis quidem possibile est habentia quid non uti eo, ut puta visum habentem non uti eo. In anima autem impossibile est. Neque enim, qui dormit, sine spirituali actu est. Et enim nutritur et augetur et imaginatur et respirat, quod maxime est vitae argumentum. Ex his igitur manifestum est, quoniam potestate vivere non potest inesse alicui, sed omnino actu. Antecedenter enim (id est principaliter), quod specificat animam, nihil aliud est quam vita. Nam animae quidem complantata est vita, corpori autem secundum participationem. Qui dicit igitur sanitatem proportionalem esse vitae, non animae vitam dicit, sed eam, quae est corporis, et ita sophismatur. Nam corporalis quidem substantia secundum partem contrariorum est susceptiva; quae autem secundum speciem est, nequaquam.

102 haec: hoc *O* 103 oculi *scr.*: oculus *codd.* 112 et ... (113) habere *om. ed.*
122 omnino: non *O*

Si enim ea, quae secundum speciem est differentia, transmutata fuerit, transmutatur et animal. Quare non ea, quae secundum speciem est substantia, contrariorum est susceptiva, sed ea, quae est secundum subiectum, hoc est, quae est corporalis. Non potest igitur anima secundum ullum modum entelechia corporis esse". Haec Gregorius contra Aristotelem.

Non sum autem nescius responsionis quorundam[21]) ad obiecta Gregorii.

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis ipse Gregorius[22]) quasi ex adverso dicit, quod "anima" est "substantia antotelis, id est per se perfecta incorporea". Secundum partem enim suscipit contraria, malitiam et virtutem, quod non poterat species suscipere. Et infra[23]): "Eunomius autem determinavit animam substantiam incorpoream in corpore creatam conferens simul omnia utilia a Platone et Aristotele persuasus. Igitur substantiam quidem incorpoream a Platone suscipit, in corpore vero creatam ab Aristotelis doctrina non intelligens, etsi acutus fuerit, quoniam congregare in idem temptat ea, quae sunt non contingentia. Omne enim, quod generationem habet corporalem simul et temporalem, corruptibile est et mortale". Et infra[24]): "Aut igitur mortalem eam dicat, ut Aristoteles, qui dixit in corpore genitam eam esse, et ut Stoici, aut dicens eam substantiam esse incorpoream renuat dicere in corpore creari, ut non mortalis animae intelligentiam nobis repraesentet et omnino irrationabile".

Et hoc sufficiat de tertio et primo principali.

Circa propositum duo faciam secundum duas partes elementi, quia primo dicam de animae incorporeitate, secundo de ipsius a corpore separabilitate.

Circa primam partem tria faciam, quia primo ostendam animam non esse corpus in generali, secundo deducam hoc secundum diversitatem opinionum in speciali, tertio ex praemissis ostendam propositum primae partis in seyra animeali.

D »De primo, ut sermo sit generalior et etiam extendatur ad idola animarum, scilicet vegetabilem, sciendum, quod nulla anima qualiscumque illustratio est corpus. Tum quia impossibile est unum corpus totaliter penetrare corpus, cui adiungitur, per Calcidium super *Timaeum*[25]), sed nulla pars corporis expers est vitae vegetabilis. Tum quia omne corpus adiunctum corpori continuatur vel contiguatur vel commiscetur ei; sed anima nullo istorum modorum se habet ad corpus subiectum, rerum enim diversarum naturarum non est continuatio«[26]), quia "continua sunt, quorum termini unum" per primam definitionem *Elementationis physicae*[27]); »similiter nec contiguatur, quoniam ex contiguatis non fit vere unum

[21]) cf. Alb., Summa theol. II 12 69; Borgnet 16a–b; De homine, De diff. Arist. 1.1.1,n.9; Anzulewicz–Sôder 30,47–51
[22]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 28,9–11; Verbeke–Moncho 38,24–27
[23]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 30,18–23; Verbeke–Moncho 40,87–41,93
[24]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 31,5–8; Verbeke–Moncho 41,00–4
[25]) Calcid., Comm. 227; Waszink 243,4–5
[26]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 19; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 217ra–b
[27]) Procl., Elem. phys. I def. 1; Boese 30,3

146 non *iter. O* 150 primam partem: partem primam *O* 160 unum *om. O*

sicut ex anima et corpore; sed nec miscetur corpori, quia miscibilium quodlibet desinit esse quantum ad formam propriam, "mixtio enim est miscibilium alteratorum unio"[28]). Tum quia, si anima est corpus, aut est elementum aut elementatum aut corpus quintae essentiae; corpori autem priorum duorum modorum debetur motus rectus, quare anima non movet corpus nisi ad unam partem tantum. Similiter nec erit caeleste, quia non moveret nisi motu circulari.«[29]) Immo si esset corpus simpliciter, non moveret, cum omne corpus inquantum huiusmodi sit quiescens, ut ostendit Avencebrol libro III cap. 43[30]); tum quia omne corpus subiacet omnibus sensibus aut quibusdam; »tum quia omne corpus aut est animatum aut inanimatum, anima autem nec subiacet alicui sensui nec est animata nec inanimata; tum etiam quia nullum corpus est de numero eorum, quae sunt in subiecto, anima autem est substantia secundum formam et in subiecto, quod non est in actu, quare non est corpus.«[31])

»Ad idem faciunt omnes rationes Aristotelis[32]), quibus probat animam esse formam, non materiam aut compositum. Nam cum omne corpus sit compositum, anima autem respectu corporis forma est per se perfecta et simplex, igitur non est corpus.«[33])

Et hoc de primo.

De secundo, scilicet de deductione opinionum errantium circa incorporeitatem E animae, recolligam summatim intentionem Gregorii, quam prosequitur libro *De homine* 2 cap.[34]) in principio sic dicens: "Dissonat autem omnium fere antiquorum is, qui de anima sermo. Nam Democritus quidem et Epicurus et omnis Stoicorum philosophorum coetus corpus animam enuntiant. Sed et hi ipsi, qui corpus animam enuntiant, differunt de substantia eius. Nam Stoici quidem spiritum dicunt eam calidum et igneum esse. Critias vero sanguinem. Hippus vero philosophus aquam. Democritus vero ignem. Sphaeriformes enim figuras atomorum concretas et ignem et aerem animam perficere ait. Heraclitus vero totius (id est universi quidem) animam evaporationem ex humidis, eam vero, quae in animalibus est, animam et ab ea, quae exterius, et ab ea, quae in eis est, evaporatione homogenem uniformem genitam esse ait". Et infra[35]): "Igitur communiter quidem adversus omnes, qui corpus animam esse dicunt, sufficient, quae ab Ammonio, doctore Plotini, et Numenii Pythagorici dicta sunt. Sunt autem haec: Corpora propria natura

28) cf. Arist., De gen. et corr. I 10, 328b22–23; transl. vetus: Judycka 51,6–7
29) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 19; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 217rb
30) Avenc., Fons vitae III 43; Baeumker 176,4–5
31) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 19; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 217rb et 217vb
32) Arist., De an. II 2, 414a12–28
33) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 19; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 217vb
34) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 16,12–21; Verbeke–Moncho 23,13–23
35) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 17,16–19,8; Verbeke–Moncho 24,41–26,84

185 spiritum dicunt: dicunt spiritum *V* 186 Hippus: Ipse *V* 190 homogenem: *an* homogenerem *scrib. est?*

vertibilia existentia et dispartibilia et per totum in infinitum miscibilia nullo in eis intransmutabili derelicto indigent conducente et continente et velut constringente et copulante ea, quod animam dicimus. Si igitur corpus est anima qualecumque etsi partibus subtilissimum, quid rursus est, quod continet illam? Demonstratum enim est omne corpus indigere continente et ita in infinitum, donec veniamus ad incorporeum. Si autem dixerint sicut Stoici validum quendam esse motum circa corpora, qui ad interiora simul et exteriora movetur, et eum quidem, qui est ad exteriora, magnitudinem et qualitatum esse effectivum, eum vero, qui est ad interiora, unitionis et substantiae, interrogandum eos, quia omnis motus est ab aliqua virtute, quae est virtus haec, et in quo substantiatur? Igitur siquidem et haec virtus hyle, id est materia, quaedam est, eisdem rursus utemur verbis; si autem non est materia, sed materiale, aliud autem est materiale quam materia, participans enim materia materiale dicitur, quid, inquam, igitur est, quod participat materia, utrum materia est et ipsa immaterialis? Igitur siquidem materia est, qualiter materiale et non materia est? Si autem non materia est, immateriale ergo, si autem immateriale est, non corpus est. Omne enim corpus materiale est. Si vero dixerint, quoniam corpora tres habent dimensiones, sed et anima totum pertransiens corpus tres habet dimensiones et propterea omnino et corpus est, dicemus, quoniam omne, quod quidem corpus, tres habet dimensiones, non omne autem, quod habet tres dimensiones, corpus est. Et enim locus et qualitas, incorporea existentia, secundum accidens in tumore quantitantur. Essentialiter igitur et ipsi animae secundum se ipsam quidem non insunt tres dimensiones, secundum accidens vero eo, quod est in eo, quod habet tres dimensiones, conspicitur et ipsa tres habens dimensiones. Amplius omne corpus vel extrorsum movetur vel introrsum; sed siquidem extrorsum, inanimatum est, si autem introrsum, animatum est. Si autem corpus est anima, siquidem extrorsum movetur, inanimata est; si autem ab intus, animata est. Inconveniens igitur est et animatum et inanimatum dicere de anima. Non igitur corpus est anima. Amplius anima siquidem nutritur, ab incorporeo nutritur, disciplinae enim nutriunt eam. Nullum autem corpus ab incorporeo nutritur. Non igitur corpus est anima. Xenocrates ita concludit. Si autem non nutritur, omne autem corpus animalis nutritur, non corpus est anima. Et hoc quidem communiter adversus omnes, qui dicunt corpus esse animam, proprie vero adversus eos, qui opinantur sanguinem vel spiritum esse animam, quia spiritu vel sanguine separato mortificatur animal", sic procedit[36]), et est summa mediorum, tum quia particula sanguinis defluente particula defluit animae, tum etiam quia multa animata sunt sine sanguine, nec ratio valet, "quia si hoc est anima, quo ablato moritur animal, omnino et phlegma anima est et cholera utraque. Adhuc autem et hepar et cerebrum et

36) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 19,10–20 et 19,24–20,9; Verbeke–Moncho 26,85–27,96 et 27,00–12

194 totum *add.* et *V* | miscibilia: *an* incisibilia *scrib. est?* 204 eisdem: eiusdem *V* | utemur *ser.*: utentur *codd.* 212 quidem corpus: corpus quidem *V* 225 animam: activum *O* 230 anima *coni.*: animal *codd.* | cholera utraque *coni.*: colere utroque *O* colore utreque *V*

cor et alia multa, quolibet enim horum ablato, non movetur animal". "Adversus eos autem, qui dicunt aquam esse animam, quoniam aqua vivificare videtur omnia et sine qua vivere est impossibile", sic arguit, tum quia cibum esset anima; tum etiam "quia multa sunt animalium non bibentia", ut quaedam aquila et perdix. "Propter quid autem aqua est anima et non aer? Nam ab aqua quidem et quam plurimum possibile est abstinere, a respiratione vero aeris neque brevissimum. Sed neque aer est anima. Multa enim sunt viventia non respirantia vero aerem, ut apes et huiusmodi, et omnia quaecumque non habent pulmonem". Et infra[37]): "Quia vero et Cleanthis Stoici et Chrysippi feruntur sermones quidem non contempti-
240 biles, exponendae sunt et horum solutiones, quas fecerunt quidam Platonici. Cleanthes talem complicat sillogismum: Non solum, ait, similes secundum corpus genitoribus fimus, sed et secundum animam passionibus, moribus, dispositionibus. Corporis autem est simile, non incorporei. Corpus igitur est anima. Sed primum quidem ex particularibus universalia construuntur. Ad haec autem et incorporei non esse similitudinem mendacium est. Dicimus enim numeros similes esse". Et infra[38]): "Incorporei autem sunt numeri. Sed et figurae figuris sunt similes". Et infra[39]): "Amplius sicut quantitatis proprium est aequale et inaequale, ita qualitatis simile et dissimile. Incorporea autem qualitates est. Ergo et incorporeum incorporeo simile et dissimile est. Ad haec ait (subaudi: Cleanthes): nullum incorporeum
250 compatitur corpori neque incorporeo corpus. Compatitur autem anima corpori aegrotanti et inciso et corpus animae. Erubescente denique anima rubrum efficitur corpus et timente anima pallidum. Corpus ergo est anima. Est autem et altera maximarum mendacium secundum assumptionem iniacens, quae dicit: Nullum incorporeum corpori compatitur. Intelligibili enim animae hoc adest". Et infra[40]): "Assumit enim, quod quaeritur, negatione. Si autem quis supponat verum, nullum incorporeum corpori compatitur, sed quod infertur, non est in confessione, quoniam compatitur anima aegrotanti et inciso corpori. Dubitatur enim sive corpus solum est, quod dolet suscipiens ab anima sensum, ipsa vero manet impassibilis sive et condolet ipsa corpori. Et tenet magis apud gloriosiores philosophorum,
260 quod prius dictum". Et infra[41]): "Chrysippus autem ait: Mors est separatio animae a corpore; nullum autem incorporeum a corpore separatur; neque enim tangit corpus, quod incorporeum; anima autem et tangit corpus et separatur a corpore.

37) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 20,12–20; Verbeke–Moncho 28,15–23
38) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 21,1–2; Verbeke–Moncho 28,27–28
39) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 21,4–11; Verbeke–Moncho 29,30–39
40) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 21,16–22; Verbeke–Moncho 29,45–51
41) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 22,3–6; Verbeke–Moncho 30,57–70

241 Cleanthes *scr.*: Cleanthis *codd.* | solum: autem *O* 246 sunt similes: similes sunt *O* 249 Cleanthes *scr.*: Cleanthis *codd.* 250 anima *om. O* 255 verum *add.* esse *ed.* 256 quoniam: quod *O* 257 et: ut *V* 259 ipsa: ipsi *V* 261 nullum … incorporeum *iter. O*

Non igitur incorporea est anima. Horum hoc quidem mortem esse separationem animae a corpore verum est, non tangere autem incorporeum corpus falsum quidem est universaliter dictum, in anima vero verum est. Falsum quidem est, quia et linea incorporea existens tangit corpus et separatur ab eo; similiter et albedo. In anima vero verum est, non enim tangit corpus anima. Si enim tangit corpus anima, manifestum est, quoniam adiacet ei. Si autem hoc est, non toti adiacet, impossibile enim est corpus corpori toti adiacere. Et ita non erit totum animatum animal. Si autem totum est animatum, neque tangit neque corpus est anima. Animal autem totum animatum est. Neque ergo tangit neque corpus est et separatur incorporea existens". Hucusque Gregorius.

Et sufficiat de secundo.

F Ex praemissis apparet evidenter propositum, scilicet quod omnis anima est incorporea substantia. Si enim anima vegetabilis habens "ultimam resonantiam vitae"[42]) est substantia incorporea, clarum poterit esse per id ipsum et sensibilem et rationalem animam et multo magis intellectualem et divinam esse substantiam incorpoream et esse super naturam corporis. Quanto enim constat operationes istarum esse nobiliores et digniores, tanto oportet substantias earum esse eminentiores et praestantiores. Unde cum constet operationes animae sensibilis nobiliores esse operationibus animae vegetabilis et operationes animae rationalis longe excellentiores operationibus animae sensibilis et divinis operationibus similiores, et operationes animae intellectualis et divinae omnibus eminere aliarum animarum operationibus, tunc substantia animae rationalis est nobilior substantiis sensibilis et vegetabilis et substantia animae intellectualis et divinae et adhuc longe excellet substantia animae rationalis. Et cum declaratum sit animam vegetabilem, quae est solum illustratio debilis, esse substantiam incorpoream, declaratum est omnem animam esse substantiam incorpoream.

Et hoc de tertio et prima parte principali.

Circa secundam partem tria faciam, quia primo dicam de separabilitate animarum a corpore in generali, secundo de separabilitate animae rationalis in speciali, tertio de separabilitate animae intellectualis et divinae a natura corporali.

G De primo sciendum, quod auctor libro *De fato et providentia* cap. 6[43]) volens dare discussionem, quae animarum sit separabilis a corporibus et quae inseparabilis, sic dicit: "Sume hanc (scilicet discussionem) ab Aristotelis philosophia. Dicit autem ille omnem animam habentem operationem corpore nihil indigentem et substantiam alteram sortitam esse talem extra corpus et separabilem, et hoc necessarie. Si enim operatione sine corpore ente substantiam ferentes in corpus ordinemus,

[42]) Dion., De div. nom. 6 1; PG 3, 856B; Suchla 191,5–6; Dionysiaca 371B; transl. Sarraceni: Simon 329,78

[43]) Procl., De prov. 6, n.15; Boese 122,2–10

280 sensibilis ... (281) operationes *om. O* 282 excellentiores *add.* ex *V* 287 incorpoream *om. V sed in marg. m. post. suppl. V* | declaratum ... (288) incorpoream *om. O* 289 Et ... principali *om. O*

melior operatio erit quam substantia, nihil ipsa indigens deteriorum, ut habeat secundum naturam radicata in illo. Sed hoc impossibile. Necesse ergo separabiliter a corpore operantem et esse a corpore ipsam separabilem". Haec auctor.

Cum igitur idola animarum, puta vegetabilis et sensibilis, nullam operationem exerceant sine corpore, manifestum est eas esse inseparabiles a corporibus, et per consequens de eis non intenditur in toto decursu istius tractatus, quo de anima agitur.

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod anima rationalis partim est inseparabilis a corpore, H scilicet quoad partem vegetabilem et sensibilem, cum operationes talium partium indigeant corpore – immo sine corpore nullo modo valeant exerceri, sicut ostendit auctor de sensu et appetitu sensitivo ubi supra[44]), et multo magis hoc necessarium est circa vegetationem, cuius opera sunt generare, augere et nutrire –, partim vero est separabilis a corpore, scilicet qua est rationalis, intellectualis et intelligentialis, sicut ibidem[45]) ostenditur evidenter, et est signatum super praemissa[46]).

Unde et auctor eiusdem ostensionis memoriam faciens 11 cap. eiusdem libri[47]) sic dicit: "Et quidem, ut alicubi et prius ostendimus, sensu quidem omni inseparabili a corporibus ente et ad se ipsum converti impotente, rationali autem illa et intellectuali vita se ipsam (scilicet animam) cognoscere apta nata et propter sui ipsius cognitionem ad se ipsam convertente, quia et omne cognitivum secundum operationem conversum est ad cognoscibile, quare et quod sui ipsius ad se ipsum". Omne autem, quod ad se ipsum conversivum, habet substantiam separabilem ab omni corpore per 16[48]). Omne enim, quod secundum operationem ad se ipsum est conversivum, etiam secundum substantiam est conversivum ad se ipsum per 44[49]). "Qualem igitur" subiungit auctor[50]) "vides intellectualis animae et sensitivae identitatem? Eius, quae deorsum respicit, ad eam, quae sursum tendit in totorum principia? Consepultae in corporibus ad eam, quae pura est, in corporibus in his, quae secundum naturam operationibus? Eius, quae nusquam veritatem cognoscere potest, ad eam, quae semper tendit ad ens?" Et infra[51]): "Addiscens utique considerans, quod hoc primum opus est scientiarum harum (scilicet geometriae et arithmeticae) cessare ab anima eam, quae cum sensibus operationem et abducere ex his ut possibile et assuefacere intus videre et rationes videre immateriales

44) Procl., De prov. 6,n.16; Boese 122,11–124,19
45) Procl., De prov. 6,n.17–19; Boese 124,1–128,24
46) cf. supra, prop. 185 L
47) Procl., De prov. 11,n.41; Boese 150,8–14
48) Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
49) Procl., Elem. theol. 44; Dodds 46,1–2; Boese 26,1–2
50) Procl., De prov. 11,n.41; Boese 150,14–19
51) Procl., De prov. 11,n.43; Boese 152,3–154,12

299 habeat *coni.*: hac *codd.* 301 et *om. O* 309 immo: ideo *in marg. V* | corpore ... valeant *om. sed in marg. m. post. suppl. V* 330 intus: intellectus *V* | rationes *coni.*: ratione *codd.*

et demonstrationes inquirere contrariantes sensibus. Hi quidem enim rebus aut impartibilitatem, hic autem ab impartibilibus esse existentiam partibilibus ait, et principia his quidem partibilia, his autem impartibilia. Et sensus quidem, quae aliquod et singularia cognoscere putant, hae autem universalia et quorum eadem natura semper, quam non a sensibilibus acceperunt". Haec auctor.

Ex quibus omnibus evidens est animam rationalem, quae versatur circa universalia, et multo magis, quae est intellectualis et intelligentialis, esse a corpore separabilem.

Et hoc de secundo.

1 Verum cum anima totalis nec sit sensitiva nec eo modo vegetativa, quo vegetatio in inferioribus invenitur propter corporum suorum corruptibilitatem, ideo et se tota est coniuncta, inquantum vegetat et movet corpus motu vitali. Et sic necessarium est eam esse »intrinsecam suo corpori subiecto secundum penetrationem essentiae, quod est unio per essentiam«[52]). »Cum enim talis anima vel sit divina vel ad minus intellectualis, nihil extraneae naturae habet in sua substantia, sed totum, quidquid est, essentialiter est, et per consequens non unitur, cui unitur, nisi essentialiter. Non enim potest uniri per contactum cuiuscumque extraneae naturae seu accidentalis dispositionis, cum nullius talis sit capax. Igitur unitur et continet subiectum suum tamquam intrinsecum principium formale modo essentiali«[53]).

Non obstante autem tali unione per essentiam, nihilominus tamen talis anima est per essentiam separata. Cum enim nec sit corpus nec virtus corporalis, nec subiciatur accidentibus corporalibus nec per se nec per accidens, nec habeat aliquam alietatem principiorum, in quibus subsistit et ex et in quibus componatur, ut statim inferius apparebit[54]), nec sit receptiva alicuius extraneae naturae, necessarium est ipsam totaliter esse separabilem a corpore, utpote, quae se tota se totam movet. Omne enim se ipsum movens primo, ad se ipsum est conversivum per 17[55]), et sic habet substantiam separabilem ab omni corpore per 16[56]), et quae se tota in se ipsam totam convertitur. Omne enim sui ipsius cognitivum ad se ipsum omniquaque conversivum est per 83[57]). Anima autem totalis est sui ipsius cognitiva, cum sit contemplativa deorum et humanis emineat animabus, quae se ipsas cognoscunt, ut supra ostensum est[58]).

Et sic apparet intentio elementi.

52) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 35 5; Sturlese 41,29–30
53) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 35 7; Sturlese 42,39–44
54) cf. infra, prop. 187 D
55) Procl., Elem. theol. 17; Dodds 18,21; Boese 12,1
56) Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
57) Procl., Elem. theol. 83; Dodds 76,29–30; Boese 43,1–2
58) cf. supra, prop. 184 F

340 totalis: rationalis *V* 341 corruptibilitatem *coni.*: incorruptibilitatem *codd.* 346 cui unitur *om. O* 349 formale *coni.*: formali *codd.* 353 et² *om. V*

COMMENTUM

Si enim cognoscit se ipsam, omne autem, quod se ipsum cognoscit, ad se ipsum convertitur, quod autem ad se ipsum convertitur neque corpus est. Omne enim corpus ad se ipsum inconversivum neque a corpore inseparabile, etenim a corpore inseparabile non est natum ad se ipsum converti, separaretur enim utique sic a corpore anima. Ergo neque corporea est substantia neque a corpore inseparabilis. At vero, quod cognoscit se ipsam, manifestum. Si enim et, quae sunt super ipsam, cognoscit, et se ipsam nata est cognoscere multo magis, tamquam a causis, quae ante ipsam, cognoscens se ipsam.

Probatio elementi talis est: Omne cognoscens se ipsum est incorporea substantia et separabilis a corpore; sed omnis anima est huiusmodi: ergo etc.

Maior deducitur sic in littera: Omne, quod convertitur ad se ipsum, est incorporea substantia et separabilis a corpore. Per 15[59]) enim omne, quod ad se ipsum conversivum est, incorporeum est, et per 16[60]) omne ad se ipsum conversivum habet substantiam separabilem ab omni corpore. Istam maiorem deducit auctor in littera dicens, quia omne corpus est inconversivum ad se ipsum et omne inconversivum ad se ipsum neque est inseparabile a corpore. Nam inseparabile non est natum converti ad se ipsum, quia pro certo sic separaretur a corpore anima.

Ergo. Hic infertur principalis conclusio.

At vero. Hic probatur minor principalis rationis sic: Omne, quod cognoscit ea, quae sunt supra se ipsum, etiam multo magis cognoscit se ipsum; sed omnis anima cognoscit ea, quae sunt supra ipsam: ergo omnis anima cognoscit se ipsam. Maior istius deducitur: Quidquid cognoscit causam, cognoscit causatum; sed omnis anima cognoscit deos, sive divina sive intellectualis sive transmutans ab intellectu ad non intellectum per praemissam[61]): ergo etc.

59) Procl., Elem. theol. 15; Dodds 16,30; Boese 11,1
60) Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
61) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,1–3; Boese 90,1–4

364 se ipsam: se ipsum *V* | quod … convertitur *om. O* 366 etenim … inseparabile *om. sed in marg. m. post. suppl. V* 372 etc. *om. V* 377 corpus est *om. O* | et … (378) ipsum *om. O* 383 ea… cognoscit *om. sed in marg. m. post. suppl. V*

PROPOSITIO 187
OMNIS ANIMA IMPARTIBILIS EST ET INCORRUPTIBILIS

Positis et ostensis duabus condicionibus convenientibus omni animae secundum se nunc auctor prosequitur alias duas condiciones, quae sequuntur ex praemissis, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum scilicet et propositum.

Circa suppositum tria faciam, quia primo ostendam omnis animae immaterialitatem, secundo eius simplicitatem, tertio ipsius simplicitatis ad intellectuales hypostases differentem proprietatem.

A De primo sciendum, quod omnis anima est immaterialis, hoc est, quod nulla anima habet materiam partem essentiae suae ita, quod sit composita ex materia et forma.

Et hoc primo ostenditur ex materiae condicione, secundo ex animarum propria ratione, tertio ex earum operatione.

»Condiciones materiae proprie dictae sunt, quod est ens potentia per essentiam suam et per consequens ens indeterminatum, et sic pluribus modis determinabile, potestate continens omnes actus sui determinativos, et est una potentia contrariorum, cuius potentiae ambitum non exhaurit quicumque actus, sub quo stat, et sic numquam denudatur privatione, et per consequens nec ordine ad alium actum, et ex his necessario subiecta est generationi et corruptioni«[1]).

Ex prima condicione sequitur, quod materia per se ipsam intelligi non potest[2]). Ens enim potentia non habet esse nec rationem nisi ad actum, ad quem est, secundum Aristotelem IX *Metaphysicae*[3]). Et sic etiam dicit Aristoteles in I *Physicorum*[4]), quod materia non est scibilis nisi in analogia ad formam, quare materiale inquantum materiale non est intelligibile; multo fortius, materiale inquantum tale non est intellectuale, nec aliquid eius est intellectus. Cum igitur omnis anima, de qua agitur, sit intellectualis et vel se tota intellectus vel ad minus habens intellectum partem suae substantiae nobilissimam, ipsa non erit materialis. Et confirmatur ratio, quia nihil intelligitur nisi abstractum a materia, quare illud, cuius est per se intelligere, necesse est a materia separari.

[1]) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. I 18; Mojsisch 332,164–170
[2]) cf. Arist., Metaph. VII 10, 1036a8–9
[3]) Arist., Metaph. IX 8, 1050a4
[4]) Arist., Phys. I 7, 191a7–8

5 etc. *om. V* 6 scilicet *om. V* 24 etiam dicit: dicit etiam *O* 27 de ... (28) agitur *om. O*

Ex prima et secunda condicione sequitur, quod nullum habens materiam partem sui est se toto actus et forma. Materia enim est ens potentia eo modo potentiae, quo potentia transit in actum secundum formam, et sic, quantum est de se, est indeterminata, determinabilis autem per actum formae, quae est quid determinatum. Sed omnis anima est se tota actus et forma eius, quod animat et vivificat. Ergo non habet materiam partem sui. »Et confirmatur ratio, quia omnis forma, quo est nobilior, eo est simplicior secundum Averroem super XI *Metaphysicae*[5]), ubi vult, quod nobilitas substantiae est "in paucitate compositionis". Si igitur aliquam inveniamus formam minus nobilem anima rationali vel totali, quae non habet materiam, omnis anima, de qua agitur, erit omnino immaterialis. Medium istius rationis apparet, quia lapideitas, quae est forma lapidis, inquantum forma non habet materiam, alias enim procederetur in infinitum. Ergo nec forma vegetabilis nec sensibilis nec rationalis nec intellectualis nec divina habebunt in sui essentia materiam. Et ipse Averroes[6]) videtur hoc probare specialiter de forma seu anima vegetabili, quia nulla forma, quae non est aliquid praeter hoc, quod est forma, habet materiam aliam quam subiectum, cuius est forma, alias enim secundum totale esse suum non esset in ratione formae. Quod vero anima vegetabilis in plantis et sensibilis in animalibus sint tales formae, manifestum est, quia, si essent aliquid praeter hoc, quod sunt formae et actus corporum, iam non essent virtutes in corpore, nec penderet earum esse ex corpore, cum essent aliquid in se praeter corpora. Si igitur formae ignobiliores sunt simplices et immateriales, multo fortius animae nobiles erunt formae omnino immateriales.«[7])

Item ex dictis condicionibus cum tertia sequitur, quod »materia est, per quam res habet potentiam ad esse et non esse secundum Aristotelem VII *Metaphysicae*[8]); igitur omne habens materiam est generabile et corruptibile. Quare cum omnis anima sit intransmutabilis essentiae, ipsa erit immaterialis. Et super hoc fundatur ratio Aristotelis, Averrois, Theophrasti et Themistii III *De anima*[9]), quod intellectus possibilis non est hoc nec habet materiam, quoniam "est substantia neque generabilis neque corruptibilis". Cum igitur intellectus possibilis sit aliquid animae rationalis, ipsa non erit secundum se totam materialis, id est habens partem essentiae suae materiam. Praeterea numquid non probat ibidem Aristoteles secundum expositionem Averrois[10]), quod intellectus possibilis est "aliud" "a materia et forma"

5) Averr., Metaph. XI comm. 51; Venetiis 1562, 336vI; cf. etiam supra, prop. 9 D; Pagnoni-Sturlese 172,208–210
6) Averr., Metaph. XI comm. 51; Venetiis 1562, 336vI
7) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 23; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 222va
8) Arist., Metaph. VII 7, 1032a20–22
9) Averr., De an. III comm. 5; Crawford 389,57–62; cf. supra, prop. 171 D; Jeck–Tautz–Bray 114,158–162
10) Averr., De an. III comm. 4; Crawford 386,89–90; cf. supra, prop. 171 D; Jeck–Tautz–Bray 114,169–170

38 super *om. V* 56 igitur: ergo *O* 59 possibilis: potentialis *O* | neque: nec *V* 62 non *om. sed m. post. suppl. V*

materiali "et congregato ex" eisdem? Unde et infert[11]), quod est simplex separabilis non habens formam materialem, cum sit receptivus formae materialis, et "recipiens" debet esse "denudatum" a recepto "in specie". Si enim haberet materiam secundum Aristotelem et Averroem esset transmutabilis et vere passivus in intelligendo, quod ipse negat in eodem.«[12])

Ex praemissis condicionibus et quarta sequitur, si anima habet materiam, quod talis materia continet plures actus potestate; ergo stans sub uno actu est in potentia ad alium.

Et quia eadem est potentia contrariorum per quintam condicionem et unus actus non exhaurit talem potentialitatem materiae per sextam, ideo necessario cadit privatio in talem materiam sicut in proprium subiectum per septimam. Igitur determinatione facta per unum actum necessario stat materia sub privatione alterius actus et per consequens stat sub ordine et aptitudine ad ipsum per octavam condicionem.

Igitur materia talis est subiectum generationis et corruptionis per se secundum rationem suae essentiae. Quare habens talem materiam est generabile et corruptibile.

Cum ergo anima non sit talis, ergo nec materialis seu habens materiam. »Et propter hoc Aristoteles II *De anima*[13]) probat animam non esse materiam nec compositum ex materia et forma, sed tantum formam.«[14])

B Secundo patet idem ex animarum propria ratione.

Omnis enim anima est substantia ingenerabilis et incorruptibilis habens differentiam quantum ad modum constitutionis suae in natura ad modum constitutionis generabilium et corruptibilium substantiarum.

»Substantiae enim ingenerabiles et incorruptibiles, qualis est omnis anima, de qua agitur, quantum ad id, quod sunt, prius natura sunt entia ut simpliciter et secundum speciem quam entia individualia. Et hoc dixerim in genere talium animarum, quae cum hoc, quod sunt entia simpliciter et secundum speciem, unaquaeque, inquam, secundum se, tamen nihilominus determinantur ad esse entia individua et ideo prius natura sunt id, quod sunt, ut simpliciter secundum speciem, et sic constituta sunt a natura. Quare etiam sunt ingenerabiles et incorruptibiles secundum suas essentias et per consequens non vegetantur, et unaquaeque earum est in actu, immo actus secundum suam essentiam. Ens enim ut simpliciter et secundum speciem se toto secundum substantiam est in actu et

11) Averr., De an. III comm. 4; Crawford 385,65–69; cf. supra, prop. 171 D; Jeck–Tautz–Bray 114,164–167
12) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 23; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 222rb
13) Arist., De an. II 2, 414a12–28
14) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 23; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 222rb

82 nec: neque *O*

actus quidam. Unde si qua principia habet omnis talis anima, sunt principia formalia, quae sunt ante totum secundum Aristotelem VII *Metaphysicae*[15]). Et ideo materiale principium, quod est pure ens potentia, non erit in talibus animabus«[16]).

»Entia vero secundi generis praemissi, scilicet substantiae, quarum unaquaeque prius natura est hoc et individuum et secundo ordine invenitur in ea natura speciei suae, sic unaquaeque earum constituitur per naturam, ut videlicet prius ordine naturae sit hic et nunc. Ideo huiusmodi substantiae quantum ad suam formam indigent fundamento materiali. Quia enim talium unaquaeque invenitur et constituitur ut nunc, necessario generatur ut nunc ex alio et sic ex materia, nec continuari potest per generationem sua species sine subiecta materia«[17]). Patet igitur omnem animam utpote substantiam ingenerabilem et incorruptibilem esse immaterialem.

»Sed forte dices animas esse immateriales, secundum quod materia est subiectum generationis et corruptionis, non autem simpliciter removeri ab eis materiam«[18]).

»Verum contra hoc est Aristoteles VIII *Metaphysicae*[19]) assignans causam unitatis eorum, quae sunt composita ex materia et forma. Dicit enim huius unitatis causam esse ipsum agens, quod extrahit id, quod est in potentia ens, in actum ita, quod id ipsum, quod prius fuit ens potentia, facit esse ens in actu. Ubi ergo non est exitus de potentia ad actum, non est dare causam unitatis nisi ipsam simplicem substantiam talis entis, si tamen tale ens potest dici esse causa unitatis respectu sui ipsius. Hinc est, quod etiam definitiones formales, quae dantur ex genere et differentiis, sunt unum non per exitum vel extractionem potentiae ad actum vel per aggregationem partium definitionis[20]). Definitiones enim non constant per aggregationem partium definitionis, sed sunt unum unitate ultimae differentiae, quae colligit in se unitate essentiali omnes partes talis definitionis. Talis igitur unitas, scilicet simplicis essentiae, attribuenda est animabus et omnibus aliis substantiis, quae non exeunt de potentia ad actum, et ita non sunt compositae ex materia et forma«[21]).

»Unde et Aristoteles ibidem, scilicet in VIII[22]), tradit quandam regulam convertibilem, talem videlicet, quod "quaecumque entia non habent materiam, neque sensibilem neque intelligibilem, unumquodque eorum statim est ens et unum"

15) Arist., Metaph. VII 10, 1035b14–20
16) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 25; Mojsisch 335,252–269
17) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 26; Mojsisch 335,270–336,277
18) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 3 3; Mojsisch 336,8–10
19) Arist., Metaph. VIII 6, 1045a23–25
20) cf. Arist., Metaph. VII 4, 1029b16–27
21) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 3 6; Mojsisch 336,18–337,35
22) Arist., Metaph. VIII 6, 1045a36–b1

104 formam: substantiam *O* 105 fundamento materiali: materiali fundamento *O* 111 subiectum: substantiam *O* 125 ad *om. sed m. post. suppl. V* 129 neque: nec *V* | statim *om. O*

sicut ea, quae non sunt in genere. Igitur manifeste apparet ex hac sententia Aristotelis, quod omnes substantiae simplices – quales sunt animae, de quibus agitur –, quia non habent materiam, ex eo sunt statim unum et ens, statim, inquit, non ex compositione aliquorum principiorum materialium et formalium, sed sui ipsarum unitate essentiali. Unde Averroes ibidem[23]) super illud "statim": Id est, quiditas eorum est esse eorum. Item: non per exitum de potentia ad actum. In hoc enim assignat differentiam talium entium quantum ad suae substantiae unitatem ad ea, quae ante praemisit[24]), quae sunt unum per exitum de potentia ad actum. Et secundum hoc attribuit[25]) eis tertium, scilicet quod non sunt vere in aliquo genere, quia videlicet carent radicali fundamento totius generis, quod est materia, quae terminatur in diversis per diversas formas, quod est ratio coordinationis plurium generum seu specierum in uno genere reali, scilicet substantiae. Si autem aliqua dicantur esse in genere substantiae, quae carent materia, hoc est per quandam famositatem et logicalem considerationem[26]), secundum quam dividitur genus substantiae per corporeum et incorporeum, cum tamen secundum veritatem, sicut ostendit Aristoteles circa finem X *Metaphysicae*[27]), talia differant plus quam genere propter diversitatem principiorum ipsorum. Igitur convertibiliter idem est esse statim unum et ens et non esse in aliquo genere cum eo, quod est non habere materiam, neque sensibilem neque intelligibilem. Ad hoc etiam facit, quod in perpetuis non differt esse et posse[28])«[29]).

Cum igitur anima sit perpetua et sic statim ens et unum et extra genus simpliciter, nulla materia erit in eius constitutione.

C »Idem patet tertio considerando esse animarum in ordine ad finem, qui est earum propria operatio. Finis enim imponit rationem et modum agenti, agens autem imponit modum essentiae productae ab agente. Stat enim essentia talis sub ordine agentis, agens autem sub ordine finis. Est autem unumquodque entium propter suam operationem propriam sicut propter finem secundum Aristotelem II *Caeli et mundi*[30]). Quidquid igitur istorum esset in natura non propter finem aliqualem vel non pertinens ad finem alicuius entis, frustra esset in universitate entium et in substantia cuiuslibet entis sic instituti, quod non patitur natura, quia secundum Aristotelem III *Caeli et mundi*[31]) natura nihil facit frustra nec deficit in necessariis.

23) Averr., Metaph. VIII comm. 16; Venetiis 1562, 224vK–L et 225rE
24) cf. Arist., Metaph. VIII 6, 1045b21–23
25) cf. Arist., Metaph. VIII 6, 1045b3–7
26) cf. Petrus Hisp., Summ. logic. VII 75; De Rijk 126,31–32
27) Arist., Metaph. X 10, 1058b26–29
28) cf. Arist., Phys. III 4, 203b30
29) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 3 7–9; Mojsisch 337,36–338,59
30) Arist., De cael. II 3, 286a8–9
31) cf. pot. Arist., De cael. II 11, 291b13–14; I 4, 271a33; De an. III 9, 432b21–22; De animal. incessu II, 704b15; VIII, 708a10; De part. animal. II 13, 658a9

141 reali *coni. cum Theod.*: tali *codd.* 153 modum ... (154) imponit *om. V*

Immo, sicut ipse Aristoteles dicit in libro *De progressu animalium* cap. 7[32]), natura nihil facit praeter naturam. Huic etiam alludit Averroes super III *Metaphysicae* in principio[33]) dicens, quod non contingit frustra "in fundamento naturae"«[34]).

»Manifestum est autem, quod ad operationes animarum, de quibus agitur, inquantum huiusmodi nihil pertinet materia in fundamento essentiae suae. Potentia enim, quae est in ipsis ad suas proprias operationes, sufficienter fundatur in substantiis eorum completis in esse et non in aliquo materiali principio, multo fortius quam in corporibus caelestibus, de quibus Aristoteles dicit VIII *Metaphysicae*[35]), quod causa eorum, quae eis insunt per naturam, non est aliqua materia, sed
170 subiectum, id est ipsa substantia corporis caelestis, sicut ipse ibidem exemplificat de luna«[36]).

Sed contra praemissa multipliciter instatur et specialiter de anima rationali, quae transmutatur de intellectu ad non intellectum. Tum quia sola transmutatio facit nos scire materiam secundum Aristotelem[37]) et Averroem IV *Physicorum*[38]), ergo ubi est transmutatio, ibi est materia. Tum quia in ea est actio et passio. Tum quia inveniuntur in ea proprietates materiae, scilicet possibilitas, imperfectio et privatio, et sic materia. Tum quia reducitur de potentia ad actum. Tum etiam quia animealitas est forma communis, quae non videtur diversificari nisi per divisionem materiae.

180 »Ad ista et similia quidam respondent per distinctionem.

Dicunt enim, quod materia dicitur tripliciter. Proprie scilicet, cui admixta est privatio, et talis est subiectum transmutationis, scilicet generationis et corruptionis, et sic "omne habens materiam est generabile et corruptibile", sicut vult Averroes super I *Physicorum*[39]). Minus autem proprie dicitur materia, cui non est admixta privatio, est tamen sub situ et dimensione sicut in caelo, ubi potius nominatur subiectum quam materia secundum Aristotelem VIII *Metaphysicae*[40]). Et de hac materia non sequitur, quod habens eam sit generabile et corruptibile, sed tantum

32) Arist., De animal. incessu XI, 711a7
33) Averr., Metaph. II comm. 1; Darms 54,50
34) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 21; Mojsisch 333,204–334,217
35) Arist., Metaph. VIII 4, 1044b6–11; Averr., Metaph. VIII comm. 12; Venetiis 1562, 219vM–220rA
36) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 21; Mojsisch 334,217–225
37) Arist., Phys. IV 4, 211b31–212a2
38) Averr., Phys. IV comm. 38; Venetiis 1562, 138vI
39) Averr., Phys. I comm. 79; Venetiis 1562, 45rC
40) Arist., Metaph. VIII 4, 1044b6–11; cf. etiam Averr., Metaph. VIII comm. 12; Venetiis 1562, 220rM; De subst. orb. 2 et 3; Venetiis 1562, 6vH et 10rA–B; Alb., Metaph. VIII 2 2; Geyer 403,9–13

161 natura ... (162) facit: nihil facit natura *V* 165 essentiae suae: suae essentiae *O* 177 ad *om. V*

mutabile secundum ubi. Tertio modo dicitur materia communissime, ubi nec est sub privatione nec sub situ, sed tantum sub esse potentiali subicibili formae, qualiter est in incorporeis sempiternis.«[41])

»Materia priori modo dicta negatur in caelo per Averroem super I *Caeli et mundi*[42]), ubi dicit, quod, si caelum haberet materiam, esset generabile et corruptibile. Sed materia secundo modo dicta ponitur in caelo, secundum quod dicit idem super principium VIII *Physicorum*[43]), quod caelum habet materiam localem non generabilem et corruptibilem. Materia vero utroque dictorum modorum negatur in incorporea natura, qualis est anima et intelligentia, et propter hoc dicuntur formae immateriales ingenerabiles et incorruptibiles, sicut dicit Averroes super III *De anima* cap. 6[44]). Tertio tamen modo dicunt materiam poni et esse in anima et in omni natura spirituali praeter simpliciter primam, secundum quod dicit Algazel V *Metaphysicae* cap. 1[45]), quod omne, quod est praeter primum, habet esse potentiale, quod est simile materiae, et esse in effectu, quod est simile formae, et ratio est, quia praeter anitatem habet quiditatem. Et iste modus compositionis invenitur in omnibus secundum ipsum,« et sic concordat cum Avencebrol in libro *Fontis vitae*[46]), qui ponit materiam in omnibus citra primum, licet distinguat eam in universalem et particularem. »Et ad hoc inducunt Averroem super III *De anima* cap. 6[47]), ubi dicit: "Quemadmodum" "sensibile esse dividitur in formam et materiam, sic intelligibile esse debet dividi in consimilia his duobus, scilicet in aliquod simile formae et in aliquod simile materiae, et hoc necesse est in omni intelligentia", aliter "non esset multitudo in formis abstractis". Addit[48]) "et iam declaratum" esse "in *Prima philosophia*" nullam formam liberatam esse "a potentia simpliciter nisi" primam, cuius essentia est quiditas; "aliae autem formae diversantur in essentia et quiditate quoquo modo".«[49])

Sed istam distinctionem refellit auctoritas et ratio.

Auctoritas Dionysii, qui in *Caelesti hierarchia*[50]) ponit angelos omnino immateriales. Item Aristotelis VIII *Metaphysicae*[51]), ut supra[52]) allegatum est de substantiis incorruptibilibus, et XII[53]), ubi ponit intelligentias simpliciter a materia separa-

41) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 24; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 223ra
42) Averr., De cael. I comm. 20; Carmody–Arnzen 38,71–72
43) cf. pot. Averr., Metaph. VIII comm. 4; Venetiis 1562, 211rF; Arist., Metaph. XII 2, 1069b24–26
44) cf. pot. Averr., De an. III comm. 16; Crawford 435,7–436,40
45) Algaz., Metaph. I 5; Mückle 120,21–23
46) Avenc., Fons vitae V 32; Baeumker 317,25–26
47) Averr., De an. III comm. 5; Crawford 409,657–410,663
48) Averr., De an. III comm. 5; Crawford 410,663–667
49) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 24; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 223ra
50) Dion., De cael. hier. 1 2; PG 3, 179A; Suchla 8,1–5; Dionysiaca 730C–731C; cf. etiam ap. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2.3.,1; Mojsisch 336,4–5
51) Arist., Metaph. VIII 6, 1045a23–25
52) cf. supra, prop. 187 B–C
53) Arist., Metaph. XII 9, 1075a2–5

tas, cum dicit in abstractis a materia idem esse intelligens, intellectum, intelligentia et ratio intelligendi, a quibus etiam negat omnem passibilitatem et transmutationem[54]), ergo et omnem materiam.

»Ratio autem huius est, quia impossibile est inveniri in natura rerum materiam aliam ab ea, quae est subiectum generationis et corruptionis, materiam, inquam, quae sit ens pure in potentia. Si enim ponantur duae vel plures tales materiae, aequaliter distabunt a nihilo, cum sint entia pure in potentia, quae eo ipso sunt immediate prope nihil secundum Augustinum XII *Confessionum*[55]). Ergo etiam aequaliter distabunt secundum gradum suae naturae a primo principio, scilicet Deo. Quae enim ab uno termino aequaliter distant, distabunt et aequaliter ab alio termino talis distantiae. Sed quae secundum eundem gradum vere distant a primo principio, Deo, impossibile est ea habere differentiam ad invicem. Eiusdem enim ordinis esse in natura est esse eiusdem entitatis secundum Boethium IV *De consolatione* prosa 2[56]), ubi dicit: "Ens est, quod ordinem retinet servatque naturam; quod vero ab hoc ordine deficit, esse etiam, quod in sui natura situm est, derelinquit". Igitur, quae ponuntur duae vel plures materiae, sunt una materia«[57]).

»Sed fortassis ad istud dicitur quod, quamvis materiae sint entia in potentia in suis essentiis, tamen ex ordine ad diversos actus habent differentiam ad invicem. Sed istud non valet. Ordo enim sive habitudo materiae ad formam consistit in eo, quod propria forma est in propria materia secundum Aristotelem in multis locis[58]), alias enim esset possibile "tibicines tectonicam indui", ut dicitur III *De anima*[59]). Igitur ordo talis sive habitudo materiae ad formam et e converso, cum sit quidam respectus, fundatur in propria ratione et absoluta natura extremorum; quare oportet natura et intellectu prius esse differentiam istarum materiarum in se quam diversam habitudinem seu ordinem ad diversos actus et formas hinc inde, quod est impossibile in diversis materiis, quae sunt pure entia in potentia, ut positum est[60]). Igitur in quibuscumque ponetur materia, illa erunt generabilia et corruptibilia«[61]).

Ad argumenta vero in oppositum breviter dico. Ad primum, quod transmutatio substantialis sola arguit materiam; et talis non est in anima. Item, proprietates materiae non secundum eandem rationem conveniunt animae rationali et materiae. Item, non reducitur anima de potentia essentiali ad actum. Item, animealitas, licet sit forma communis, tamen non diversificatur nisi secundum diversum esse, quod non habet a materia; unde falsum est non esse multitudinem in separatis nisi per materiam vel aliquid simile materiae, nisi velis dicere, quod potentia et actus,

54) Arist., Metaph. XII 7, 1072b15–1073a6
55) Aug., Conf. XII 7 n.7; Verheijen 220,13–16; XII 8 n.8; Verheijen 220,1–26
56) Boeth., Philos. cons. IV 2; Moreschini 106,105–108
57) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 1; Mojsisch 328,4–23
58) Arist., De an. I 3, 407b23–24; II 2, 414a25–27
59) Arist., De an. I 3, 407b24–25; transl. vetus: Stroick 37,82–83
60) cf. supra, prop. 187 A
61) cf. Theodor. de Vrib., Utrum subst. spir. 2 2–3; Mojsisch 328,24–329,38

237 tectonicam *coni.*: tectonicas *codd.* 238 quidam: quidem *V* 247 reducitur *coni.*: reditur *codd.*

quae se mutuo determinant, sint similia materiae et formae et per hoc, secundum veritatem, nec sint materia nec forma, cum in ingenerabilibus potentia determinet actum e converso ad generabilia.

Et hoc de primo.

Circa propositum duo faciam, quia primo dicam de omnis animae impartibilitate in generali, secundo de omnis animae incorruptibilitate.

Circa primum tria faciam, quia primo dicam de partibilitate et impartibilitate in generali, secundo de duplicibus partibus animae partialis in speciali, tertio ex praemissis de omnis animae impartibilitate in universo animeali.

D De primo sciendum, quod ratio partibilitatis consequitur corpus ratione materiae, sicut et ratio impartibilitatis ratione formae, et per consequens omne, quod se toto est forma separabilis a corpore – qualis est omnis anima, de qua agitur –, est impartibile.

Quod ut evidentius appareat, considerandum est, quod omne, quod est citra deos et supra materiam primam, cum sit unitum et sic alterum a per se uno per 462), concernit quaedam principia plura vel pauciora, secundum maiorem vel minorem compositionem.

Istorum autem principiorum quaedam sunt formalia, quaedam materialia. Dico autem 'formalia', ut de eis solum ad praesens fiat sermo, quae prius natura sunt entia ut simpliciter et secundum speciem, quam ut haec et individualia. Talia autem principia formalia in sui determinatione, qua determinantur in rerum essentias constituendas, vel remanent simpliciter in ratione et natura principiorum – et sic constituunt entia secundum speciem simpliciter exempta ab omni dependentia ad naturas corporeas, et per consequens omnia talia, licet sint unita, quia constituuntur ex principiis paucioribus vel pluribus, tamen, quia talia principia sunt formalia in sua formalitate remanentia, et per consequens minus aggregantur ad invicem partibus definitionis, ut supra dictum est63), sed constituunt rem unam unitate essentiali, ubi multitudo principiorum est ut res una, et sic impartibilis –, vel secundo modo et extremo a praemissis non remanent in ratione et natura principiorum, sed simpliciter determinantur in ulteriores naturas, et sic constituunt entia ut haec et individua, in quibus talia principia ad invicem aggregantur. Et omnia talia sic constituta et naturata, naturis, inquam, differentibus a talibus principiis, et inter se dicuntur et sunt corpora, et sic sunt partibilia.

Sed quia inter omnia extrema est dare medium continuativum eorum, cum natura non vadat de extremo ad extremum sine medio, hinc est, quod necessarium est esse res constitutas per principia formalia, in quarum determinatione ipsa

62) Procl., Elem. theol. 4; Dodds 4,9; Boese 4,1
63) cf. supra, prop. 187 B

256 in generali *om. V* 258 in ...duplicibus *om. V* 275 principiis: pluribus *praem. codd.* 276 in ... remanentia: remanentia in sua formalitate *O* 277 unam: una *V* 281 sic: sint *O*

principia se habeant medio modo inter extrema ita, quod nec simpliciter remaneant in ratione et natura principiorum nec simpliciter determinentur in ulteriores naturas. Et sic constituuntur animae, quae sunt mediae inter separata et corpora, quae, licet non sint tantae unitatis et simplicitatis, quantae sunt separata, in quibus principia non cadunt in realem diversitatem, quia unum eorum, puta activius et universalius, determinatur in potentialius et contractius, ut unum fiat aliud, tamen sunt maioris unitatis et simplicitatis omnibus corporibus, quibus eminent secundum gradum naturae suae per 20[64]).

Et quia sunt simpliciter incorporales et immateriales, ut supra ostensum est[65]), ideo etiam sunt impartibiles in suis substantiis tamquam ultimus limes et ultimum gradum tenentes inter substantias separatas cum naturali immediatione ad naturam corporalem et etiam, quia dimensiones interminatae non praecedunt eas in suis substantiis, ideo sunt indivisibiles et impartibiles secundum Averroem in *De substantia orbis*[66]), cum non sint quantae, nec per se nec per accidens.

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod in anima rationali sunt duplices partes, essentiales E
scilicet et potentiales, eiusdem numeri, scilicet vegetabilis, sensibilis et rationalis.

Quarum primae dicuntur essentiales utpote qualitative ipsius animae substantiam integrantes, secundum quas partes et est separabilis et inseparabilis a corpore subiecto. Secundum partem enim vegetabilem est totaliter immersa corpori, secundum partem vero rationalem est totaliter a corpore elevata, secundum vero sensibilem quasi modo medio se habet, licet operationes eius non sint sine corpore, ut superius est ostensum[67]).

Dico autem istas tres partes unam rationalis animae substantiam essentiare et non esse diversas animas in corpore, cum nulla forma substantialis uniatur corpori subiecto mediante alia forma substantiali, sed forma perfectior dat corpori subiecto, quidquid dabat inferior, et adhuc amplius. Unde anima rationalis dat corpori humano, quidquid dat anima vegetabilis plantis, quidquid sensibilis brutis, et aliquid ulterius, et propter hoc ipsa una anima secundum substantiam est in homine vegetabilis, sensibilis et rationalis. Cuius signum est, quod, cum operatio unius partis intenditur, alterius partis operatio impeditur, et quia redundantia fit unius in aliam.

Partes potentiales ipsius animae vocantur virtutes, quibus exercet suas operationes. Et istae virtutes etiam correspondentes uni parti essentiali sunt diversae, secundum quod ostendit Avencebrol libro III cap. 44[68]), ubi ponit exemplum,

64) Procl., Elem. theol. 20; Dodds 22,1–3; Boese 13,1–3
65) cf. supra, prop. 186 A sqq.; prop. 187 A
66) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 5rC–5vG
67) cf. supra, prop. 186 H
68) Avenc., Fons vitae III 44; Baeumker 178,9–19

296 etiam: et *V* 310 rationalis: totalis *O* 319 quibus … (320) virtutes *om. sed m. post. suppl. V*

quod attractiva, expulsiva, digestiva, retentiva sunt ab una substantia diversis virtutibus. "Si enim, ut dicit[69]), virtus huius substantiae esset una, operatio eius non esset nisi una. Cur hoc? Quia esse actionis pendet ab esse virtutis; et etiam, quod aliqua istarum operationum est prior alia". Et 45 cap.[70]) sic dicit: "Iam certum est mihi, quod substantia componens partes vegetabilium et animalium una est, et operationes, quae fiunt in illis, sunt ex virtutibus, quibus haec substantia perficit suas operationes naturales". Et infra 46[71]): "Nonne es tu videns in vegetabilibus modum crescendi et alendi et generandi, et per hoc contestaris substantiam, quae agit hos motus, id est animam vegetabilem, sicut contestatus es per compositionem partium corporis et retentionem earum substantiam, quae agit hoc, id est naturam?" "Similiter etiam considerabis motum immutationis in sensus et motum cogitandi et cognoscendi et ratiocinandi, contestaberis per hoc substantias, quae agunt hos, scilicet motus, id est animam animalem, animam rationalem et intelligentiam". Haec Avencebrol.

Et tunc iuxta dogma Platonis ostendit[72]) istas substantias in homine non esse unam, "quia illarum aliquae inveniuntur separatae ab aliis, quia, si una substantia essent, non assolaretur herba in crescendo, nec animalia in sensu et motu, nec homines in cogitatione et cognitione". Et infra, postquam ostendit actionem intelligentiae in animam rationalem et actionem animae rationalis in animam animalem, et quomodo actiones harum substantiarum sunt sub uno genere[73]), subinfert 49 cap.[74]): "quod quidquid est in substantiis inferioribus, est et in superioribus; et non quidquid est in superioribus, est in inferioribus, sicut vegetatio et generatio sunt in anima animali, sed sensus et motus non sunt in vegetabili, et sicut sensus et motus sunt in anima rationali, sed rationalitas et cognitio non sunt in anima animali". Et infra parum[75]): "Et ex hoc scietur, quod substantiae, quanto fuerint superiores, tanto erunt magis collectivae ommium formarum et communiores et magis comprehendentes". Haec Avencebrol de partibus potentialibus, quas vocat virtutes diversarum substantiarum etiam in homine.

Cuius oppositum pulchre deducit Theodorus sequens vestigia theologorum, ubi sic dicit[76]): "Intuere diligentius humanae animae potentias, quae, dum sint unius eiusdemque substantiae et virtutis (scilicet essentialis) et operationis in omnibus simul corporibus humanis generaliter et in singulis specialiter cunctosque

[69]) Avenc., Fons vitae III 45; Baeumker 179,6–10
[70]) Avenc., Fons vitae III 45; Baeumker 179,11–14
[71]) Avenc., Fons vitae III 46; Baeumker 181,14–18 et 20–23
[72]) Avenc., Fons vitae III 46; Baeumker 182,3–6
[73]) Avenc., Fons vitae III 49; Baeumker 188,6–9
[74]) Avenc., Fons vitae III 49; Baeumker 188,25–189,3
[75]) Avenc., Fons vitae III 49; Baeumker 189,5–8
[76]) Honor. August., Clavis phys. 222; Lucentini 173,5–174,20

326 una est: est una *V* 334 animalem: animealem *V* 340 in²: et *V* 345 rationali: totali *O* 352 eiusdemque *coni.*: eiusdem *codd.*

tamen vitales motus administrationesque in corpore suo sive intra sive extra potest peragere, siquidem ultra corporeos sensus et rationatur et intelligit, ut angelica vita in sensibus corporeis sentiendi vim exercet similitudine irrationalium suam rationalitatem non deserens, nutrit et auget corpus suum ut illa (scilicet anima), quae caret sensu, herbasque ac ligna penetrat, ubique in se ipsa tota et in omnibus membris tota totos sensus suos custodit. In ossibus ergo et unguibus et capillis vim germinalis vitae aperit, quae partes nostri corporis, quoniam aeri perviae non sunt, nullum sensum participant. In quinque partito sensuum instrumento irrationali vitae communicat, quae animalium ratione carentium propria subsistit. In his omnibus per se ipsam, quamvis saepe irrationabiliter moveatur, ratione sua carere natura non sinit". Haec Theodorus. Et sufficiant de secundo.

Ex praemissis omnibus concluditur tertium, qualiter videlicet omnis anima sit F impartibilis et partibilis et quomodo simplex et composita.

Omnis enim anima, cum sit incorporea substantia et separabilis a corpore[77]), est antipostaton sive per se subsistens[78]), et sic impartibilis et simplex. Omne namque antipostaton est impartibilis et simplex per 47[79]), et per consequens caret partibus quantitativis, et hoc sive continuis, cum sit impartibilis, sive discretis, cum sit simplex. Nihilominus tamen omnis anima constituitur in esse ex principiis formalibus, quae, licet per determinationem sui in se ipsa, formalia scilicet per minus formalia, constituant quid unitum et ex hoc compositum in comparatione eius, quod est per se unum, tamen relinquunt ipsum, utpote incorporeum et sic carens magnitudine per se et per accidens, impartibile et simplex respectu inferiorum, licet habeat partes ante totum, non in toto proprie nec post totum, ratione quarum etiam ipsis animabus, quamvis sint simplicis et impartibilis substantiae, competunt diversae operationes, ut inferius apparebit[80]). Quamquam etiam omnes animae, ut sit in genere dicere, sint impartibiles et simplices, tamen ut plurimum differunt in impartibilitate et simplicitate. Anima enim divina est impartibilior et simplicior intellectuali et haec rationali, cum ista expresse subsistat in tribus modis qualitativis, quorum licet quilibet importet totam substantiam eius, tamen non totaliter. Illae autem in paucioribus consistentiam suam ponunt, quod evidenter apparet, cum non sint sensitivae nec eodem modo vegetativae, quo rationalis.

Et hoc sufficiat ad praesens de prima parte elementi.

Circa secundam partem tria faciam, quia primo ponam causas corruptionis in generali, secundo ostendam nullam earum inveniri in anima, de qua agitur in speciali, tertio ex praemissis inferam omnem animam a rationali et supra esse incorruptibilem in seyra animeali.

77) cf. Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
78) cf. Procl., Elem. theol. 40; Dodds 42,9; Boese 24,2–3
79) Procl., Elem. theol. 47; Dodds 46,29; Boese 27,1
80) cf. infra, prop. 191 E

358 et ... (359) tota *om. O* 360 quoniam *coni.*: quomodo *codd.* 364 sinit: desinit *V*
379 plurimum differunt: plurium differant *V*

G De primo sciendum, quod omne corruptibile seu destructibile non corrumpitur seu destruitur nisi aliquo quattuor modorum, scilicet aut divisione formae suae a materia sua, quod non potest esse nisi dupliciter, videlicet aut forma manente, sicut ponimus in homine, qui in morte, quae est separatio animae a corpore, destruitur secundum esse anima remanente, aut forma ipsa destructa per sui divisione a materia seu corpore subiecto, quae destructio proprie vocatur annihilatio. Et sic habemus duos modos corruptionis. Aut destruitur tertio divisione partium suarum integralium, sicut domus destruitur, cum partes eius ab invicem separantur. Quarto autem destruitur corruptibile subtractione causae suae, sicut si dissipato utre vinum deficiat aut sicut subiecto destructo corrumpuntur ea, quae in eo sunt, aut sicut sole sublato destruitur dies. Et ista ratio causae erit duobus modis, quia vel efficiens vel deferens, ut sol diei et materia formae et vas liquoris.

Quodsi quis dixerit, quia est et quintus modus corruptionis, scilicet proprius defectus, ut senium vel putrefactio, qui ad nullum quattuor modorum videtur reduci, cui respondebimus, quod salvatis coniunctione formae ad materiam et integritate coniunctionis partium, salva etiam causae praesentia et essentia sustinentis, necessario est res salva a corruptione. Certum est autem, quod senium ducit ad divisionem animae et corporis, et putrefactio divisio est formae a materia, et destructio subiecti et sublatio causae est destructio ipsius formae.

Si vero dixerit adversarius, quod quaedam pereant per defectum sui, necesse habet determinare modum defectionis. Si enim omne, quod perit, non perit nisi ex debilitate essentiae suae, quia, si debile est in se et infirmum ad perpetuo permanendum, palam est omne causatum esse sic infirmum ac debile et invalidum ad permanendum, quantum in eo est, si igitur sic est, nihil permanebit eorum, quae sunt, cum ista causa non existendi in omnibus inveniatur causatis. Nos autem videmus multa permanere et quaedam aliis diutius, quaedam velocius perire. Quae igitur erit causa in hoc, nisi quia propria debilitas nihil eorum, quae sunt, per se destruit, nisi adiuvetur aliquo modorum, quos nominavimus, aut impediatur contrariis eorum?

Et hoc de primo.

H Restat ergo quoad secundum inquirere, an aliquis dictorum modorum congruere possit animae humanae, secundum quod de ea hic inquirimus. Ipsa enim ostensa incorruptibili clarum erit et intellectuales et divinas esse incorruptibiles.

Intendentes ergo animae humanae quantum ad primum modum corruptionis, manifestum erit, quoniam ipsa est pura forma et substantia immateriata et composita in se huiusmodi compositione, quae est ex materia et forma. Aut si forte quis hoc dicat, quod sit composita ex materia et forma, dicimus tamen formam eius

409 defectum: effectum *O* 410 perit[1] *coni.*: peret *codd.* 417 per se *om. O*
422 intellectuales *coni.*: intellectualem *codd.* 425 erit: est *O* 427 hoc: hic *V*

incorruptibilem: tum quia non habet contrarium, per quod corrumpatur, nec divisivum, per quod dividatur, neque sustinens, cuius subtractione destruatur. Forma enim virtutis intellectivae non potest habere contrarium nec est receptibilis cuiuscumque contrarii suae formae nec similitudinis illius, quoniam non potest intelligere aliquid, nisi quod ipsamet sit, sive quod est apud ipsam, et hoc aut ipsam aut eius similitudo. Patet, quod non potest intelligere contrarium, quare nec habere.

Amplius, sicut visus nullam habet contrariam ex formis visibilibus, ita intellectus nullam habet contrariam ex intelligibilibus. Non est igitur destructibilis per divisionem formae suae a materia, si quam haberet cum forma, eius contrarium habere non possit, sed sit in potentia ad omnes formas intelligibiles sicut visus ad omnes formas visibiles. Quare sicut visus est incorruptibilis a visibili corruptione corporali, ita et intellectus est incorruptibilis ab intelligibili corruptione spirituali, cum ad eum propter sui sublimitatem corporalis corruptio non possit attingere. Si enim hylen sive materiam corporum non attingit huiusmodi corruptio secundum Aristotelem I *Physicorum*[81]), multo minus attinget, quod supra omnem materiam est.

Nec valet instantia, si quis dicat visum corrumpi ab excellenti sensibili. Hoc enim est ex eo, quoniam visus harmonia est quantum ad instrumentum suum, propter quod necesse est illum destrui destructione illius, scilicet instrumenti, inquantum pendet ab eo. Instrumentum autem visus destruitur ab excedentibus harmoniam suam, hoc est a vehementer visibilibus[82]). E contrario autem se habet in intellectu, quoniam non habet partem determinatam in corpore, quae sit instrumentum eius, et confortatur et invalescit vehementer intelligibilibus[83]). Forma etiam intelligibilis, si sua actione destrueret intellectum, quomodo ageret, cum nihil destruat, sed perficiat illud, cui similitudinem suam imprimit, et sic ipsum sibi assimulat? Hoc autem quanto amplius facit forma intelligibilis, tanto est intelligibilior; et ita per viam istam non solum non destruitur intellectus seu virtus intellectiva, sed etiam confortatur. Si igitur non destruitur a quantumcumque vehementer intelligibilibus, sed etiam confortatur, multo minus destruitur a non intelligibilibus, cum talia non agant in intellectum.

Haec dixerim quantum ad positionem eorum, qui dicunt obiectum agere in intellectum. Si vero intellectus possibilis factus actu per intellectum agentem formativus seu activus est proprii obiecti, quod est quiditas secundum Aristotelem[84]), tunc planum est ipsum neque pati neque destrui ab obiecto.

Et sic apparet prima pars divisionis supra positae, scilicet quod anima intellectiva non corrumpitur separatione formae a materia, si quam haberet.

81) Arist., Phys. I 9, 192a28–29
82) cf. Arist., De an. III 2, 426a30–b7; etiam III 4, 429a20–b5
83) cf. Alb., De nat. et or. an. II 2; Geyer 20,59–64
84) Arist., De an. III 5, 430a10–25

440 sublimitatem: simplicitatem *O* 444 excellenti sensibili: sensibili excellenti *O*
455 igitur: ergo *V* 458 positionem *coni.*: potentiam *codd.*

Quod autem neque divisione partium integralium anima humana sit corruptibilis, inde manifestum erit, quod intellectus seu virtus intellectiva ex necessitate est impartibilis, ut supra 171 ostensum est[85]). Quod tamen ad praesens etiam sic certum facimus. Si enim partibilis esset, cum intelligere sit quoddam pati[86]), non pateretur totus simul, sed pars post partem, quasi pars intentionum apud intellectum post partem, et non totum simul. Ex hoc sequitur ipsum intellectum continuum esse et corporalem, et id, quod intelligitur, per partes solummodo intelligi posse et partem in parte temporis, et totum in toto, et intelligentem omnem sequi transitus syllabarum et elementorum, et intelligibile esse in transitu continue et non subito, cuius contrarium unusquisque intelligentium sentit in se ipso.

Amplius, intellectus sentit se totum intelligere, quotiescumque intelligit, numquam autem per partem suam intelligere et per partem non; quia ergo illud est apud eum et in eo, ei soli de hoc credendum est. Sicut enim intelligit unus intellectus, ita et omnes. Et ideo modus intelligendi est idem apud omnes, sicut et modus videndi. Sed omnes intelligenter intendentes inveniunt se in instanti intelligere, cum intelligere non sit per immutationem intellectus. Si intellectus partibilis esset et continuus, impossibile esset continuum subito immutari. "Omne" enim, "quod movetur, in tempore movetur" per 17 primae partis *Elementationis physicae*[87]). Restat igitur intellectum impartibilem esse et incontinuum. Et ideo divisione partium indestructibilis est, cum partes non habeat, et per consequens anima humana est incorruptibilis, cum sit subiectum indestructibilis intellectus.

Sed nec destruitur subtractione causae deferentis aut efficientis.

De corpore deferente planum est, cum secundum substantiam suam sit separabilis a corpore per praemissam[88]).

Inquiratur ergo, utrum subtractio causae efficientis, qui est ultimus modus corruptionis, possit humanae animae convenire. Ubi sciendum: Talem modum contingere in ipsa anima humana est impossibile. Manifestum enim est, quod natura continua est causae primae aut eius continuum, quod inde apparet, quia operationes primae causae continue influunt super naturalia et super omne, quod praeparaverit natura, ita, quod impossibile est, quod materiae praeparatae a natura non influatur aut vita aut alia forma a causa prima. Omne enim, quod a secundis producitur, et a prioribus et causalioribus producitur eminentius, a quibus et secunda producebantur per 56[89]), et, quod maius est, semini praeparato anima necessario infunditur. Hoc igitur est medium continuitatis seu colligationis naturae ad primam causam. Colligatio autem seu copulatio fit per similitudinem. Similitudo

85) cf. supra, prop. 171 F; Jeck–Tautz–Bray 117,255–118,273
86) cf. Arist., De an. III 4, 429b24–31
87) Procl., Elem. phys. I 17; Boese 38,30
88) cf. Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
89) Procl., Elem. theol. 56; Dodds 54,4–6; Boese 30,1–3

472 et²: etiam *V* 474 quotiescumque ... (475) intelligere *om. V* 490 est: *an* esse *scrib. est?* 494 alia: altera *V*

autem non est nisi ex propinquitate, quia omne producens producit similia ad se ipsum ante dissimilia per 28[90]). Et sic quae sunt propinquiora eidem, necessario colligantur. Quanto enim ipsa natura est superior, tanto est supremo propinquior quam natura inferior. Quia igitur ordinatae sunt influxiones illius secundum ordinem propinquitatum ad ipsam secundum Dionysium 4 cap.[91]) *De divinis nominibus* in multis locis, necessario maiores et magis continuae sunt in ea, quae propinquiora sunt primae causae, quam in remotiora. Et si non possunt tales influxiones quantum ad remotiora deficere, multo minus in propinquiora. Et ideo fluxus vitae et aliae naturales influxiones multo fortius sunt incessabiles et continui in animam rationalem quam in naturalem secundum naturam. Palam igitur est animam rationalem isto ultimo modo non posse corrumpi.

Nec valet instantia, si quis dicat esse consequens ex praemissis etiam animam sensibilem esse immortalem et indefectibilem, cum ipsa pendeat secundum omnes vires suas a corpore, et per consequens esset frustra et otiosa sine corpore et sic omnino inutilis. Omne autem otiosum et inutile non solum inutiliter quaeritur, sed etiam dispendiose, quoniam cum dispendio et iactura temporis, quo res utiles sunt quaerendae.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis evidenter apparet tertium. I

Si enim anima rationalis est incorruptibilis, multo fortius intellectualis et divina sunt incorruptibiles. Et sic omnis anima, de qua agitur, est incorruptibilis. Dico autem de qua agitur, quia Gregorius Nyssenus "in iumentis", inquit[92]), "aequivocum quidem animae esse potest, non tamen vere anima, sed quaedam operatio vitalis vocatione animae utens".

Et hoc de tertio.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

[90]) Procl., Elem. theol. 28; Dodds 32,10–11; Boese 19,1
[91]) Dion., De div. nom. 4 2–3; Suchla 146,4–12; Dionysiaca 157B–159B
[92]) ap. Honor. August., Clavis phys. 225; Lucentini 176,9–12

508 quam ... rationalem *om. (hom.) O* 519 de ... (520) autem *iter. O*

COMMENTUM

Omne enim, quod qualitercumque dissolvi et resolvi possibile est, aut corporeum est aut compositum aut in subiecto hypostasim habet. Et quod quidem dissolvitur, ut ex pluribus existens corrumpitur. Quod autem in altero esse natum est, a subiecto separatum exterminatur in non ens. At vero anima incorporea est et extra omne subiectum in se ipsa ens et ad se ipsam conversa. Inexterminabilis ergo est et incorruptibilis.

Probatio elementi quoad primam partem non ponitur, quia satis habetur ex incorporeitate et separabilitate ipsius animae per praemissam[93]).

Sed secunda pars ostenditur sic: omne, quod qualitercumque dissolvi aut resol- 530
vi est possibile et per consequens corruptibile, aut corporeum est aut compositum ex partibus integralibus aut habet hypostasim inseparabilem a subiecto.

Ista apparet in littera quoad duas ultimas condiciones, quia pro certo, quod dissolvitur, corrumpitur ut existens ex pluribus, quae ipsum componunt; sed quod in altero natum est esse inseparabiliter, hoc exterminatur in non ens separatum a subiecto.

At vero. Hic ponitur minor talis: Sed omnis anima est incorporea quantum ad primam et secundam condicionem et extra omne subiectum existens in se ipsa et conversa ad se ipsam quoad tertiam. Ergo omnis anima est inexterminabilis et incorruptibilis.

93) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2

PROPOSITIO 188
OMNIS ANIMA ET VITA EST ET VIVENS

Habitis quibusdam condicionibus seu proprietatibus convenientibus omni animae secundum se et absolute nunc auctor ostendit quandam aliam combinationem proprietatum, quarum una convenit sibi in habitudine ad corpus, alia autem secundum se, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi et praecedentium evidentiam duo declarabo secundum duas partes ipsius, quia primo ostendam animam habere vitae condicionem, secundo viventis rationem.

Circa primam partem tria dicam, quia primo dicam de vita in generali, secundo distinguam modos vitae in speciali, tertio ex praemissis dicam de vita animeali.

De primo sciendum, quod secundum Theodorum in *Clave*, ubi tractat opera quintae diei[1]), "sunt, qui dicunt caelum cum astris, aethera cum planetis, aera cum nubibus, aquam cum fluctibus, terram cum herbis et arboribus, non solum anima, verum et omni specie vitae omnino carere". "Alii autem, inter quos Plato, nullum corpus privari vita fatentur. Quibus summi expositores sacrae Scripturae favent herbas et ligna vivere affirmantes. Neque aliter rerum natura sinit. Si enim nulla materia est, quae sine specie corpus efficiat, et nulla species sine substantia propria subsistit, nulla autem substantia vitali motu, qui eam contineat et subsistere faciat, expers esse potest – omne enim, quod naturaliter movetur, ex vita quadam motus sui principium sumit –, necessario sequitur, ut omnis creatura aut per se ipsam vita sit aut vitae particeps et quodammodo vivens, sive in ea vitae motus manifeste appareat sive non appareat. Omne corpus minus est quam quaelibet vita, quoniam quantulumcumque manet in specie, per vitam manet, sive qua unumquodque animal sive qua universa natura mundi administratur. Ut enim nullum corpus est, quod propria specie non contineatur, ita nulla species est, quae cuiuspiam vitae virtute non regatur. Proinde, si omnia corpora naturaliter constituta quadam specie vitae administrantur omnisque species genus suum appetit – omne autem genus ex generalissima substantia originem ducit –, omnem speciem vitae, quae diversorum corporum numerositatem continet, ad generalissimam quandam vitam recurrere necesse est, cuius participatione specificatur. Haec autem generalissima vita a sapientibus huius mundi universalissima anima, qua totum, quod infra caelestis sphaerae ambitum comprehenditur per species suas ministrans vocatur. Divinae vero sophiae speculatores communem vitam appellant, quae, dum sit particeps

[1]) Honor. August., Clavis phys. 211–212; Lucentini 167,5–168,20

3 quibusdam *om. V* 4 et absolute *om. V* 6 etc. *om. V* 7 et praecedentium *om. codd. sed m. post. suppl. V* 29 speciem vitae: vitae speciem *V* 30 continet *om. O*

illius unius vitae, quae per se substantialis est, omnisque vitae fons et creatrix suis divisionibus, visibilium et invisibilium vitas iuxta divinam ordinationem distribuit, quemadmodum sol iste notus radios suos ubique diffundit. Non tamen ita vita in omnia pervenit sicut solares radii: illi siquidem non omnia penetrant, interiora enim multorum corporum non transeunt. Vitae vero nulla creatura seu sensibilis seu intelligibilis expers esse potest, nam et corpora, quae nostris sensibus videntur velut mortua, non omnino vita relinquuntur. Ut enim illorum compositio atque formatio administratione propriae vitae, ita et solutio et informitas et reditus in ea, ex quibus deducta sunt, eiusdem obsequio peragitur. Semina siquidem terrae commendata, nisi prius moriantur, non reviviscunt, et mors eorum solutio materiae et speciei est, eademque vita, quae vivificat vim seminum et per vim semina, priusquam solvantur in solutione, non deserit, sed eis semper adhaeret, immo etiam ea solvit moxque nulla mora interstante vivificare, hoc est in eandem speciem revocare incipit. Ubi enim esset illa vita solutionis corporis tempore, nisi in ipso soluto? Ut enim illa cum compacto non compingitur, ita cum soluto non solvitur neque cum renascente renascitur, nec plus vegetat totum simul coniunctum quam in parte disiunctum, neque maior, id est potentior, est in toto quam in parte, nec minor, hoc est impotentior, est in parte quam in toto. Idem namque regiminis est in cunctis". Haec Theodorus. Et sufficiant de primo.

B Ex hoc statim elicitur secundum, scilicet motum talem esse, non qui sit physicus et actus imperfecti secundum quod huiusmodi, sed qui sit actus perfecti essentialis[2]), immo qui sit idem esse eius, quod movetur, et per consequens numquam a motu cessantis, quia sine essentia sua esse non potest; talem, inquam, motum esse in rerum natura convenit multipliciter, quia aut prime aut secundum causam. Et hoc dupliciter, quia vel simpliciter et absolute vel in seyra vitarum.

Primo modo prime bonum dicitur vita per Trismegistum libro *De regulis theologiae* regula 15, ubi dicit[3]): "Deus est vita, cuius via in formam est", et Dionysium 6 cap. *De divinis nominibus*[4]), ubi dicit in principio laudandam esse vitam aeternam, "ex qua est per se vita et omnis vita, et a qua ad omnia quocumque modo vita participantia vivere iuxta proprietatem uniuscuiusque disseminatur". Et infra loquens de angelis subiungit[5]): "Quoniam non a se ipsis habent immortales esse et aeternaliter vivere, sed ex vivifica et omnis vitae effectiva et" conservativa "causa".

[2]) cf. Arist., De an. III 7, 431a6–7
[3]) Lib. XXIV philos. 15; Hudry 22,1
[4]) Dion., De div. nom. 6 1; PG 3, 856A; Suchla 190,3–5; Dionysiaca 368B–D; transl. Sarraceni: Simon 327,77–79
[5]) Dion., De div. nom. 6 1; PG 3, 856B; Suchla 190,8–10; Dionysiaca 369C–370A; transl. Sarraceni: Simon 329,74–75

51 parte[1]: tempore *O* 53 sufficiant: sufficiat *V* 54 secundum: totum *O* | scilicet *add.* quod *codd.* 55 actus *add.* imperfecti secunum quod huiusmodi *m. post. V* 58 convenit: est *O* 61 Dionysium *scr.*: Dionysius *codd.*

Et infra[6]): "Et dat quidem prius per se vitae esse vitam, et omni (sive totali) vitae et particulari esse proprie unamquamque, quod esse naturaliter habet". Et infra[7]): "Ex ipsa vivificantur et circumflorent et animalia omnia et plantae. Et sive intellectualem dicas sive rationalem sive sensibilem et augmentativam sive qualemcumque vitam aut vitae principium aut vitae substantiam, ex ipsa vivunt et" vivificantur, "quae est super omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter praeextiterunt. Et enim supervivens et princeps vitae et omnis vitae causa et vitae generativa et adimpletiva et divisiva vitae" etc. usque ad finem capituli. Haec Dionysius.

Et sic secundum Aristotelem[8]) vita sua est delectabilissima et optima.

Secundo modo dicitur prime vita, quae est primum fontale principium omnis determinatae vitae, scilicet vita generalissima, ubi primo elucet vita proprie et per consequens ea, quae ipsam praecedunt, scilicet prime ens et huiusmodi in ordine uniali, sunt supervitalia simpliciter.

Verum quia omne, quod qualitercumque subsistit, aut secundum causam est principaliformiter aut secundum existentiam essentialiter aut secundum participationem exemplariter per 65[9]), et etiam quia omnis primordialis unitas duplicem instituit numerum, hunc quidem per se perfectarum hypostasum, hunc autem illustrationum in aliis hypostasim habentium per 64[10]); item quia omnis primordialis unitas universo ordini suam proprietatem tradit per 97[11]), licet relinquat aliquale vestigium suae intentionis in intermediis, cum agat secundum gradum determinatae distantiae, ideo post prime vitam est vita primo et per se, scilicet constituens in vitalibus hypostasibus ordinem vitarum, et in talibus est vita per essentiam, licet entitas, infinitas et unitas sint ibi per participationem.

Deinde vitalitas seu intentio vitae invenitur infra ordinem vitarum et per consequens per participationem et exemplariter, scilicet in intellectualibus hypostasibus et animabus secundum omnem differentiam animarum, quae vere sunt animae.

Postremo participatio ipsius vitae transit usque ad idola animarum, scilicet ad animam sensualem et insensualem sive germinalem. Talia enim omnia habent quandam illustrationem vitae.

Et hoc sufficiat de secundo.

Ex praemissis elicitur tertio omnem animam, etiam quae vere est anima, esse C vitam, licet non primo et per se, quia sic solum esse vitam convenit existentibus in ordine vitarum, sed nec per se, licet non primo, scilicet per essentiam, et non

6) Dion., De div. nom. 6 2; PG 3, 856C; Suchla 191,9–10; Dionysiaca 372A–B; transl. Sarraceni: Simon 331,70–71
7) Dion., De div. nom. 6 3; PG 3, 857B; Suchla 192,15–20; Dionysiaca 377A–378C; transl. Sarraceni: Simon 335,69–336,64
8) Arist., Metaph. XII 7, 1072b23–28
9) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
10) Procl., Elem. theol. 64; Dodds 60,20–22; Boese 34,1–3
11) Procl., Elem. theol. 97; Dodds 86,8–9; Boese 49,1–2

74 ad: in *O* 83 hypostasum: hypostasim *V* 92 vere: vero *V* | animae *add.* hypostasibus *V*
96 hoc *om. O* 97 vere *om. V*

per aliud, sed per participationem. Sed quia tam participans quam participatum non ponunt in numerum, sed sunt una incorporea substantia et impartibilis, ideo anima dicitur vita, quia non per accidens nec per aliud a se formaliter diversum participat vita, sed substantialiter, cum sit motus in essentia sua. Omne enim, quod est via et motus, est vita per descriptionem vitae habitam in commento 102[12]), ubi dicitur, quod vita est via et motus a mansiva entis hypostasi. Sed omnis anima, de qua agitur, est huiusmodi, scilicet via sive processus et motus. Ergo est vita.

»Quod ut evidentius appareat, notandum, quod essentiam animae dupliciter possumus considerare quantum ad modum suae essentiae. Uno modo, inquantum habet rationem principii seu partis formalis substantiae viventis sive caelestis sive humanae, quod dico propter animam totalem et partialem«[13]).

Omnis enim anima, licet sit substantia antotelis, id est per se perfecta, et per consequens sit in ea quaedam intraneitas, qua non uniatur corpori ut forma secundum Augustinum[14]), »tamen nihilominus, si proprie vel saltem appropriate loquamur, quaelibet ipsarum dicitur actus et perfectio, inquantum perficit et terminat imperfectionem potentiae subiecti seu substantiae, cuius est actus. Et sic etiam dicitur proprie forma, inquantum secundum Aristotelem[15]) est quiditas talis substantiae, cuius est forma, ipsam quidificans et notificans. Et sic etiam dicitur qualitas, sed substantialis, licet minus proprie, cum non qualificet seu disponat corpus subiectum«[16]), sed sit separabilis a corpore per 186[17]).

»Et sic omnis anima habet habitudinem seu respectum ad extra se, puta ad corpus subiectum, cuius ipsa est forma, et per consequens per se respicit res exteriores, circa quas tale coniunctum operatur«[18]). Et sic est via sive processus quidam et motus, non qui sit actus entis in potentia secundum quod huiusmodi, sed qui sit actus existentis in actu secundum quod huiusmodi inexistens ex ratione essentiae substantialis. Et licet sic se ipsam exserat in corpus movendo ipsum, ut sit et dicatur motum ex se vivum et animatum sive participans vita, quam affert praesentia ipsius animae, tamen nihilominus manet inegressibiliter in se ipsa, et propter hoc subditur: "a mansiva entis hypostasi". Loco cuius auctor *De causis*[19]) ponit "ab ente quieto", et hoc impertinenter, cum vita sit essentialis actus animae et primus et continuus non solum in corpore, quia non per modum somni, sed vigiliae, sed etiam absolute in se ipsa.

12) Procl., Elem. theol. 102 comm.; Dodds 92,9–10; Boese 52,9
13) cf. Theodor. de Vrib., De cog. ent. 92 1–2; Steffan 254,30–33
14) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 4; Mojsisch 149,95–97; cf. Aug., De Gen. ad litt. VII 18; Zycha 215,17–20
15) Arist., Metaph. VII 7, 1032b1–2; VII 10, 1035b32; VII 17, 1041a26–28; VIII 3, 1043b1–2; VIII 4, 1044a36; V 2, 1013a26–28; Phys. II 2, 194a20–21; II 3, 194b26–27
16) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 37 2; Sturlese 45,6–13
17) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
18) cf. Theodor. de Vrib., De cog. ent. 92 3; Steffan 254,38–255,40
19) Lib. de caus. 17(18),n.145; Pattin 173,45–47

106 scilicet: est *V* 116 dicitur proprie: proprie dicitur *O* 123 sit[1]: fit *V* 130 corpore *coni.*: corpus *codd.*

»Est enim, ut dictum est, actus essentialis, quia, sicut essentiae formae est actus essentialis ipsum esse sicut lucis lucere[20]), ita omnis animae actus essentialis est esse huiusmodi, quod est vita[21]). Et sic etiam est actus primus, quia praecedit virtutem et operationem et ex hoc continuus, non ita, quod vivere sit quoddam fieri sicut lucere[22]), sed ita, quod iste actus nulla intercipitur quiete sicut sentire et imaginari. Sed vita est eius actus essentialis, ita, quod nihil est nisi ipsa essentia animae, quae est motus, ut supra dictum est, et processus seu diffusio in corpus, sicut lumen est diffusio lucis in perspicuo[23]). Sicut igitur lux, lumen et lucere dicunt eandem naturam, differenter tamen, quia lux nominat eam in se et lucere dicit eius actum essentialem et lumen dicit eam diffusam in luminoso, sic anima et vita et vivere dicunt unam naturam. Sed anima nominat eam in se, et ideo dicitur vivere, sicut lux dicitur luminosa, et vivere dicit eius essentialem actum, inquantum est ab anima[24]), vita autem dicit diffusionem ipsius in corpore animato, cui adhaeret ipsa vita formaliter. Sic ergo anima, inquantum habet rationem principii, non tamen sine proprietate substantiae, dicitur et est vita, et sic quodammodo mansive diffunditur ad extra«[25]).

Secunda vero consideratio animae statim inferius apparebit[26]).

Et hoc de prima parte elementi.

Circa secundam partem tria ostendam, quia primo ostendam, quid sit vivens in generali, secundo ostendam, quare anima sit et dicatur vivens in speciali, tertio subiungam ex praemissis, quod secundum diversam considerationem anima dicitur vita et vivens vita animeali.

De primo sciendum, quod omne illud et solum illud dicitur vivens proprie, D quod habet in se principium sui motus.

Circa quam descriptionem notandum, quod habens et habitum in proposito debent esse distincta, et hoc sive essentialiter, sicut coniunctum ex corpore et anima dicitur vivens, sive intentionaliter seu modaliter, sicut anima intellectualis est vivens non solum animealiter, sed etiam intellectualiter et divine.

Dico autem in se, ut sit intrinsecum secundum substantiam et non solum secundum effectum. Intraneitas enim secundum effectum non sufficit ad hoc, quod aliquid dicatur et sit principium vitae. Sic enim scriptor scribens librum diceretur esse principium intrinsecum et liber diceretur vivere secundum hanc scripturam, quod non contingit. Intrinsecum igitur necessario est principium vitae secundum substantiam.

20) cf. Alb., De morte et vita I 2; Borgnet 346b; cf. etiam Super Dion. De div. nom. 2,n.13; Simon 52,34–36
21) cf. Alb., De morte et vita I 2; Borgnet 346b–347a
22) cf. Alb., De morte et vita I 2; Borgnet 347b; cf. etiam De an. II 1 7; Stroick 74,30–40
23) cf. Alb., De morte et vita I 2; Borgnet 347b
24) cf. Alb., De morte et vita I 2; Borgnet 347b
25) cf. Ulric. de Arg., De summo bono II 4 1; de Libera 118,39–119,61
26) cf. infra, prop. 188 E

145 sic *coni.*: sicut *codd.* 148 apparebit *om. sed m. post. suppl. V* 158 seu: sive *V*
163 esse … diceretur *om. O* 164 igitur: ergo *V*

Sed sic esse principium intrinsecum, scilicet secundum substantiam, potest esse dupliciter.

»Aut quod ponat in numerum cum eo, cui est intrinsecum, sicut forma quaecumque existens simul per essentiam ei, cui est forma, unitur ei intrinsecus, non quod essentia unius transeat in essentiam alterius, sed nec unitur ei intrinsecus secundum locum, sicut cor est in animali et sphaera est intra sphaeram, sed nec est intrinseca secundum rationem cuiuscumque accidentis, sed secundum penetrationem essentiae, quod est unio per essentiam: et hoc est unum esse formam alterius«[27]). »Et hoc non sub quacumque ratione formae, sed solum vitalis, cuius actus non est esse simpliciter, sed determinatum esse, scilicet vivere, quod viventibus est esse, sicut sequens forma includit in se praecedentem et habet suam operationem perfectius quam prior forma, quia et ipsa secunda forma includens in se primam, quam determinat, perfectior est quam praecedens forma, et sicut prima forma est in secunda secundum unitatem essentiae suae, ita et operatio prioris formae includitur in propria et essentiali operatione secundae formae ita, quod est tantum una operatio. Et sic dictum est[28]), quod "vivere viventibus est esse".

Quia vero illa una essentia formae secundae, scilicet vitalis, duas partes potestativas habet, si tantum una praecedit, vel plures, si sunt plures praecedentes formae, quas includit, et ipsa sua essentialis operatio efficitur ab ipsa secundum illas potestates, oportet necessario, quod ipsa operatio sit diversarum rationum et super simplicem operationem formae praecedentis addat rationem ulterioris perfectionis. Et ideo non est vivere esse simpliciter dictum, sed esse viventium, id est est tale esse perfectum, quale habet efficere forma vivi, secundum quod vivum est. Hoc enim perfectius est omni eo, quod est tantum per suam formam naturalem et non vivit, sicut patet per opera, quia res naturalis per se non operatur nisi unum, vivens autem omne per se operatur plura[29]). Et ideo necessario forma viventis est altioris gradus in nobilitate et perfectione, quam sit forma naturalis. Unde et quidam describentes vivere dicunt, quod vivere est esse effectum essentiali efficientia a forma super naturam elevata[30])«[31]). Sic igitur se habet principium intrinsecum secundum substantiam in viventibus, quod ponit in numerum cum eo, cui est principium motus.

Aliud autem est principium intrinsecum secundum substantiam non ponens in numerum cum eo, cui est principium intrinsecum motus, sed est idem ei essentialiter, licet differant intentionaliter seu modaliter; et sic viventia sunt et dicuntur

27) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 35 5; Sturlese 41,25–30
28) Arist., De an. II 4, 415b12–13; transl. vetus: Stroick 85,71–72
29) cf. Alb., De an. II 1 3; Stroick 67,62–68,2
30) cf. Alb., De an. I 2 15; Stroick 60,67–80; II 1 3; Stroick 67,46–62; Super Dion. De div. nom. 2,n.13; Simon 52,45–51
31) cf. Ulric. de Arg., De summo bono II 4 1; de Libera 117,6–26

168 cum *om. sed m. post. suppl. V* 172 accidentis *scr.*: actus *codd.* 179 suae *om. V*
197 secundum ... (198) intrinsecum *om. V*

entia separata, puta angeli, animae sive partiales sive totales, in habendo in se principium sui motus vitalis, et hoc sive rationalis sive intellectualis sive divini.

Et hoc de primo.

Verum qualiter anima habeat intrinsecum principium sui motus, considerandum est ex anima rationali, quae non solum vivit animealiter, sed etiam intellectualiter, et per consequens habet in se principium sui motus, scilicet "unum ipsius animae"[32]), quod quidam[33]) vocant "deiformem unitatem", alii[34]) vero "abditum mentis" sive "faciem", quidam[35]) autem "intellectum agentem", hoc, inquam, principium manens in se stabile et invariabile et existens intrinsecum substantiae animae, utpote portio eius intranea et eminentior principiat omnem motum vitalem ipsius animae, sive sit intellectualis sive sensualis sive germinalis. Quod ad praesens apparet de motu intellectuali, qui est intelligere, quod est quoddam vivere, et per consequens oportet animam habere in se principium intrinsecum secundum substantiam, huiusmodi vivere non ponens in numerum cum residua portione. »Ista enim intraneitas, cum importet mutuum respectum eorum, quorum unum est in alio, non est nisi identitas substantialis. Omnis namque huiusmodi respectus talis naturae est, quod impossibile est, quod ex una parte istorum respectivorum terminetur ad substantiam sive essentiam substantiae et ex alia parte fundetur super aliquod accidens«.[36]) E

»Agitur autem hic de intraneitate intellectus agentis, quae sibi competit per essentiam suam. Ergo ex alia parte, scilicet ex parte animae, in qua ponitur intellectus agens principium vitae intellectualis, etiam attenderetur secundum essentiam. Sed ea, quae sunt sic intra invicem per essentiam, scilicet unum in alio essentialiter, sunt idem per essentiam. Ergo intellectus agens est idem essentialiter cum substantia animae et per consequens intrinsecum principium secundum substantiam omnis motus vitalis animae rationalis, sive sit vegetativus sive sensitivus sive intellectualis«.[37]) Et sicut dixi de anima rationali, ita suo modo se habet de anima intellectuali et divina, licet magis nos ibidem lateat. "Etenim", sicut dicit auctor quaest. 10 *De providentia*[38]), "in nobis iniacet secretum unius vestigium, quod et eo, qui in nobis intellectus, est divinus, in quem et consummans anima et locans se ad ipsum divina est, et vivit divina vita, secundum quod et huic licitum" est. Sic etiam est in animabus intellectualibus et divinis, quae semper suo uni indivisibiliter sunt unitae.

Et hoc de secundo.

32) Procl., De prov. 8,n.31; Boese 140,6
33) Dion., De eccl. hier. 6 3; PG 3, 533A; Suchla 116,18; Dionysiaca 1386D
34) Aug., De Trin. XIV 7,n.9; Mountain–Glorie 433,19–22; XV 7,n.11; Mountain–Glorie 475,11–12; De div. quaest. LXXXIII 46; Mutzenbecher 71,33–35; cf. etiam supra, prol. 19; Sturlese 31,871–32,872
35) Arist., De an. III 5, 430a15–19
36) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 7 3; Mojsisch 151,56–60
37) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 7 3; Mojsisch 151,60–65
38) Procl., De X dub. 10,n.64; Boese 106,9–12

207 sive: suam *V* | inquam: inquantum *V* 215 namque: autem *O* 230 ipsum: ipsam *V*

F Ex praemissis apparet tertium, quod omnis anima non solum est vita quaedam inquantum anima, sed etiam est vivens ratione principii intrinseci sui motus intellectualis et divini, quod participat a prime intellectu et prime Deo: Licet enim per se et essentialiter sit vita animealis, tamen participat vitam intellectualem et divinam a superioribus per inseparabile principium ei inexistens.

Et notandum, quod istae duae condiciones animae, scilicet quod sit vita et vivens, super se reflectuntur et se invicem comitantur. Sic enim est vita, quod tamen est vivens, ne imaginemur eam esse vel prime vel primo et per se vitam. Licet enim sit per se vita, non tamen primo. Et sic est vivens, quod tamen est vita, ne suspicemur eam esse compositam ex vita et non vita, qualia sunt animata et etiam ipse homo, de quo sic dicit Plato in *Phaedone*[39]): "Divino quippe et immortali et intelligibili et uniformi et indissolubili et semper similiter se habenti sibi ipsi simillimum esse animi, humano sane et mortali et insensato et multiformi et dissolubili et numquam secundum idem se habenti sibi ipsi similitudini rursus esse corpus".

Et sic etiam Augustinus in libro *De immortalitate animae*[40]) ostendit animam esse vitam et viventem. Et hoc de tertio.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Cui enim advenit anima, hoc vivit ex necessitate, et quod anima privatur, vita mox expers relinquitur. Aut ergo propter animam aut propter aliud aliquid, etsi non propter animam. Sed propter aliquid aliud solum, impossibile. Omne enim, quod participatur, aut se ipsum aut sui ipsius aliquid participanti dat, neutrum autem patiens neque utique participabitur; anima autem participatur ab illo, cui affuerit, et animatum illud dicitur, quod anima participat. Si igitur vitam affert animatis, aut vita est aut vivens solum aut ambo, vita simul et vivens. Sed siquidem vivens solum, non adhuc autem vita, erit ex vita et non vita. Non ergo cognoscit se ipsam neque convertitur ad se ipsam. Vita enim cognitio, et cognoscens, qua tale vivit. Si ergo aliquid in ipsa non vivens est, hoc non habet secundum se cognoscendi potentiam. Si autem vita solum est, non adhuc participabit intellectuali vita. Quod enim vita participat, vivens est et non vita solum; vita enim solum, quae prima et imparticipabilis, quae autem post illam, vivens simul et vita. Anima autem non est imparticipabilis vita. Simul ergo vita est et vivens anima.

Probatio elementi talis est.

Omne afferens vitam animatis, cuius participatione omne animatum vivit, vita est et vivens. Sed omnis anima est huiusmodi. Ergo etc.

[39]) Plat., Phaedo 80b; Minio-Paluello 37,10–14
[40]) Aug., De imm. an. 1–4; Hörmann 101,2–106,2; cf. etiam infra, prop. 189 F

246 animi: animum *V* 255 utique *om. O* 263 anima *om. O*

Maior est evidens, quia omne, quod participatur, aut dat participanti se ipsum, si se toto et totaliter et inseparabiliter participatur, aut aliquid sui, si non se toto et totaliter et sic separabiliter participatur; sed neutrum istorum modorum patiens, pro certo neque participatur.

Minor etiam apparet, quia omne illud, cui anima advenit sive ab intrinseco sive ab extrinseco, hoc vivit ex necessitate, et e converso, quod privatur anima, mox relinquitur expers vita. Aut ergo tale, quod patitur vicissitudinem accessus et recessus vitae, vivit propter animam aut propter aliquid aliud. Sed ipsum vivere propter aliquid aliud solum quam propter animam est impossibile, et hoc ostenditur ex ratione participationis, ut supra, et hoc est, quod subiungitur. Anima autem participatur ab illo, cui affuerit per sui unionem, et illud dicitur animatum, quod participat anima. Et sic apparet minor.

Deinde ibi: *Si igitur.* Infertur conclusio ex praemissis per talem divisionem, cum dicitur: igitur, si anima affert animatis vitam per sui praesentiam, tunc aut est vita solum aut vivens solum aut simul ambo, scilicet vita et vivens. Ipsam enim nec esse vitam nec viventem apparet impossibile ex praemissis, quia quod non est nec vita nec vivens, non potest afferre vitam.

Deinde ibi: *Sed siquidem.* Ostenditur secundum membrum divisionis esse impossibile tali ratione: Omne existens solum vivens sine hoc, quod sit vita, est compositum ex vita et non vita; sed secundum positionem adversarii omnis anima est huiusmodi; ergo erit composita ex vita et non vita.

Maior apparet in omnibus solum viventibus sine hoc, quod sint se totis vita: homo enim utpote compositus ex anima et corpore est ex vita quoad animam et non vita quoad corpus, et sic de aliis. Si igitur anima esset huiusmodi, tunc esset composita ex vita et non vita, et per consequens non cognosceret se ipsam, quia cognitio est vita et cognoscens qua huiusmodi vivit; et ex hoc etiam neque convertetur ad se ipsam. Omne enim sui ipsius cognitivum ad se ipsum omniquaque conversivum est per 83[41]); igitur, quod non cognoscit se ipsum, non est conversivum ad se ipsum. Si igitur in anima aliquid est non vivens sine vita, hoc non habet secundum se virtutem cognoscendi. Quod est impossibile de anima, de qua agitur.

Si autem. Hic ostenditur impossibilitas primi membri supra dictae divisionis tali ratione: Omne existens solum vita sine hoc, quod sit vivens, non participat intellectuali vita. Quod enim intellectuali vita participat, vivens est et non vita solum, quia ista est vita solum, quae est prima et imparticipabilis vita, sive imparticipabilitas accipiatur proprie quoad prime vitam sive communiter quoad primo et per se vitam, quae, cum sit simpliciter separata et sui ipsius, sic dicitur etiam imparticipabilis multo magis quam intellectuales hypostases, quae dicuntur imparticipabiles

41) Procl., Elem. theol. 83; Dodds 76,29–30; Boese 43,1–2

272 intrinseco: extrinseco *V* 273 extrinseco: intrinseco *V* 275 aliquid aliud: aliud aliquid *O* 285 sed *coni.*: si *codd.* 291 esset: est *O* 296 sine: sive *O*

per 166[42]). Sed omnis vita, quae est post imparticipabilem sive in intellectualibus hypostasibus sive in animabus, vivens simul est et vita: vita propter cognitionem, vivens propter participationem. Et sic apparet maior. Sed anima participat intellectuali vita, quia non est imparticipabilis vita. Simul ergo omnis anima vita est et vivens.

[42]) Procl., Elem. theol. 166; Dodds 144,9–11; Boese 81,1–3

306 in *om. V*

PROPOSITIO 189
OMNIS ANIMA EST ANTOZOES, ID EST PER SE VIVENS

Ostenso, quod anima sit vivens, nunc auctor ostendit modum suum vivendi dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam quandam animae descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio insufficientiae et descriptionis et expositionis ostensionem.

De primo sciendum, quod Damascenus libro II cap. 12[1]) quaerit, quid est A anima, et inferendo respondet: "Anima est ergo substantia vivens, simplex et incorporea, corporalibus oculis secundum propriam naturam invisibilis, immortalis, rationalis et intellectualis, infigurabilis, organico utens corpore et huic vitae et sensus et generationis tributiva, non habens alium praeter se ipsam intellectum, sed et partem sui ipsius purissimam: sicut enim oculus in corpore, ita in anima est intellectus; arbitrio libera est, voluntativa et operativa, vertibilis, id est voluntate vertibilis, quoniam et creabilis, omnia haec ex eius, qui condidit eam, gratia suscipiens, ex qua et esse et natura ita esse suscepit". Haec Damascenus. Et sufficiat de primo.

De secundo sciendum, quod in hac descriptione sunt quinque particulae B secundum quinque ipsius animae comparationes seu considerationes.

Anima enim potest considerari secundum se ut spiritus simplex intellectualis et immortalis, et secundum hoc dicitur substantia vivens, simplex et incorporea usque infigurabilis exclusive.

Secundo potest anima considerari, secundum quod comparatur ad corpus, et hoc dupliciter, vel ut actus ad possibile vel ut motor ad mobile; et secundum hoc dicitur infigurabilis, organico utens corpore. Ad organum enim comparatur ut actus ad possibile, utitur autem ut motor mobili.

Tertio consideratur ut totum potentiale, et hoc dupliciter. Aut quantum ad potentias, quibus commiscetur corpori, vel quantum ad eas potentias, quas exercet in corpore; et secundum hoc dicitur et huic (id est corpori) vitae et sensus et generationis tributiva. Aut quantum ad potentias sibi proprias et separabiles, quas habet anima secundum se, quibus utitur sine corpore, tam cognitivas quam motivas; et secundum hoc dicitur non habens etc.

Quarto potest anima considerari, secundum quod comparatur ad nihilum seu non ens, postquam accipit esse per creationem; et secundum hoc dicitur vertibilis etc.

[1]) Ioann. Damasc., De fide orth. II 12; Kotter 77,40–52; Buytaert 115,51–60

4 etc. *om. V* 6 quandam *om. V* 16 haec: hoc *O* 24 hoc *add.* est *O*

Quinto consideratur, secundum quod comparatur ad Deum principium efficiens, formale et finale; et secundum hoc dicitur omnia haec ex eius etc.

Et hoc de secundo.

C De tertio notandum, quod ista descriptio et sua expositio videntur in multis deficere, quia non describitur hic anima secundum sui communitatem, sed solum quaedam species animae, scilicet humana. Quod apparet ex multis, tum quia non omnis anima est rationalis, puta intellectualis et divina; tum quia non omnis anima est sensus et generationis tributiva; tum etiam quia non omnis anima est arbitrio libera nec vertibilis voluntate ex eo, quod creabilis, quia secundum hoc etiam immutabilia, puta intellectuales hypostases et omnia superiora post prime unum, essent mutabilia. Multa alia possunt colligi, quae minus plene explicantur, sed sufficiant iam dicta.

Et hoc de primo principali.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de li 'per se' in generali, secundo de per se vivente sive antozoes in speciali, tertio ex praemissis ostendam omnem animam, de qua est sermo, esse per se viventem in universo animeali.

D De primo sciendum, quod supposita distinctione eius, quod est per se et eius oppositione ad esse per accidens et per aliud, ex habitis super 4[2]) et 14[3]), omne per accidens et per aliud tale necessario infert aliquid esse tale per se; unde, si est ens per accidens et per aliud, necessario est ens per se.

"Omne" enim illud, "quod invenitur in aliquo per accidens, invenitur propter aliud habens illud per se", secundum Averroem super IV *Physicorum*[4]), quia subiectum, de quo dicitur aliquid per accidens, non est proprium et primum subiectum, sed extraneum, alioquin non diceretur per accidens de ipso, sed per se, et propter hoc necessario erit praeter illud subiectum proprium per se; et ita modus essendi per accidens non est solitarius.

Item, impossibile est per se passionem esse absque proprio et primo subiecto; quare si dicatur de alio non proprio subiecto et ita per accidens, hoc non potest esse, nisi quia habet subiectum proprium, in quo fundatur primo. Et ideo necesse est, si est ens per accidens, quod sit ens per se.

Eodem modo ens per aliud infert necessario ens per se, quia, si est ens per participationem, est ens essentialiter. Nam secundum Augustinum *De immortalitate animae*[5]), "quod per se non est, si destituatur ab eo, per quod est, profecto non erit". Quod autem non est per se, sed per aliud, est per alterius participationem; quare sequitur, si est aliquid, quod non est per se ipsum id, quod est, sed per aliud, quod est aliquid, quod est per se tale et non per aliud sive ab alio, et hoc sive tale, per quod dicitur esse, sit extrinsecum vel intrinsecum, dummodo differat essentia-

2) cf. supra, prop. 4 D; Sturlese 108,273–109,296
3) cf. supra, prop. 14 H–I; Sturlese 10,265–13,348
4) Averr., Phys. IV comm. 43; Venetiis 1562, 142vH–I
5) Aug., De imm. an. 8 14; Hörmann 116,12–13

68 destituatur *coni.*: destruatur *codd.* | profecto *coni.*: perfectio *codd.*

liter; igitur illud dicitur per se, quod est huiusmodi per suam essentiam, secundum se et absolute, sicut ignis dicitur per se ipso seu per se calidus et lux per se lucens et anima per se mobilis. Ignis enim per essentiam est calidus, et lux per essentiam lucet, et anima per essentiam est se movens, quia se tota se totam movet.

Ex dictis etiam apparet, quid dicitur esse per se tale et ex se.

Ex se enim mobile bene admittit alietatem moventis et moti, ita, quod movens vel sit distinctum subiecto a mobili sicut animata movetur ex se, scilicet per intrinsecum principium sui motus, scilicet per animam, vel movens sit saltem pars differens a toto sicut cor in animali vel illud, quod est loco cordis.

Per se autem mobile nihil talium admittit, sed necessario requirit realem indifferentiam moventis et moti.

Et hoc de primo.

»Sane ex supra dictis evidenter apparet, quod, si est per aliud vivens, necessario erit dare aliquid, quod sit per se vivens; cum igitur corpus vivat per animam, necessarium est esse per se vivens, cum omne per aliud necessario reducatur ad per se; illud autem dicitur per se vivens, quod se toto vivit per essentiam suam et per aliquid aliud, sive intrinsecum sive extrinsecum. Omne autem, quod habet aliqua essentia per se, necessario semper habet nec potest hoc incipere, quia tunc non haberet illud per se, sed per aliud vel ab alio, quod daret ei esse talis naturae. Nec etiam potest ab illo deficere, quia ipsum sibi ipsi est causa formalis eius, quod habet per se, et ideo, cum ipsum a se non removeatur, manet semper sibi causa eius, quod habet per se, et per consequens effectus formalis. Et ideo, cum per se vivens sit vita essentialiter dicta, quae est causa omnis viventis per aliud, patet, quod vivit vita perpetua, quae nec incipit nec desinit nec aliquam successionem temporalem patitur, cum sit antipostaticum et per consequens exemptum ab his, quae a tempore mensurantur per 51[6]). E

Sola enim generabilia et corruptibilia habent quandam vitae successionem, quia, licet vita sit una secundum essentiam per totum periodum viventis, tamen quia secundum esse est in materia habente contrarietatem ad vitam, ideo sic continue fluit et variatur secundum successionem; propter quod secundum Aristotelem[7]) mensuratur nunc temporis, quod in toto tempore est idem secundum substantiam, sed differt secundum esse prioris et posterioris.

Cum igitur vita per se viventis non sit recepta in aliquo, quod habeat contrarietatem ad vitam, sed sit ipsa sua essentia, oportet, quod sit permanens et fixa et se tota simul sine deminutione et sine ordine per 52[8]). Est etiam vita per se viventis pura sine admixtione aliqua potentiae mortalitatis, quia nulla contraria potentia potest esse in aliquo, cuius oppositum est sua essentia, quia, licet vivum possit habere permixtionem non vivi, tamen vita non potest esse mortalis. Secundum Boethium[9]) enim abstractum non potest recipere praedicationem sui contrarii etiam

6) Procl., Elem. theol. 51; Dodds 50,1–2; Boese 28,1–2
7) Arist., Phys. IV 14, 223a2–8
8) Procl., Elem. theol. 52; Dodds 50,10–11; Boese 28,4–5
9) non inveni, sed cf. forsan Arist., Magna mor. I 33, 1195a1–15

85 vivens *add.* quod *codd.*

denominative in concreto, et vita est ipsa essentia per se viventis; et e converso per se vivens est sua vita per essentiam. Quare nullum per se vivens habet potentiam moriendi, sed est simpliciter immortale et sic perpetuum, per 105[10]); et per consequens habet puram vitam, licet non sit eius puritatis, qua est in vitis, scilicet prime vita et primo et per se vita«[11]).

Manifestum est igitur ex praemissis, quod omne per se vivens vivit essentialiter, totaliter et aeternaliter.

Et hoc de secundo.

F Ex praelibatis etiam colligitur omnem animam, de qua est sermo, esse per se viventem; quod apparet ex tribus condicionibus per se viventis praemissis, quae conveniunt omni animae primo, quia est vita et vivens essentialiter, per praemissam[12]).

Nec obstat, quod etiam est et dicitur vivens in habendo in se principium sui motus, cum tale principium sit intrinsecum secundum substantiam, non ponens in numerum cum eo, cui est principium intrinsecum, sed sit idem ei se toto, non tamen secundum univocationem et totaliter. »Omnis enim anima habet in se plures et diversos modos qualitativos substantiales, quorum quilibet importat totam essentiam animae, quae nihilominus una est et tota simul est, nec illi diversi modi numerant essentiam, sed secundum quemlibet illorum est una, simplex et indivisa essentia sub quolibet illorum.

Et istud patet, si considerentur modi, quibus aliquando in entibus numerantur essentiae vel substantiae eorum, et ei, quibus non numerantur. Substantia enim composita ex materia et forma vel corpore et anima est essentialiter numerata quantum ad diversitatem essentialem principiorum, scilicet materiae et formae et corporis et animae. Ens etiam quantum sive quantitate continua vel discreta numeratum est secundum substantiam. Potentia autem et actus, ubi fit determinatio unius per aliud, et hoc sive in ordine ad suas causas (puta forma potentia et forma in actu) non diversificant seu numerant essentiam, sive quoad rationem suae quiditatis et essentiae absolutae (puta in genere, differentia et in specie), etiamsi accipiantur in rebus naturae, quorum quodlibet importat totam essentiam rei, hoc salvo, quod unus istorum modorum substantialium non est alter et e converso ubi actus determinatur per potentiam, dummodo ipsa principia remaneant in ratione principiorum, non numerantur essentia, ut in sequenti clarius apparebit[13]).

Respectus etiam reales naturales, qui inveniuntur in quibusdam essentiis, non numerant eas, ut ostendit Augustinus X *De Trinitate* cap. 27[14]) de memoria, intelligentia et voluntate, quorum quodlibet importat totam essentiam mentis, solum in

10) Procl., Elem. theol. 105; Dodds 94,8; Boese 53,1
11) cf. Ulric. de Arg., De summo bono II 4 2; de Libera 120,1–121,31
12) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1
13) cf. infra, prop. 190 D
14) Aug., De Trin. X 11,n.18; Mountain–Glorie 330,29–32 et 331,40–42

132 in entibus: mentibus *V* 133 ei *coni.*: eos *codd.* 142 alter *om. V*

hoc differentia, quod ad invicem referuntur, ut ipse dicit ibi. Eodem modo apparet in illis tribus qualitativis modis substantialibus, qui inveniuntur in una essentia animae rationalis, qui sunt intellectivum, sensitivum et vegetativum, quod non ponunt in numerum, cum quilibet eorum importet totam essentiam animae rationalis, differens nihilominus ab utroque aliorum, vegetativo inexistente sensitivo et sensitivo in rationali, sicut trigonum in tetragono secundum Aristotelem[15])«[16]).

Ex omnibus iam inductis apparet, quod principium intrinsecum motus vitalis cuiuscumque animae est idem per essentiam ipsi animae nec ponit in numerum cum ea.

Unde Theodorus in *Clave*[17]) sic dicit de anima rationali: "Sed, quia tota corpus suum administrat et in se ipsa tota ubique est et individua, Gregorio Nysseno teste, tota humana anima ad imaginem Dei facta est, quia tota intellectus est intelligens, tota ratio disputans, tota sensus et sentiens, tota vita et vivificans".

Si igitur sic est in anima rationali, multo magis ita est in anima intellectuali et divina.

Secundo apparet idem ex eo, quod vivit se tota et totaliter, sicut claret ex iam dictis et deducit Augustinus *De immortalitate animae*[18]).

Tertio apparet etiam omnem animam esse per se viventem, quia vivit semper et aeternaliter, sicut Augustinus pulchre ostendit libro *De immortalitate animae* sic arguens[19]): omne illud, in quo est disciplina, semper ens "semper vivit"; sed animus est huiusmodi; ergo semper vivit. Minorem ostendit quoad primam partem sic. In illo, quod recte ratiocinatur, est disciplina; sed animus est huiusmodi; ergo etc. Item, quod vivit et discit, in eo est disciplina; sed animus est talis; ergo etc. Secunda pars minoris sic ostenditur: Omne immutabile est semper ens; sed disciplina est immutabilis; ergo est semper ens. Et tunc ostenditur maior in haec verba: Item nihil, in quo quid semper est, potest esse non semper. Nihil enim, quod semper est, patitur sibi subtrahi aliquando id, in quo semper est. Praeterea secundo sic arguit: Ratio aut est nihil aut aliquid. Non nihil, tum quia est melior corpore, tum etiam quia melior est harmonia corporis. Item ratio est in nobis, ergo vel est animus vel in anima, vel corpus vel in corpore; sed non est corpus nec in corpore, tum quia non est harmonia, tum etiam quia est immutabilis. Ergo ratio vel est animus vel in animo, et quidquid horum detur, animus erit semper vivens. Amplius, tertio sic arguit: Omne movens, ut non mutetur, est substantia semper viva; sed animus est huiusmodi, tum quia movet sine tempore, licet per tempus, tum etiam quia

15) Arist., De an. II 3, 414b31–32
16) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 5 1–3; Mojsisch 149,6–150,30
17) Honor. August., Clavis phys. 268; Lucentini 216,20–24
18) Aug., De imm. an. 1–3, 16 et 19–25; Hörmann 101,2–105,6; 117,17–118,9 et 121,4–128,22
19) Aug., De imm. an. 1–3 et 5–6; Hörmann 101,2–105,6 et 106,3–107,26

152 utroque *add.* eorum *V* 158 teste: testante *O* 159 facta est: est facta *O* 161 sic *om.* *V* | rationali: totali *V* 163 quod: quia *O* 164 Augustinus *add.* pulchre *V* 173 quid: quidem *V* 179 animo: anima *O*

habet intentionem, memoriam et exspectationem. Ergo semper vivit. Item quarto sic arguit. Omne mutatum, in quo est aliquid immutabile inseparabiliter, quod non potest esse sine vita, non privatur vita sui mutatione; sed animus posito, quod mutetur, est huiusmodi, quia ars et ratio sunt in eo inseparabiliter, quae non possunt esse sine vita; ergo etc. Si diceretur, quod ars posset separari ab animo, tunc aut erit sine animo aut nusquam aut migrat de animo in animum; sed haec omnia sunt impossibilia. Ergo est inseparabilis ab animo. Cum ergo tota anima sit animus et animus sit semper vivens, ergo et anima semper vivit. Quare per se vivit.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim conversiva est ad se ipsam, quod autem ad se ipsum conversivum est omne antipostaton et anima ergo antipostaton et se ipsam instituit. At vero et vita est et vivens et esse ipsius secundum vitale. Etenim quibuscumque adfuerit vitam tradit ipso esse, etsi fuerit participans idoneum, mox animatum fit et vivens non ratiocinante anima et eligente neque ratiocinante et iudicio vivificante, sed ipso esse, quod est vitam participativo largiente. Esse ergo ipsius idem ei, quod vivere. Si igitur esse a se ipsa habet, hoc autem ei, quod est vivere, idem, et habet secundum essentiam vivere, et vitam utique sibi ipsi exhibebit et a se ipsa habebit. Si autem hoc, et antozoes utique erit anima.

Probatio elementi talis est.

Omne instituens se ipsum in esse vitali est antozoes, id est per se vivens; sed omnis anima est huiusmodi; ergo etc.

Maior apparet, quia sicut instituens se ipsum in esse subsistendi est antipostaton, id est per se subsistens, per 40[20]), ita instituens se ipsum in esse vivendi seu vitali est antozoes.

Minor ostenditur primo quoad primam partem, scilicet quod anima instituat se ipsam, sic: Omne antipostaton instituit se ipsum per 40[21]); sed omnis anima est antipostaton, quia est conversiva ad se ipsam[22]), cum sit se ipsam movens primo per 17[23]); omne autem conversivum ad se ipsum antipostaticum est per 43[24]).

At vero. Hic probatur secunda pars minoris principalis rationis, scilicet quod anima instituat se ipsam in esse vitali. Omne existens vita et vivens, cuius essentia est secundum vitale, si instituit se ipsum in esse, et instituet se ipsum secundum esse vitale.

[20]) Procl., Elem. theol. 40; Dodds 42,8–9; Boese 24,1–3
[21]) Procl., Elem. theol. 40; Dodds 42,9; Boese 24,2–3
[22]) cf. Procl., Elem. theol. 42; Dodds 44,11; Boese 25,1
[23]) Procl., Elem. theol. 17; Dodds 18,21; Boese 12,1
[24]) Procl., Elem. theol. 43; Dodds 44,25; Boese 26,1

187 sunt ... (188) tota *om. sed m. post. suppl. V* 192 ipsum: ipsam *V* 198 et[1] ... vivere *suppl.: om. codd.* 212 et: etiam *V*

Ista apparet, quia esse talis rei est idem, quod vivere; sed omnis anima est vita et vivens, per praemissam[25]), cuius essentia est secundum vitale, ut ostenditur. Ergo omnis anima, si instituit, etc.

Quod autem essentia animae sit secundum vitale, id est, quod essentia et vita et esse et vivere sint idem realiter, ex hoc apparet. Omne enim tradens ipso esse vitam, quibuscumque adfuerit eius essentia, est secundum vitale; sed omnis anima est huiusmodi, etenim quibuscumque adfuerit, talibus tradit vitam ipso suo esse. Et si fuerit participans idoneum ad participandum, anima statim sine mora fit animatum et vivens, non ratiocinante anima et eligente participari vel non participari neque ratiocinante et vivificante iudicio, sed largiente ipsi participativo vitam ipso esse, quod est ipsamet anima. Ergo essentia ipsius est secundum vitale, et esse ipsius est idem ei, quod est vivere.

Si igitur. Hic resumit auctor medium principalis rationis, ut inferat elementum, sic dicens: Igitur, si anima habet esse a se ipsa, hoc autem esse est idem ei, quod est vivere, et ex hoc habet vivere secundum essentiam, id est essentialiter; et pro certo ipsa anima exhibebit sibi ipsi vitam et habebit vitam a se ipsa, cum vita sit idem essentiae. Sed si hoc ita est, pro certo et anima erit antozoes. Et notandum, quod idem est 'instituere se ipsum' et 'exhibere sibi ipsi' seu 'habere esse a se ipsa'.

[25]) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1

227 sic *om. O*

PROPOSITIO 190
OMNIS ANIMA MEDIA EST IMPARTIBILIUM ET EORUM, QUAE CIRCA CORPORA PARTIBILIUM

Habito de natura ipsius animae secundum se et absolute et quia per 187[1]) ostendit animam esse impartibilem substantiam, ideo nunc auctor comparat eam superioribus et inferioribus ostendendo ipsam esse mediam simpliciter impartibilium essentiarum et specierum, quae circa corpora dividuntur, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa suppositum tria faciam, quia primo ponam quandam animae descriptionem et ipsius expositionem, secundo inducam descriptionis improbationem, tertio ad motiva contra descriptionem responsionem.

A De primo sciendum, quod secundum Pythagoram anima dicitur esse numerum se ipsum movens, cuius descriptionis hoc, quod pro differentia ponitur, scilicet se ipsum movens, satis apparet per declarationem 14[2]) et 17[3]).

»Restat igitur ostendere, qua ratione Pythagoras et consequenter Plato[4]) posuerint animam esse numerum; quod non erit difficile, si consideraverimus animam et in se et respectu corporis, quod vivificat.

In se multipliciter, videlicet penes intentionum formalium collectionem omnium et specialiter ipsius animae in numero formationem, propter partium eius et essentialium et potentialium multiplicationem, et propter eius ad intelligentiam comparationem. In se autem et respectu corporis propter numeralem animae in se et respectu corporis dispositionem.«[5])

Primo namque anima potest dici numerus propter intentionum formalium in ea collectionem. In ipsa enim congregantur bonitas seu unitas, infinitas, entitas, vita, intellectualitas et animealitas, ubi semper superius sicut actualius determinantur in inferius tamquam potentialius. Et sic consequenter quoadusque omnia determinentur animealitate, quae specificat ipsam animam, licet sit potentialior omnibus intentionibus supra dictis, sicut e converso intentiones potentiales determinantur per actuales in ente tendente ad suum complementum, quod sibi competit secundum actum et formam, et hoc quoad rationem suae quiditatis et essentiae, verbi gratia substantia, utpote generalissimum et sic potentialissimum

[1]) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
[2]) cf. supra, prop. 14 I; Sturlese 11,297–13,348
[3]) cf. supra, prop. 17 A–C; Sturlese 33,13–38,206
[4]) Plat., Tim. 35b1 sqq.; Waszink 27,15 sqq.
[5]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216ra

7 etc. *om. V* 8 declarabo: ostendam *O* 13 cuius ... (14) movens *om. O* 16 et *om. O*

determinatur corporeitate, et hoc animealitate, et hoc sensualitate, quae rationalitate, quae mortalitate, quae sicut ultima differentia et sic actualissima determinat omnes praecedentes intentiones ad speciem specialissimam, ubi Plato[6]) voluit esse standum. Sicut ergo species dicitur numerus sive numerosa rei essentia ex proportionata coaptatione principiorum eius formalium, quasi quoddam pulchrum resultans – unde beatus Augustinus[7]) pro numero, pondere et mensura ponit speciem, ordinem et modum, ut singula singulis referantur –, ita etiam anima eadem ratione numerus dici potest, nisi quod in anima actus determinatur per potentiam, in specie vero e converso potentia per actum determinatur, et quod principia constituentia animam sunt vere talia secundum rem, in specie autem magis secundum considerationem.

»Secundo potest dici anima numerus propter omnium et specialiter ipsius animae in numero formationem. Nam Deus "dedit numeros omnibus etiam inferioribus et in fine rerum locatis", sicut dicit Augustinus *De libero arbitrio* libro I, cap. *[8]). Non enim solum omnia, quae a primaeva rerum natura formata sunt, ratione numerorum formata sunt[9]), sed et omnia simpliciter in pondere, numero et mensura constituta sunt. Et propter hoc numerus sapientialis est, secundum quod dicit Augustinus VI *Musicae*[10]). Isti enim numeri, quos habet, numeri sunt sapientiales, quoniam sunt verae et incommutabilis sapientiae. Sapientia etiam aeterna, quia attingit a fine usque ad finem fortiter et omnia disponendo suaviter, numerus dicitur[11]), secundum quod dicit quidem sapiens[12]) secundum aliam translationem: "circuivi ... ut ... quaererem sapientiam et numerum". Et quia anima et specialiter rationalis est sedes sapientiae, numerat eam sapientiam, qua quidem numerata numerat alia, sicut habentur illa ab Augustino *De libero arbitrio* I cap.[13]), ut merito sicut sapientia aeterna dicitur numerus principalis, sic anima, quae etiam dicitur sapientia vel intelligentia, dicatur et sit numerus.«[14])

Quod autem et qualiter anima sit ex numeris formata, considerari potest ex dicendis.

6) cf. Porphyr., Isag.; Busse 6,13–15; Minio-Paluello–Dod 12,9–11
7) Aug., De civ. Dei V 11; Dombart–Kalb 142,10–11
8) cf. pot. Aug., De lib. arb. II 11,n.31; Green 258,34–35
9) cf. Boeth., De arithm. I 2; Oosthout–Schilling 14,2–3
10) Aug., De mus. VI 12,n.34; PL 32, 1181
11) cf. Aug., De lib. arb. II 11,n.30; Green 258,29–31; Sap. 8, 1
12) Eccle. 7,26; ap. Aug., De lib. arb. II 8,n.24; Green 253,115–118
13) cf. pot. Aug., De lib. arb. II 8–12,n.20–33; Green 250,1–260,20
14) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216ra

32 sensualitate: sensibiltiate *O* 44 etiam: et *V* 49 sapientiales: spirituales *O* 51 et *om. O* 52 quidem: quidam *O*

Sicut enim recitat Macrobius I libro *Super somnium Scipionis*[15]), "quaternarium" Pythagorici, "quem tetrasim vocant adeo quasi ad perfectionem animae pertinentem inter arcana venerantur, ut ex eo etiam iurisiurandi religionem fecerint" ... "per" eum, "qui animae" nostrum "numerum" dedit esse "quaternum. Ternarius vero assignat animam tribus partibus[16]) suis absolutam, quarum prima est ratio, quam logisticon appellant, secunda animositas, quam thymicon vocant, tertia cupiditas, quam epyneticon" nuncupant. "Item nullus sapientium animam ex symphoniis quoque musicis constitisse dubitavit".



Et infra loquens de septenario sic dicit[17]): "Apud veteres septas vocitabatur, quod graeco nomine testabatur venerationem debitam numero. Nam primo omnium hoc numero mundana anima" creata "est, sicut *Timaeus*[18]) Platonis edocuit. Monade enim in vertice locata, terni numeri ex utraque parte ab eadem fluxerunt, ab hac pares, ab illa impares; id est post monadem a parte altera duo, inde quattuor, deinde octo, ab altera parte tria, deinde novem", deinde "viginti septem. Ex his numeris facta contextio generationem animae imperio Creatoris effecit". Et infra libro II enumeratis iam dictis numeris sic dicit[19]): "Timaeus igitur Platonis in fabricanda mundi anima consilium divinitatis enuntians ait illam per hoc numeros fuisse contextam, qui et a pari et impari cubum id est soliditatis perfectionem efficiunt, non quia aliquid significaret illam habere corporeum, sed ut possit universitatem animando penetrare et mundi solidum corpus implere, per numeros soliditatis effecta est. Nunc ad ipsa Platonis verba veniamus". Et infra[20]): "Alternis enim, ut facile animadvertere est, processit illa contextio ut post monadem, quae et par et impar est, primus par numerus poneretur, id est duo, deinde sequeretur primus impar, id est tria, quarto loco secundus par, id est quattuor, quinto loco secundus impar, id est novem, sexto loco tertius par, id est octo, septimo loco tertius impar, id est viginti septem, ut quia impar numerus mas habetur

15) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 6,n.41–43; Willis 25,25–26,6; cf. etiam Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216vb
16) cf. Plat., Res p. IV, 435b; 77b; Tim. 35a1; Waszink 27,7; Calcid., Comm. 229–233; Waszink 244,11–247,12; cf. etiam supra, prop. 166 H; Jeck–Tautz–Bray 55,271–273
17) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 6,n.45–46; Willis 26,18–28; cf. supra, prop. 166 G; Jeck–Tautz–Bray 54,242–245
18) Plat., Tim. 35b4–c2; Waszink 27,18–23; Calcid., Comm. 32–33; Waszink 81,19–83,19
19) Macrob., Comm. in Somn. Scip. II 2; Willis 101,18–26; cf. etiam supra, prop. 179 A; Jeck–Tautz–Bray 201,46–51
20) Macrob., Comm. in Somn. Scip. II 2; Willis 102,11–103,5; cf. etiam supra, prop. 179 A; Jeck–Tautz–Bray 201,54–202,63

63 nostrum: nostrae *V* 66 nullus *om. O* 85 animadvertere *coni.*: advertere *O* adducere *V* 86 primus par *add.* et *O*

et par femina, ex pari et impari, id est ex mare et femina, nasceretur anima, quae erat universa paritura, et ad utriusque soliditatem usque procederet quasi solidum omne penetratura. Deinde ex his numeris fuerat componenda, qui soli continent iugabilem competentiam, quia omni mundo erat iugabilem praestatura competentiam. Nam duo ad unum sunt dupla, de duplo autem diapason symphoniam nasci diximus, tria vero ad duo emiolium numerum faciunt, hinc oritur diapente, quattuor ad tria epitritus est numerus, ex hoc componitur diatessaron; item quattuor ad unum in quadrupli ratione censentur; ex hoc symphonia bisdiapason nascitur. Ergo mundi anima, quae ad motum, quem videmus, universitatis corpus impellit, contexta numeris musicam de se creantibus continentiam necesse est ut sonos musicos de motu, quem proprio praestat impulsu, efficiat, quorum originem in fabrica suae contextionis invenit". Haec Macrobius. Ex quibus apparet formatio animae ex numeris; et ideo non inconvenienter dicitur numerus.

»Tertio etiam potest dici numerus propter partium eius et essentialium et potentialium multiplicationem.

Nam si anima sit una et individua seu impartibilis secundum substantiam, nihilominus tamen concernit et habet partes essentiales et potentiales.«[21]) Essentiales, quae non ponunt in numerum – ut supra praemissa latius est ostensum[22]) –, quas quidam vocant intellectivum, sensitivum et vegetativum.

Alii autem subdistinguunt intellectivum in intellectum, rationem et sensum interiorem, ut Theodorus in *Clave*[23]) quaerens, "utrum homo secundum animam, hoc est secundum omnes partes, quae intelliguntur in anima, ad imaginem Dei sit conditus, an secundum praecellentes solummodo, studiosissime a spiritualibus viris quaesitum est et ad hoc perventum, non alibi nisi secundum excellentissimam sui partem intelligibilem videlicet divinam imaginem exprimere, quae pars, veluti triformis, intelligitur in intellectu plane et ratione et sensu interiori".

Alii vero subdistinguunt intellectivum in abditum mentis et exterius cogitativum ponentes imaginem divinam in abdito mentis quoad eius trinitatem, scilicet memoriam, intelligentiam et amorem, inter quos Augustinus, sicut apparet in *De Trinitate*[24]).

Istas tres partes essentiales animae *Timaeus* Platonis videtur intendere, scilicet intellectivam, ratiocinativam et vegetativam, cum dicit I libro[25]): "Itaque tertium animae genus excogitavit hoc pacto ex individua semperque in suo statu perseverante substantia itemque ex alia quae inseparabilis corporum comes per eadem corpora scindere se putatur, tertium substantiae genus mixtum locavit medium

[21]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216ra–b
[22]) cf. supra, prop. 189 F; ex Theodor. de Vrib., De int. II 5 1–3; Mojsisch 149,6–150,30
[23]) Honor. August., Clavis phys. 268; Lucentini 215,10–16
[24]) Aug., De Trin. X 11,n.17; Mountain–Glorie 329,1–3
[25]) Plat., Tim. 35a1–7; Waszink 27,6–14

92 omne: omnia *V* 93 competentiam[1]: compotentiam *V* | omni mundo: mundo omni *V* | competentiam[2]: compotentiam *V* 95 diximus: dicimus *O* 97 quadrupli: quadruplici *O* 98 videmus *add.* quae *O* 110 ut: unde *O* 117 quoad ... trinitatem *iter. O*

inter utramque substantiam, eodemque modo ex gemina biformique natura, quippe cuius pars diversum vocatur, tertium naturae genus commentus est, quod medium locavit inter individuam, et item in coniugatione corporea dividuam substantiam, triaque omnia haec in unam speciem permiscuit". Haec Plato. Considera, quod dicit animam constare ex tribus numeris seu partibus suis essentialibus, scilicet individua (puta intellectiva), quae est tota simul et secundum omnia aeternalis et sic separabilis a corpore, et dividua (scilicet vegetativa), per quam inseparabiliter se habet ad corpus subiectum, et media inter extremas (scilicet ratiocinativa), quae coniungit extremas partes secundum veram naturam medii.

Ista etiam videtur esse sententia Boethii III *De consolatione* metro 9, ubi dicit[26]):

"Tu triplicis mediam naturae cuncta moventem
connectens animam per consona membra resolvis".

Ecce, dicit membra, id est partes essentiales.

»Si vero oculos considerationis coniecerimus ad ipsius animae virium et operationum multiplicationem, in quibus est numerosa, ut propter hoc merito numerus, et istam quidam dicunt esse rationem Platonis, qua ponit animam constitui ex numeris, secundum expositionem Calcidii[27]). Posuit enim Plato[28]) in anima unitatem propter unitatem ideae, ad cuius similitudinem facta; nihilominus etiam posuit dualitatem, ternarium, quaternarium et reliquos numeros propter multiplicem divisionem potentiarum ipsius animae. Nam intellectum posuit unitatem propter principiorum simplicium apprehensionem; scientiam binarium propter unius principii ad unam conclusionem veram illationem; opinionem ternarium propter unius medii ad duplicem conclusionem veram aut falsam collationem; sensum quaternarium, quia apprehensivus est rerum, quae quattuor praedictis comprehenduntur, scilicet unitate habente positionem, quae est punctus et quasi punctum, longitudinem quasi dualitate, latitudinem quasi ternario, altitudinem quasi quaternario. Istam positionem tangit Aristoteles I *De anima*[29]) invehens contra Platonem tamquam proprie locutum, cum tamen ex dictis appareat eum metaphorice fuisse locutum.«[30])

»Quartum potest anima dici numerus propter comparationem eius ad intelligentiam, sicut manifestat Avencebrol libro IV cap. 12[31]). Nam processus rerum a primo secundum formam numeri est. In cuius ordine comparat formam intelligentiae unitati, cuius ratio est, et penes simplicitatem et penes apprehensionem.

[26]) Boeth., Philos. cons. III m.9; Moreschini 80,13–14; cf. supra, prop. 166 G; Jeck–Tautz–Bray 54,252–255
[27]) Calcid., Comm. 40 sqq.; Waszink 89,3 sqq.
[28]) Plat., Tim. 35b1 sqq.; Waszink 27,15 sqq.
[29]) Arist., De an. I 2, 404b18–27
[30]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216rb
[31]) Avenc., Fons vitae IV 12; Baeumker 238,7–8 et 13–16; IV 13; Baeumker 238,23–239,2

125 gemina: geminaque *V* 132 media: medium *V* 152 eum *scr.*: cum *codd.*

Penes simplicitatem, quia forma intelligentiae convenit uni et est una sibi ipsi et, quidquid fuerit in alio essentialiter hoc et illud, unum sunt. Ergo forma intelligentiae est unitas et substantiae ordinatae infra intelligentiam ordinatae sunt propter numerorum ordinationem, quae sunt cadentes infra unum. Haec Avencebrol. Cum igitur anima sit infra intelligentiam, ipsa cadit in numerum.

Penes apprehensionem vero dicit[32]), quod "forma intelligentiae similis est formae unius, quia est apprehendens propositionem unam; et forma animae rationalis similis duobus, quia movetur a propositionibus ad conclusionem, ab identitate ad extraneitatem; et forma animae sensibilis est similis tribus, quia est apprehendens corpus, quod est trium dimensionum per medium trium, quae sunt color, figura, motus; et forma naturae est similis quattuor, quia natura habet quattuor vires. Et si omnino consideraveris omnia, invenies ea ordinata et constituta secundum naturam numeri et invenies omnia cadentia infra formam intelligentiae, quae est unitas, ideo, quia omnis numerus cadit sub uno". Haec Avencebrol.

Et secundum hanc considerationem numeralem manifestum, quod ratio et nomen numeri primo convenit animae propter hoc, quod binarius est primus numerus et anima est immediata post intellectuales hypostases.«[33])

»Quinto et ultimo modo anima potest dici numerus propter numeralem animae dispositionem et in se et respectu corporis, siquidem invenimus in ea septem genera numerorum, tria in se et quattuor respectu corporis, secundum quod ostendit Augustinus VI *Musicae*[34]). Sunt enim numeri in anima aut quibus delectamur proprie aut contristamur, et hi vocantur iudiciales seu rationales vel intellectuales; aut, quibus delectamur et iudicamus, et tunc sunt aut in ratione agendi tantum, et illi sunt numeri progressores, quibus movetur anima ad operandum vel pronuntiandum, aut in ratione patientis, et illi numeri dicuntur occursores, secundum quos et quibus occurrit anima passionibus; et quia ex actione et passione ipsius anima sumit impressiones in ipsa anima, propter hoc numeri, quibus retinentur impressiones, dicuntur recordabiles; his autem omnibus condelectamur vel contristamur; numeri alii dicuntur sensuales, quibus eligimus et respuimus etiam naturaliter sine iudicio rationis. Tandem vero iudicamus per rationem de his per numeros intellectuales, propter quos numeros dicit Augustinus *Super Genesim* libro IV cap. 1[35]), quod in ipsa interiori natura numerorum, quam mente intuemur, ea, quae etiam in sensibus corporis adiacent, numeramus numerisque disponimus; et eodem libro, cap. 3[36]): "Senarii numeri perfectionem" non extra "cernimus sicut oculis corpora nec intra" nos ut corporum phantasiae, "sed alio longe differenti modo". Interius enim vim numeri continet anima.«[37])

[32]) Avenc., Fons vitae IV 13; Baeumker 239,5–16
[33]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216rb
[34]) Aug., De mus. VI 6,n.16–9,n.24; PL 32, 1171–1177; VI 13,n.42; PL 32, 1185
[35]) Aug., De Gen. ad litt. IV 1; Zycha 94,7–10
[36]) Aug., De Gen. ad litt. VI 7; Zycha 102,23–103,2
[37]) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216rb–va

184 sumit: fiunt *O* 185 recordabiles: recordiales *O* 189 mente: mediate *V*

De his octo generibus numerorum loquitur Theodorus in *Clave*[38]), ubi ostendit, qualiter anima "nullis temporum morulis mirabili celeritate ex corporalibus numeris in sensualibus formatas sentit imagines, per occursores recipit, per progressores introducit, per recordabiles memoriae commendat, per rationales ordinat, per intellectuales approbat aut improbat secundum regulas divinorum numerorum, qui supra eam sunt, quorum exemplaria perspiciens et de numeris intra se ipsam constitutis iudicat, deque corporalibus et sensualibus, qui utrique extra se sunt[39]). Octo siquidem numerorum ordines ratio invenit, quorum primus et summus est supra intellectum in aeternis causis, secundum quem discernit anima rationalis, ... duo quoque omnino et extra et infra animam sunt, quorum unus et extimus in corporalibus est, ex quibus corporei sensus formantur, in quibus phantasiae fiunt, alter in ipsis corporeis sensibus formatur, et ipse est phantasiarum primus ordo in instrumentis sensuum constitutus, in oculis dico et auribus ceterisque sensuum sedibus. In ipsa vero anima quinque numeri computantur naturaliter insiti: occursores, qui primi occurrunt phantasiis, post hos progressores ac veluti duces ad urbem memoriae, ad quam, dum phantasiae pervenerint, a recordabilibus introducuntur; deinde rationales per urbem distribuunt, prout intellectuales iusserint". Haec Theodorus.

»Propter haec igitur septem numerorum genera existentium in anima non incongrue potest dici anima numerus, quamvis et numerorum ratione, quibus colligata est anima corpori, possit etiam dici numerus, licet non secundum tantam proprietatem, quippe sicut vult Macrobius libro I[40]) constat et secundum certam constitutam numerorum rationem "animas sociari corporibus", qui "numeri" cum "supersunt, perseverat corpus animari: cum vero" deficiant, "mox arcana illa vis dissolvitur". De quo quidem numero dicit Vergilius[41]): Complebo "numerum reddarque tenebris". Cum igitur anima, ut dictum est, in ratione conservantis et continentis corpus se habeat per hos numeros, propterea etiam quantum ad hos potest anima numerus vocari.

Manifestum est igitur ex praemissis, quibus rationibus moti Pythagorici et Plato animam esse numerum posuerunt.«[42])

Et hoc de primo.

B »Verum quia Aristoteles potius verba quam intellectum impugnat, sicut dicit Macrobius libro II[43]), quod "Aristoteles" arguit "de verbis calumniam sarciens" (id est excerpens), contra "Platonem" "contendit".«[44])

38) Honor. August., Clavis phys. 217; Lucentini 171,15–21; 218; Lucentini 171,2–15
39) cf. Aug., De mus. VI 6,n.16–9,n.24; PL 32, 1171–1177; VI 13,n.42; PL 32, 1185
40) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 13; Willis 53,28–30 et 54,1
41) Verg., Aen. VI 565
42) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216va
43) Macrob., Comm. in Somn. Scip. II 15; Willis 143,6–8
44) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216va

213 et: ut *O* enim *B*

Est autem summa rationum Aristotelis, sicut testatur Gregorius Nyssenus *De homine* libro 1 cap. 2[45]) in haec verba: "Quoniam autem numerus non est anima, manifestum est hinc. Numerus est quantitas, anima autem non est quantitas, sed substantia ... Amplius anima continua est, numerus autem continuus non est. Amplius numerus aut par est aut impar, anima autem non par vel impar. Amplius numerus secundum appositionem augetur, anima autem secundum appositionem non augetur. Amplius anima per se ipsam mobilis est, numerus autem terminatus immobilis est. Amplius numerus manens unus et idem natura nullam qualitatem, quae in numeris sit, permutare potest, anima autem una et eadem manens eam, quae secundum substantiam permutat qualitatem ex indisciplinatione ad disciplinam transiens et ex malitia in virtutem. Non ergo numerus est anima".

Et hoc de secundo.

Tertium satis apparet ex praemissis, quia ponentes animam numerum non accipiunt numerum proprie pro discreta quantitate, sed pro re numerosa. C

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de impartibilium propria ratione, secundo de eorum, quae circa corpora partiuntur, condicione, tertia de ipsius animae inter ista duo sicut extrema naturali mediatione.

De primo sciendum, quod, sicut in praecedentibus frequentius est ostensum[46]), omnia illa et illa sola sunt simpliciter impartibilia, quae vel subsistunt in uno tantum formali principio – et hoc sive prime, scilicet secundum causam principaliformiter sicut prime unum et bonum, sive secundum essentiam ut unitates sive bonitates – vel in pluribus formalibus principiis secundum ordinem numeralem – hoc est vel in duobus sicut infinitates vel in tribus sicut entitates vel in quattuor sicut vitae vel in quinque sicut intellectuales hypostases – ita tamen, quod ipsa principia remaneant in ratione et natura principiorum in naturis seu essentiis in eis subsistentibus, hoc est, quod non distrahantur in ulteriores naturas; et per consequens constituta ex eis et in ipsis subsistentia sunt res ut simpliciter et secundum speciem, absque determinatione sui ad individuum et particulare, licet non absque proprietate singularitatis. Et omnia talia sunt simpliciter impartibilia, licet in eis maior et minor simplicitas reperiatur, et haec, ut dictum est, incipiunt in prime uno et in intellectualibus hypostasibus terminantur. D

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod omnis forma corporalis, scilicet quam dimensiones interminatae praecedunt in materia, est de numero eorum, quae dividuntur circa corpora secundum Averroem in *De substantia orbis*[47]), licet non dividantur proprie secundum se, quia divisio et indivisio quantitati congruunt, et ex hac E

45) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 30,4–16; Verbeke–Moncho 40,71–85
46) cf. e. g. supra, prop. 187 D–E
47) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 5rC–5vG

231 continuus non: non continuus *V* | non est: *om. sed in marg. suppl. O* 232 autem: anima *sed del. et in marg. corr. O* 235 unus: *om. sed m. post. suppl. V* 236 sit: sic *V* 247 et illa *om. V* 248 scilicet ... (249) prime *om. sed m. post. suppl. V* 258 haec *coni.*: hoc *codd.*

quanto sive sit tale per se vel per accidens. Inter formas tamen huiusmodi (scilicet corporales) invenitur non modica differentia; tanto enim aliqua earum est altioris gradus naturae, quanto superioribus principiis simplicibus et impartibilibus magis assimulatur et appropinquat.

Quod quidem ex propriis talium formarum operationibus perpendi potest.

Formae enim elementorum, quae sunt infimae et materiae propinquissimae, non habent aliquam operationem excedentem qualitates activas et passivas, ut calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum et densum et aliae, quae videntur esse materiae dispositiones.

Super has sunt formae mixtorum corporum, quae praeter praedictas operationes habent aliquam operationem consequentem speciem, quam sortiuntur ex corporibus caelestibus, sicut quod adamas trahit ferrum non propter calorem aut frigus aut aliquid huiusmodi, sed propter quandam participationem virtutis caelestis.

Super has autem formas sunt iterum animae plantarum, quae habent similitudinem non solum ad ipsa corpora supercaelestia, sed etiam ad motores corporum caelestium, inquantum sunt principia motus quibusdam se ipsa moventibus.

Super has autem ulterius sunt animae brutorum, quae similitudinem iam habent ad intellectualem substantiam moventem corpora caelestia (scilicet ad animam totalem) non solum in operatione, qua movent corpora, sed etiam quia in se ipsis cognoscitivae sunt, licet brutorum cognitio sit rerum materialium tantum et materialiter, unde et organis corporalibus indiget.

Super has autem sunt animae humanae, quae similitudinem habent ad intellectuales hypostases, et hoc in genere cognitionis, quia immaterialia cognoscere possunt intelligendo. In hoc tamen ab eis differunt, quod quandam cognitionem immaterialem (scilicet quae est intellectus possibilis secundum convenientem intelligendi modum) secundum viam Aristotelis[48]) animae humanae naturaliter acquirunt ex cognitione materialium, quae est per sensum; in operatione vero cognitiva intellectus agentis nihil talium invenitur, unde et secundum ipsius cognitionem animae humanae magis ad genus cognitionis intellectualium hypostasum appropinquant.

Super istas autem animas humanas sive partiales ultimo et supremo gradu sunt animae caelorum (scilicet totales), quae ampliorem similitudinem habent ad intellectuales hypostases in genere cognitionis, quia nullam cognitionem colligunt a sensibus, quibus carent, sive talis cognitio sit animealis sive intellectualis sive divina, quarum cognitionum distinctio et proprietas inferius apparebit[49]).

[48]) Arist., Anal. post. II 19, 100a1
[49]) cf. infra, prop. 197 G–I

266 est *om.* *V* 281 iam: non *V* 286 autem *om.* *O* | sunt animae *om.* *V* 294 appropinquant: appropinquat *V*

Sic igitur ex operationibus animarum et quae sunt idola animarum (puta germinales et brutales) et quae sunt verae animae (puta partiales et totales), esse earum et modum essendi quantum ad partibilitatem et impartibilitatem cognosci potest. Cum enim idola animarum non habeant aliquam operationem, et hoc sive motivam sive cognoscitivam materialia, transcendentem esse earum, nullo modo proprie potest dici supra corpus elevatum, sed sunt immersae suis corporibus, et sic contrahunt eorum appendicia (scilicet hic et nunc) et per consequens sunt partibiles, licet plus et minus, ut ex earum operationibus satis patet.

Verae autem animae vel transcendunt materialia totaliter, et sic elevantur supra sua corpora nec secundum aliquam cognitionem immerguntur (puta totales), vel aliquo modo transcendunt et aliquo modo non (puta humanae). Inquantum enim habent operationem materialia transcendentem, esse earum est supra corpus elevatum, non dependens ex ipso. Inquantum vero immaterialem cognitionem ex materiali, ut dictum est, natae sunt acquirere, manifestum est ipsas complementum suae speciei non posse habere sine corporis unione, verum inquantum sensitivae et vegetativae necessario corpori immerguntur et condicionantur ex condicionibus corporis, scilicet hic et nunc.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet, quod solae verae animae sunt mediae inter simpliciter F impartibilia, et sic nullum respectum ad corpora concernentia et inter formas sive species inseparabiles a corporibus compartitas partibilibus molibus et condistentas ipsis corporibus. Sunt, inquam, mediae et per abnegationem et participationem extremorum, quia nec sunt simpliciter impartibilia sicut entia secundum speciem nec simpliciter partibilia sicut generabilia, sed aliquo modo impartibilia et aliquo modo partibilia. Deficiunt enim ab impartibilitate superiorum et superant partibilitatem inferiorum; habent enim respectum essentialem ad corpora, propter quem coniunctae sunt essentialiter corporibus, et sic recedunt a proprietate simpliciter impartibilium et accedunt ad partibilia; sed quia non condicionantur vel simpliciter vel quoad omnes modos suos condicionibus suorum subiectorum, ideo elevantur a partibilibus. Sunt etiam separatae vel separabiles, ut supra dictum est[50]), a corporibus; et sic participant superiora et sunt actus corporum et sic conveniunt cum inferioribus. Sunt etiam alio modo mediae inter superiora, a quibus procedunt, quae per simplicem emanationem producunt omnia sua causata, et inter causantia per motum et transmutationem, quia sunt causae suorum corporum per informationem.

Sed de prima mediatione hic intenditur.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

[50]) cf. supra, prop. 185 L sqq.; prop. 186 H

314 posse habere: habere posse *O* 315 ex *om. O* 319 impartibilia: et partibilia *V*
322 entia ... (323) sicut *om. O* 336 elementi *om. V*

COMMENTUM

Si enim antozoes et antipostatos et separabilem habet a corporibus existentiam, exempta est, dignior existens, ab omnibus partibilibus circa corpora. Illa enim sunt penitus inseparabilia a subiectis, compartita partibilibus molibus et non a se ipsis quidem existentia et a propria partibilitate, condistenta autem corporibus. Etsi in vitis subsistant, non sui ipsorum vitalizantia sed participantium, etsi substantiae et in speciebus existentiae, non sui ipsorum entia species sed specificatorum. Si autem non hoc solum est anima, substantia antipostatos et vita antozoes et cognitio sui ipsius cognitiva et separata secundum omnia hoc a corporibus, sed et participans vita; si autem hoc, et substantia participans, participat autem et cognitione ab aliis, palam itaque, quod inferior impartibilibus est. Quod quidem igitur vita aliunde repletur et substantia, siquidem et vita. Ante animam enim et quae imparticipabilis vita et quae imparticipabilis substantia. Quod autem et primitus cognitivum vitale non est, manifestum, siquidem secundum quod quidem anima omnis vivit, non secundum quod autem anima omnis cognitionem habet. Etenim ignorat entia anima quaedam quidem existens anima. Non ergo primitus est cognitivum neque ipso esse cognitio est. Secundum ergo essentiam habet ab his, quae primae et a cognitivis ipso esse. Quoniam autem huiusmodi esse divisum est a cognitione, non ergo impartibilium est anima. Ostensum est autem, quod neque eorum, quae circa corpora partibilium, media ergo utrorumque est.

Probatio elementi talis est.

Omne antozoes et antipostatos et habens separabilem existentiam a corporibus est medium impartibilium et eorum, quae circa corpora partibilium; sed omnis anima est antozoes, per praemissam[51]), et antipostatos, cum sit conversiva ad se ipsam per 43[52]), et habens separabilem existentiam a corporibus per 186[53]). Ergo omnis anima est media etc.

Maior praemissae rationis sic ostenditur: Omne exemptum et dignius omnibus partibilibus circa corpora et indignius simpliciter impartibilibus et nullum respectum ad corpora concernentibus est medium etc.; sed omne antozoes et antipostatos et separabilem habens a corporibus existentiam est huiusmodi; ergo etc. Maior apparet, quia omne medium in ordine essentiali debet esse exemptum et dignius inferioribus et indignius superioribus, per 130[54]) et 146[55]) et duas sequentes[56]).

51) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
52) Procl., Elem. theol. 43; Dodds 44,25; Boese 26,1
53) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
54) Procl., Elem. theol. 130; Dodds 116,1–4; Boese 65,1–4
55) Procl., Elem. theol. 146; Dodds 128,22–24; Boese 72,1–3
56) Procl., Elem. theol. 147; Dodds 128,32–33; Boese 73,1–2; 148; Dodds 130,4–5; Boese 73,1–2

340 molibus *add.* existentia *V* 343 hoc *add.* non *O* 347 vita^{2} … (348) imparticipabilis *om. O* 349 quidem *scr.*: quidam *codd.* | autem *om. O* 351 ergo^{2} *add.* existentiam *V* 355 est *om. O* 357 et^{2} … partibilium *om. sed m. post. suppl. V*

Illa enim. Hic deducitur minor quoad primam partem, in qua fit comparatio animarum ad inferiora quoad exemptionem et dignitatem, quia illa (scilicet partibilia circa corpora) sunt penitus inseparabilia et secundum esse et operationem a suis subiectis, quorum sunt actus, et per consequens sunt compartita sive divisa, licet per accidens molibus seu quantis partibilibus. In talibus enim dimensiones interminatae praecedunt formam in materia subiecta, et per consequens ipsa forma dividitur divisione sui subiecti, secundum declarationem Averrois in *De substantia orbis*[57]); et ex hoc talia sunt exstantia (id est extra stantia) a se ipsis, et hoc a propria partibilitate, quam trahunt a substantiis, quibus insunt, vel sic secundum aliam litteram, quia sunt in alio inseparabiliter, ideo non sunt existentia a se ipsis, per 41[58]), sed ab aliis; et sic non convertuntur ad se ipsa et hoc a propria partibilitate, per 16[59]) et praecedentem[60]), cum sint condistenta corporibus.

Etsi in vitis. Hic comparat animas ad inferiora, inquantum ipsae animae sunt antozoes, quod non competit condistentis corporibus, dicens: Etsi (pro quamvis) ea, quae sunt circa corpora partibilia, subsistant in vitis, inquantum habent quandam resonantiam vitae, non tamen sunt vitalizantia sui ipsorum ita, quod per se vivant, sed solum sunt vitalizantia seu vivificantia participantium subiectorum.

Etsi substantiae. Ecce, tertia comparatio per defectum eius, quod est esse antipostatos; etsi (subaudi: illa) sint substantiae – cum non sint accidentia et quaedam existentiae in speciebus specialissimis, sicut omnis alia prima substantia est existens in secunda –, non tamen sunt entia species sui ipsorum, ita, quod vel species salvetur in uno individuo sicut in animabus caelorum, vel quod aliquando separaretur ab hic et nunc, sicut animae humanae, quando sunt in ente, ut infra patebit[61]). Sic ergo illa non sunt entia species sui ipsorum, sed solum specificatorum, quorum sunt actus.

Si autem non hoc. Hic declaratur minor suprapositae rationis quoad secundam partem, ubi fit comparatio animarum ad superiora quoad inferioritatem, cum dicitur: Sed si anima non est hoc solum, scilicet substantia antipostatos et vita antozoes, et cognitio cognitiva sui ipsius et separata secundum omnia haec tria a corporibus subiectis, sed et cum hoc ipsa anima est participans vita, cum non sit vita per essentiam et vita prime. Sed si anima est hoc (scilicet ens participans vita), tunc et est participans substantia, cum substantia sive entitas sit ante vitam per 101[62]), et per consequens quidquid participat vita, participat et entitate. Sed praeter hoc et anima participat cognitione ab aliis superioribus se, sicut a prime intellectu et ab intellectualibus hypostasibus; itaque palam est, quod ipsa anima inferior est impartibilibus.

57) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 5rC–5vG; supra, prop. 190 E
58) Procl., Elem. theol. 41; Dodds 42,30–31; Boese 25,1–2
59) Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
60) Procl., Elem. theol. 15; Dodds 16,30; Boese 11,1
61) cf. infra, prop. 202 C
62) Procl., Elem. theol. 101; Dodds 90,17–19; Boese 51,1–4

383 sui ... (384) vitalizantia *om. sed m. post. suppl. V*

Et potest formari talis ratio: Omne participans cognitione, vita et entitate est compositius, indignius et sic inferius impartibilibus, in quibus est vel cognitio essentialis, puta in intellectualibus hypostasibus) vel cum cognitione vita (puta in vitis) vel cum his entitas (puta in enter entibus); licet enim omnia sint in omnibus, proprie tamen in unoquoque per 103[63]); sed omnis anima est huiusmodi; ergo est inferior impartibilibus.

Maior apparet per 58[64]), 71[65]) et 72[66]).

Minor ostenditur in littera quoad omnes partes ipsius, et primo quoad participationem vitae et substantiae sive essentiae tali ratione: Omne, quod repletur aliunde vita et per consequens substantia, est participans vita et substantia; sed omnis anima est huiusmodi; ergo etc.

Maior apparet, tum quia manifestum est pro certo, si anima vita participat, et substantia participabit, tum etiam per commentum 9[67]). Minor probatur sic: Illud ante repletur aliunde et vita et substantia, cuius imparticipabile, quod est propria prime causa seu primordialis unitas est post eam et quae imparticipabilis vita et quae imparticipabilis substantia; sed ante imparticipabilem animam est imparticipabilis vita et substantia; ergo anima repletur aliunde et vita et substantia.

Quod autem. Hic probatur tertia pars minoris, scilicet quod repleatur aliunde praeter suam prime causam cognitione sic: Omne vitale non existens primitus cognitivum repletur aliunde cognitione; sed anima est huiusmodi, siquidem omnis anima vivit, secundum quod est anima, cum sit antozoes per praemissam[68]), sed non omnis anima inquantum anima habet cognitionem, quia anima existens quaedam anima (puta anima humana et idolum animae) ignorat entia; ergo licet sit vitalis, tamen non est quid primitus cognitivum neque cognitio est ipso esse, id est cognitio non est idem ipsi esse in animabus; ergo anima non est quid primitus cognitivum, sed habet essentiam submissam ab his duabus rebus, scilicet quae prime cognitiva, quae est imparticipabilis intellectus, et a cognitivis ipso esse, quae sunt intellectuales hypostases.

Quoniam autem etc. Hic resumit auctor medium, ex quo concludat suum elementum sic: Omne habens esse divisum a cognitione et sic non existens de numero impartibilium nec etiam existens de numero eorum, quae circa corpora partibilium, est medium utrorumque; sed anima est huiusmodi, ut ostensum est; ergo est media utrorumque.

63) Procl., Elem. theol. 103; Dodds 92,13; Boese 52,1
64) Procl., Elem. theol. 58; Dodds 56,17–18; Boese 32,1–2
65) Procl., Elem. theol. 71; Dodds 66,31–68,8; Boese 38,1–9
66) Procl., Elem. theol. 72; Dodds 68,17–18; Boese 38,1–2
67) Procl., Elem. theol. 9 comm.; Dodds 10,23–28; Boese 7,9–14
68) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1

416 cuius: eius *V* 431 etc. *om. V*

PROPOSITIO 191
OMNIS ANIMA PARTICIPABILIS SUBSTANTIAM QUIDEM AETERNALEM HABET, OPERATIONEM AUTEM SECUNDUM TEMPUS

Habitum est, quomodo anima sit media inter impartibilia et partibilia ratione suae a corpore separationis et cum eo unionis; nunc auctor ostendit, quomodo sit media inter superiora et inferiora ratione durationis substantiae et operationis, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam quandam animae distinctionem, secundo animae intentae quoad solam humanam descriptionem et descriptionis expositionem, tertio ex praemissis subiungam suppositi intentionem.

De primo breviter, ut ex supra dictis patet, est sciendum, quod est triplex A anima.

Imparticipabilis, quae est anima secundum causam principaliformiter participata, et hoc dupliciter, quia vel semper et connaturaliter participata vel quandoque participata et quandoque non per 63[1]) et 65[2]).

Prima autem anima, quae et prime dicitur, est primordialis unitas multitudinis animarum, quae etiam dicitur amethecta in tota seyra animealitatis, ad quam omnis seyra, id est ordo totorum, sicut in amethectum principium et causam sursum tendit per primam partem 100[3]). Et de ista anima in hoc sicut nec in praecedentibus intenditur elemento.

Secunda vero anima, scilicet quae semper et connaturaliter participatur, est anima caeli et anima humana, sicut inferius apparebit, de qua ad praesens solum est sermo.

Tertia vero anima est idolum animarum habens aliquam ad eas, quae vere sunt animae, scilicet per essentiam, resonantiam, qualis est ea, quae circa corpora dividitur, de qua etiam nihil agitur in praesenti.

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod anima in libro *De spiritu et anima*[4]) sic describi- B tur, quod "est spiritus intellectualis, rationalis, semper vivens, semper in motu, bonae malaeque voluntatis capax". In qua descriptione spiritus ponitur pro gene-

1) Procl., Elem. theol. 63; Dodds 60,1–3; Boese 34,1–3
2) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
3) Procl., Elem. theol. 100; Dodds 90,1–3; Boese 51,1–3
4) Alch. Claraev., De spir. et an. 13; PL 40, 788

17 est *om. V* 20 de *om. V*

re, intellectualis vero et, quae sequuntur, ponuntur loco differentiarum. Unde intellectualis dicit spiritum participantem intellectu ad differentiam spiritus, qui est intellectus per essentiam vel secundum causam per 65[5]). Rationalis vero dicit spiritum, qui, licet participet intellectu, tamen cum hoc habet rationem discursivam a magis noto ad minus notum, a praemissis ad conclusionem. Semper vivens communiter refertur ad potentias cognitivas et motivas, per quas vita ipsius animae elucescit, secundum quam habet in se principium sui motus. "Vita enim est via et motus a mansiva entis hypostasi"[6]), et sic semper vivens dicitur et ad differentiam eorum, in quibus non est motus et ubi non est distinguere inter essentiam et potentiam et specialiter inter potentias cognitivas et motivas. Et sic semper vivens, sive formaliter sive effective, sumatur, ponitur ad differentiam substantiae proprie non viventis vel non semper viventis. Semper in motu potest vel active exponi per comparationem, ut sit sensus semper in motu, id est semper movens corpus vel operans in corpore, vel essentialiter, cum anima sit essentia se ipsam movens. Anima etiam, in eo, quod anima, semper actu movet corpus. Et sic ponitur ad differentiam spiritus vel non moventis se vel non semper, vel non moventis corpus vel non semper moventis, vel sit semper in motu considerationis et affectionis, ut respiciat potentias cognitivas et affectivas. Bonae etc. potest accipi dupliciter, vel quoad esse naturale, et sic ponitur ad differentiam spiritus non habentis liberum arbitrium, vel quoad esse morale, sic ponitur ad differentiam eorum spirituum, qui sunt in bono confirmati vel in malo obstinati.

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis elicitur tertium, quod illa anima sola dicitur et est participabilis, quae habet respectum naturalem essentialem ad corpus sibi proportionatum. Omnis enim respectus naturae, quem natura constituit in ipsa re respectiva et per consequens attenditur inter aliquas res, fundatur super aliquam determinatam proportionem eorum ad invicem, sicut in proposito respectus animae ad corpus figitur super determinata proportione eorum ad invicem.

Et cum utrumque eorum sit respectivum per se, tanta est mutua dependentia eorum ad invicem, quod uno eorum cadente ab ea proportione, super quam fundatur talis respectus, necessarium est et deficere a respectu, et cadente eo a respectu, cum sit essentialis, necessarium est ipsum cadere ab essentia sua. Cum igitur anima sit et vita et vivens per 188[7]), immo per se vivens per 189[8]), ipsa animabit et vivificabit semper corpus sibi proportionatum, cum respectu suo essentiali sit in potentia ad animandum active, sicut corpus in respectu, ut animetur passive, ut magis inferius apparebit[9]). Et sic per hoc, quod dicitur 'participabilis', excluditur anima imparticipabilis et omnis anima, quae non semper actu participatur.

[5]) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
[6]) cf. Procl., Elem. theol. 102 comm.; Dodds 92,9–10; Boese 52,9
[7]) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1
[8]) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
[9]) cf. infra, prop. 191 E

Licet enim participabile dicat aptitudinem, ut participetur, tamen, quia in perpetuis idem est aptitudo et actus sicut posse et esse[10]), cum talis potentia semper stet cum actu, ideo anima participabilis semper actu participatur, qualis est omnis anima per essentiam.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de substantiae animae condicione, secundo de ipsius animae, ut anima est, propria operatione, tertio ex praemissis de propositi intentione.

De primo sciendum, quod anima participabilis, quae semper et connaturaliter D participatur a corpore, est incorporea substantia per 186[11]), et sic impartibilis et vita et vivens, immo per se vivens per tres sequentes[12]), et sic est media impartibilium et partibilium per praemissam[13]), cum sit individualis, non ens secundum speciem. Verum omnis talis anima, cum habeat substantiam separabilem a corpore per 186[14]), est antipostaton et consequenter se ipsam instituens, cum procedat a se ipsa per 40[15]), et quoad esse et vivere, cum sint indifferentia per 189[16]). Omne autem antipostaton est perpetuum perpetuitate aeternali per 49[17]), et hoc sive instituat se totum se toto, ut anima totalis et omnia superiora tali anima, sive parte sui suprema instituat, si ita oportet dicere, residuam portionem, ut anima partialis, ut infra videbitur[18]).

Et sic omnis anima participabilis quoad suam substantiam est tota simul habens ipsam suam substantiam totam simul praesentem, cum se tota convertatur ad se totam – omne enim antipostaton ad se ipsum conversivum est per 42[19]) –, et non hoc quidem ipsius substantiae est subsistens iam, hoc autem in posterum substituturum est, quod nondum est, cum sit impartibilis per 187[20]). Et si dicatur habere partes formales essentiales, tunc suprema statim, ut est, producit residuam portionem non antecedens tempore, et sic quaelibet substantia animae participabilis, quantumcumque esse potest, tantum iam est possidens sine deminutione et sine ordine. Omne autem tale est aeternum per 52[21]), et sic omnis anima participabilis habet substantiam aeternalem.

Et hoc de primo.

10) cf. Arist., Phys. III 4, 203b30
11) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
12) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1; 188; Dodds 164,1; Boese 91,1; 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
13) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
14) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
15) Procl., Elem. theol. 40; Dodds 42,8–9; Boese 24,1–3
16) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
17) Procl., Elem. theol. 49; Dodds 48,11; Boese 27,1
18) cf. infra, prop. 193 E
19) Procl., Elem. theol. 42; Dodds 44,11; Boese 25,1
20) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
21) Procl., Elem. theol. 52; Dodds 50,7–11; Boese 28,1–5

79 immo ... vivens *om. O* 81 omnis *om. O* 91 substituturum: substitutivum *V*

E De secundo notandum, quod operatio conveniens animae participabili inquantum huiusmodi est duplex.

Una scilicet, quae convenit sibi ratione suae separationis in eo, quod antipostatos est et per se vivens, et talis operatio est, qua movet se ipsam se tota ad se totam convertendo, se tota se totam penetrando ratione suae impartibilitatis et sic se tota se totam instituendo. Talis enim motio, qua animealiter se ipsam penetrat, non est motio, quae sit actus entis in potentia inquantum huiusmodi, sed potius est actus essentialis, immo ipsius animae subsistentia. Ratione enim talis animealis penetrationis sui a se ipsa dicitur antipostatos et per se vivens et procedere a se ipsa, et ista operatio, cum sit idem essentiae seu substantiae animae, est sicut et ipsa substantia aeternalis.

Alia vero operatio animae est in eo, quod habet essentialem respectum ad corpus, quae etiam convenit sibi, inquantum est animans ipsum, qua etiam necessario tendit in aliud inquantum aliud. Et talis operatio motio est corporis sibi subiecti, qua ipsum corpus movetur ab anima per influentiam alicuius qualitativae dispositionis, qua ipsum mobile transponitur de ubi ad ubi, quae transpositio est motus, qui est actus entis in potentia. Omne enim, quod physice movetur, quocumque modo moveatur, necessario contingit aliter se habere, cum omnis motus talis sit aut ubi post ubi aut forma post formam. Et ideo id, quod movetur, ad minus contingit aliter se habere secundum locum, etsi non habeat se aliter secundum substantiam, et illius, quod sic se habet aliter, oportet aliquid esse movens per se sive per essentiam suam, quod sit ens per se subsistens absque omni potentia aliter se habendi. Et tale est anima participabilis movens corpus sibi subiectum secundum locum. Et sic apparet, quod solum de tali operatione ad praesens intenditur.

Et hoc de secundo.

F Ex praemissis apparet tertium, scilicet quod talis operatio est secundum tempus. Cum enim tale movere, inquantum est in ipso mobili, concernat variationem utpote non stans fixum in eadem mensura perfectionis, sed transponatur de termino ad terminum mobiliter et transibiliter, ipsum erit necessario temporale per 52[22]) ex opposito; et per consequens, cum sit operatio animealis, ipsa talis operatio tempore mensuratur substantia aeternali permanente.

Ex dictis evidenter apparet animam esse mediam inter intellectus substantiales et generabilia. Cum enim intellectus in aeternitate subtantiam habeat et operationem per 169[23]) et omnia infra animam participabilem tam substantiam quam operationem habeant in tempore per declarationem 51[24]), sequitur, quod omnis anima talis sit media inter superiora et inferiora. Omnis enim eius, quod omni-

[22]) Procl., Elem. theol. 52; Dodds 50,11–14; Boese 28,5–8
[23]) Procl., Elem. theol. 169; Dodds 146,24–25; Boese 82,1–2
[24]) Procl., Elem. theol. 51; Dodds 50,1–2; Boese 28,1–2

104 motio *om. sed suppl. V* 116 aliter se: se aliter *V* 129 tempore *om. O*

quaque aeternale est et secundum substantiam et secundum operationem, et eius, quod substantiam habet in tempore, medium est, quod hac quidem aeternale, hac autem tempore mensuratur per 106[25]).

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Aut enim ambo aeternaliter habebit aut ambo secundum tempus aut hoc quidem aeternaliter, hoc autem secundum tempus. Sed neque ambo aeternaliter: Erit enim imparticipabilis substantia et nihil differt ab intellectuali hypostasi animae natura et ab immobili, quae per se mobilis. Neque ambo secundum tempus: Esset enim utique generabilis solum et neque antozoes neque antipostatos. Nullum enim eorum, quae sub tempore secundum substantiam mensurantur, antipostaton. Anima autem antipostatos: Quod enim secundum operationem ad se ipsum conversivum est, et secundum substantiam conversivum est ad se ipsum et a se ipso procedens. Relinquitur ergo sic quidem aeternalem esse animam omnem, sic autem tempore participantem. Aut ergo secundum substantiam aeternalis est, secundum operationem autem tempore participans, aut e converso; sed hoc impossibile. Omnis ergo anima substantiam quidem aeternalem habet, operationem autem secundum tempus.

Probatio elementi talis est.

Omnis anima participabilis aut habebit ambo (scilicet substantiam et operationem) aeternaliter aut ambo secundum tempus aut hoc quidem aeternaliter, hoc autem secundum tempus; sed nulla anima participabilis habebit ambo aeternaliter neque ambo secundum tempus; ergo omnis anima participabilis est sic quidem aeternalis, sic autem tempore participans.

Maior huius rationis apparet ex sufficienti divisione, quia quartum membrum non potest fingi, scilicet quod aliquid sit in natura animae, quod nec sit aeternale nec temporale.

Minor ostenditur quoad utramque partem, et primo quoad primam ibi: *sed neque* tali ratione: Omne habens ambo (scilicet tam substantiam quam operationem) aeternaliter est imparticipabilis substantia et nihil differet ab intellectuali hypostasi et ab immobili substantia; sed animae natura est participabilis multum differens ab intellectuali hypostasi, cum sit media impartibilium et partibilium per praemissam[26]), et ab immobili essentia, cum sit per se mobilis, ut supra[27]) ostensum est; ergo non habebit ambo aeternaliter.

[25]) Procl., Elem. theol. 106; Dodds 94,21–23; Boese 54,1–4
[26]) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
[27]) cf. supra, prop. 191 E

152 scilicet: secundum *V* 154 habebit: habet *V*

Neque ambo. Hic ostenditur secunda pars minoris principalis rationis. Omne habens ambo secundum tempus est generabile solum et neque antozoes neque antipostatos, quia nullum eorum, quae secundum substantiam mensurantur sub tempore, est antipostaton per 50[28]) et 51[29]); sed omnis anima participabilis est antozoes per 189[30]) et antipostatos, cum sit conversiva ad se ipsam per operationem utpote se ipsam movens primo per 17[31]). Omne enim, quod ad se ipsum conversivum est, antipostaton est per 43[32]), omne etiam, quod secundum operationem ad se ipsum est conversivum, et secundum substantiam est conversivum ad se ipsum per 44[33]) et sic procedens a se ipso per 41[34]). Igitur omnis anima participabilis neque est ambo habens secundum tempus.

Relinquitur. Hic ponitur conclusio principalis rationis. Deinde ibi: *aut ergo*, procedit ulterius sic. Omne neque habens ambo aeternaliter neque ambo secundum tempus, scilicet secundum substantiam et operationem, aut habebit substantiam aeternalem et erit secundum operationem tempore participans aut e converso; sed quia hoc est impossibile (scilicet quod operatio animae sit aeternalis et substantia temporalis), quia sic operatio esset melior substantia, quod est impossibile, ergo omnis substantia etc.

28) Procl., Elem. theol. 50; Dodds 48,16–17; Boese 28,1–3
29) Procl., Elem. theol. 51; Dodds 50,1–2; Boese 28,1–2
30) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
31) Procl., Elem. theol. 17; Dodds 18,21; Boese 12,1
32) Procl., Elem. theol. 43; Dodds 44,25; Boese 26,1
33) Procl., Elem. theol. 44; Dodds 46,1–2; Boese 26,1–2
34) cf. pot. Procl., Elem. theol. 40; Dodds 42,8–9; Boese 24,1–3

170 participabilis est: est participabilis *V* 179 scilicet: sed *O*

PROPOSITIO 192
OMNIS ANIMA PARTICIPABILIS SEMPER ENTIUM EST ET ANTE GENERABILIA

Comparatis animabus participabilibus et ad superiora et inferiora simul nunc auctor ostendit breviter, qualis sit secundum se ipsam dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam cuiusdam participabilis animae descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio ex praemissis suppositi intentionem.

De primo sciendum, quod anima humana, de qua sola inter animas participabiles tractant nostri theologi, in libro *De spiritu et anima* sic describitur[1]): "Anima est substantia spiritualis, simplex, incorporea et indissolubilis, passibilis atque mutabilis, carens pondere, figura et colore". A

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod in ista descriptione substantia ponitur pro genere, sive dicatur a substando, quia talis anima substat suis potentiis, sive a subsistendo[2]), cum sit separabilis a corpore et sic per se subsistens. B

Ea vero, quae sequuntur, sunt loco differentiarum, et hoc in comparatione partibilium, sive talia sint corpora sive species circa corpora partitae, et in comparatione impartibilium, et hoc sive simpliciter sive in respectu. Simpliciter impartibilia sunt intellectuales hypostases et omnia eis superiora, ut supra dictum est[3]). In respectu vero sunt animae totales impartibiles, quia respectu inferiorum se animarum; in corpore enim, ut de partibilibus simpliciter dicatur, est compositio essentialis trinaria dimensio sive corporeitas et crassitudo. Simplex igitur excludit compositionem essentialem. Incorporeum autem excludit corporeitatem vel trinam dimensionem, et hoc sive simpliciter quantum ad corpora sive per accidens quantum ad ea, quae dividuntur circa corpora. Spirituale vero excludit omnem crassitudinem, quae habet et corpora et compartita corporibus ingrossare. Licet enim corporum quaedam sint et dicantur spiritualia, ut infra dicetur[4]), tamen non sunt spiritus per essentiam, qualis est anima humana et angelus.

1) Alch. Claraev., De spir. et an. 24; PL 40, 796
2) cf. Pap., Element. s.v. "Subsistentia"; Venetiis 1496, 338b; Theodor. de Vrib., De orig. 2 27; Sturlese 150,180
3) cf. supra, prop. 190 D
4) cf. infra, prop. 205 C sqq.

5 omnis etc.: omnis a etc. *O* omnis *V* 24 simplex: simpliciter *V* 28 et[2] *om. O*

Anima igitur dicitur simplex contra compositum ex subiecto et forma, spiritualis contra crassum, incorporea contra corporeum, cum sit impartibilis per 187[5]). Indissolubilis ponitur ad differentiam dissolubilium et dispergibilium; cum enim talis anima sit antipostatos, "ipsa erit indissolubilis et indispergibilis" per 48[6]). Passibilis autem atque mutabilis ponuntur ad differentiam impartibilium, et hoc sive simpliciter, scilicet quae sunt entia secundum speciem et per consequens invariabilia et secundum substantiam et secundum operationem, cum secundum utraque sint aeterna, sicut apparet de intellectibus per 169[7]), sive in respectu, scilicet quae sunt individua, puta animae totales, quae, licet varientur secundum operationem, qua movent corpora, unde et habent eam secundum tempus, tamen secundum substantiam sunt aeternales per praemissam[8]). Anima vero humana, ut est in generatione, est passibilis assumendo secundum auctorem potentias generationi aptas. Mutatur etiam de statu generationis ad statum entis sive aeternitatis et in statu generationis ab intellectu ad non intellectum per 184[9]), et de affectione una ad aliam, ut per se patet. Carens pondere, figura et colore ponuntur ad differentiam eorum, quae sunt ex elementis vel ex materia elementorum. Pondus enim causatur in corporibus a qualitatibus elementorum, quae sunt principia motus localis in eis, sicut sunt grave et leve. Color autem causatur exterminatione et interminatione, opacitate et luminositate. Figura vero attenditur secundum qualitates in quantitatibus vel quantitates in qualitatibus, cum sit de quarta specie qualitatis[10]). Et sic excluditur ab anima omnis terminatio corporis sive ad locum, sicut per pondus: Licet enim anima ascendat secundum auctorem[11]) a generatione in ens, hoc tamen non est per levitatem corporalem, sive ad quantitatem sicut per figuram sive ad qualitatem sicut per colorem.

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis elici potest natura animae participabilis in genere. Est enim substantia a subsistendo dicta, cum sit separabilis a corpore per 186[12]) et ex hoc conversiva ad se ipsam et e converso per 16[13]) et per consequens antipostatos per 42[14]) et 43[15]). Et non est qualiscumque substantia, sed spiritualis, scilicet spiritus per essentiam, ut de anima partiali dictum est[16]), et simplex, cum sit impartibilis

5) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
6) Procl., Elem. theol. 48 comm.; Dodds 48,10; Boese 27,4–5
7) Procl., Elem. theol. 169; Dodds 146,24–25; Boese 82,1–2
8) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
9) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–22; Boese 90,1–2
10) cf. infra, prop. 210 D; cf. etiam Arist., Cat. 8, 10a11–12
11) cf. Procl., Elem. theol. 206; Dodds 180,15–16; Boese 101,1–2
12) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
13) Procl., Elem. theol. 16; Dodds 18,7–8; Boese 11,1–2
14) Procl., Elem. theol. 42; Dodds 44,11; Boese 25,1
15) Procl., Elem. theol. 43; Dodds 44,25; Boese 26,1
16) cf. supra, prop. 191 B

39 varientur *coni.*: variantur *codd.* 45 colore *scr.*: calore *codd.* 60 dictum est: est dictum *V*

per 187[17]), et antipostatos, quod est impartibile et simplex per 47[18]), et media impartibilium et circa corpora partibilium per 190[19]), et incorporea per 186[20]), et indissolubilis per 48[21]), cum sit antipostatos, passibilis atque mutabilis, sive quoad operationem tantum, quae tendit ad extra, puta anima totalis, sive aliquo modo et quoad substantiam et aliquo modo non sicut in anima partiali, quae, licet non varietur essentialiter proprie loquendo, patitur tamen et mutatur quodammodo et substantialiter et secundum potentiam et operationem, ut iam supra ostensum est[22]).

Et hoc de tertio primi.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de semper entis diversa acceptione, secundo de hic intenti modo et condicione et ex opposito generabilis expositione, tertio ex praemissis de propositi intentione.

De primo sciendum, quod ens aliquando opponitur ad nihil[23]), et sic omne distans a nihilo est et dicitur ens, et sic accipitur in 11[24]) et 12[25]) et 14[26]), et sic etiam dicitur illud semper ens, quod numquam vergit in nihil ita, quod cadat in simpliciter non ens. Et sic secundum intentionem plurium omnis anima, etiam quae est idolum solum animarum, est semper entium, cum nec corpus annihiletur, quo omnis anima est superior per primam partem 20[27]). D

Aliquando accipitur ens pro eo, quod opponitur generationi et ei, quod semper fit, et propter hoc dicitur semper ens per 84[28]), infinitae potentiae, et sic accipitur in 107[29]). Et omne tale ens immune est ab omni variatione, cum sit totum simul sine differentia temporis et sic stans semper in eadem mensura perfectionis fixum immobiliter et intransibiliter, et per consequens est semper ens quasi semper in actu, immo actus quidam. Et sic includit omnia variationem transcendentia sive secundum substantiam et operationem simul, ut sunt intellectuales hypostases et omnia ipsis superiora, quae etiam sunt entia secundum speciem, sive secundum substantiam tantum et non secundum operationem, et sic est anima totalis semper ens et anima partialis quoad eum statum, quo est in ente. Et tale ens vocatur enter ens et dividitur per esse ante aeternitatem aut in aeternitate aut participans aeternitate per 88[30]).

17) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
18) Procl., Elem. theol. 47; Dodds 46,29; Boese 27,1
19) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
20) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
21) Procl., Elem. theol. 48; Dodds 48,10; Boese 27,4
22) cf. supra, prop. 191 E
23) cf. Theodor. de Vrib., De quid. 1 2; Imbach–Cavigioli 99,8–9
24) Procl., Elem. theol. 11; Dodds 12,8; Boese 8,1
25) Procl., Elem. theol. 12; Dodds 14,1–2; Boese 9,1
26) Procl., Elem. theol. 14; Dodds 16,9–12; Boese 10,1–4
27) Procl., Elem. theol. 20; Dodds 22,1; Boese 13,1
28) Procl., Elem. theol. 84; Dodds 78,5; Boese 44,1
29) Procl., Elem. theol. 107; Dodds 94,32–33; Boese 54,1–2
30) Procl., Elem. theol. 88; Dodds 80,25–26; Boese 46,1–2

85 etiam: et *V*

Tertio modo accipitur ens pro eo, quod est ens per essentiam superius vita et intellectu. Et talis est ordo entium. Et quia est huiusmodi per essentiam, semper est tale, et sic dicitur semper enter ens, quod etiam dicitur esse ante aeternitatem per 88[31]), et est ex fine et infinito per 89[32]).

Et hoc de primo.

E De secundo sciendum, quod semper ens, prout hic accipitur, est enter ens secundo modo acceptum, quod etiam opponitur generationi, cuius esse concernit variationem, cum sit semper ens et sic habens infinitam ipsius fieri potentiam per 85[33]). Et sic esse eius consistit in successione per habere esse in non esse continue cum differentia reali est, erat et erit, numquam stans in uno et eodem termino fixum, sed semper se habens mobiliter et transibiliter per continuam replicationem actus super potentiam e converso in omnibus suis condicionibus ad semper ens, ut supra dictum est.

Et hoc de secundo.

F Ex praemissis apparet, quod omnis anima participabilis, licet non sit ens ut simpliciter et secundum speciem, cum sit determinata ad proprietatem individualem per corpus, cui coniungitur, tamen quia prius natura est ens secundum speciem, quam sit individualis, ut supra ostensum est, cum agebatur de per se mobili, e converso ad omnia generabilia, quae per prius etiam tempore sunt individualia quam entia secundum speciem, et etiam quae est antipostaton ratione substantiae, quod animam totalem vel saltem ratione essentiae quoad partialem et semper vivens quoad utramque, et sic semper ens, cum "vivere viventibus sit esse"[34]), e contra secundum hoc, quod est antipostaton, exempta est ab omnibus eis, quae a tempore mensurantur per 51[35]), et sic immunis a variatione vel substantiali vel saltem essentiali, cum per praemissam[36]) habeat substantiam aeternalem sicut participans aeternitate. Ipsa, inquam, anima partialis erit de numero semper entium et sic enter ens, non existens ante aeternitatem nec purificatum aeternitati, sed participans aeternitate non quoad substantiam et operationem sicut intellectuales hypostases, sed quoad substantiam tantum, cum sit generatio quoad operationem transeuntem in corpus subiectum. Et quia omne quidem, quod est secundum se totum generatio, "substantiam habens temporalem" dependet "ad id, quod qua quidem ente, qua autem generatione communicat aeternitate simul et tempore participans" per corollarium commenti 107[37]), omne autem, a quo aliquid efficienter dependet, prius est natura illis, quae ab ipso dependent, igitur omnis anima participabilis simul est semper entium et ante generabilia, quae se totis sunt generatio.

31) Procl., Elem. theol. 88; Dodds 80,25; Boese 46,1
32) Procl., Elem. theol. 89; Dodds 82,1; Boese 46,1
33) Procl., Elem. theol. 85; Dodds 78,12; Boese 44,1
34) Arist., De an. II 4, 415b12–13; transl. vetus: Stroick 85,71–72
35) Procl., Elem. theol. 51; Dodds 50,1–2; Boese 28,1–2
36) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
37) Procl., Elem. theol. 107 comm.; Dodds 96,4–6; Boese 54,6–8

97 ens: vivens *V* 100 se: est *V* 109 et etiam: etiam est *V* 111 e *coni.*: et *codd.*

Ex quibus iterum concluditur omnem animam participabilem esse mediam inter ea, quae se totis sunt semper entia, et ea, quae se totis sunt fientia, sive generatio tamquam simul existens ens et generatio.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim aeternalis est secundum substantiam, enter ens secundum existentiam et semper ens. Quod enim aeternitate participat, ipso semper esse participabit. Si autem secundum operationem est in tempore, generabilis est: omne enim, quod tempore participat, fiens semper secundum prius et posterius temporis, et non simul, quod est ens totum, generabile est. Si autem, qua generabilis est omnis anima secundum operationem, prima utique erit generabilium. Quod enim omnino generabile, remotius est ab aeternalibus.

Probatio elementi talis est.

Omne aeternale secundum substantiam existens enter ens secundum existentiam est semper entium, quia, quod aeternitate participat, participabit ipso semper esse, aeternum enim est semper ens; sed omnis anima participabilis est huiusmodi; ergo etc.

Si autem. Hic probatur secunda pars sic: Omne generabile solum secundum operationem est ante ea, quae sunt omnino generabilia, scilicet secundum substantiam et operationem, quia, quod est omnino generabile, remotius est ab aeternalibus ipsa tali anima. Sed omnis anima participabilis est huiusmodi, quia, si est in tempore secundum operationem per praemissam[38]), generabilis est: omne enim, quod tempore participat fiens semper secundum prius et posterius temporis et non existens simul totum, quod est, generabile est per 50[39]). Ergo omnis anima participabilis est ante generabilia.

[38]) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
[39]) Procl., Elem. theol. 50; Dodds 48,16–17; Boese 28,1–3

129 etiam … elementi: apparet etc. *V* 134 secundum *om. V*

PROPOSITIO 193
OMNIS ANIMA PROXIME AB INTELLECTU SUBSISTIT

Habito de ipsius animae participabilis multiplici proprietate nunc auctor prosequitur de ipsius passiva causalitate dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam cuiusdam animae participabilis descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio ex praemissis suppositi intentionem.

A De primo sciendum, quod in libro *De motu cordis*[1]) anima sic describitur: Anima "est substantia incorporea", intellectualis, "illuminationum, quae sunt a primo, ultima relatione perceptiva".

Et hoc de primo.

B Verum in ista descriptione substantia ponitur pro genere, separans eam ab accidente, cum anima sit per se subsistens. Incorporea ponitur et ad corporum exclusionem et omnium, quae circa corpora partiuntur. Intellectualis additur ad excludendum intellectuales hypostases, quae sunt intellectus per essentiam, cum anima participet intellectualitate, et ad differentiam earum animarum, quae, cum sint idola animarum, non sunt participes intellectualitatis. Illuminationum etc. potest exponi et quoad voluntariam providentiam et naturalem.

In providentia namque voluntaria, de qua Dionysius loquitur 4 cap. *De divinis nominibus*[2]), "bonum ... archetypum (id est principaliforme) per ipsam essentiam omnibus existentibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios. Propter istos radios substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes et substantiae et virtutes et operationes".

Et infra[3]): "Sed et quaecumque caelestis hierarchiae sunt angelis convenientes mundationes, supermundanae illuminationes et perfectiva totius angelicae perfectionis, ex omnium causa et fontana sunt bonitate".

Et parum infra[4]): "Sed post et illas sacras et admirabiles mentes, animae et quaecumque sunt bona animarum, sunt propter superbonam bonitatem intellectuales ipsas esse, habere substantialem vitam inconsumptibilem, ipsum esse

[1]) Alfredus Anglicus, De motu cordis prol.; Baeumker 2,7–9

[2]) Dion., De div. nom. 4 1; PG 3, 693B; Suchla 144,3–7; Dionysiaca 147A–D; transl. Sarraceni: Simon 117,75–76 et 119,77

[3]) Dion., De div. nom. 4 2; PG 3, 696B; Suchla 145,4–6; Dionysiaca 152B–D; transl. Sarraceni: Simon 126,62–63

[4]) Dion., De div. nom. 4 2; PG 3, 693C; Suchla 145,10–16; Dionysiaca 153D–155B; transl. Sarraceni: Simon 130,70–73

4 etc. *om. V* 10 substantia *om. sed in marg. suppl. V* 28 et[1] *om. V*

et posse extentas ad angelicas vitas, per ipsos sicut bonos ad omnium bonorum bonum principatum sursumagi, et inde emanantium illuminationum in participatione fieri secundum illorum proportionem, et deiformi" bono "secundum virtutem participare". Haec Dionysius.

Ex quibus verbis diligenter inspectis colligimus animas esse ultimas quoad voluntariam providentiam et sic ultima relatione esse perceptivas intellectualiter illuminationum intellectualium, quae sunt a primo fontano et supermanante radio bonitatis.

Verum in providentia naturali nihilominus apparet idem, cum ipsa anima sit limes et horizon impartibilium et partibilium entium ut simpliciter et secundum speciem, et generabilium et corruptibilium, in qua tota intellectualitas terminatur.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet, quae anima hic sit descripta, quia sola partialis, si proprie loquamur. C

Si autem voluerimus ipsam descriptionem extendere etiam ad animas totales, quod facile est quoad genus et primas duas differentias, tunc ultima differentia (scilicet illuminationum etc.) potest intelligi quoad naturalem providentiam, in comparatione intellectualium hypostasum et omnium essentiarum supra eas existentium, in quarum respectu omnis participabilis anima, sive partialis sive totalis, percipit illuminationes a prime bono emanantes ultima relatione, quia "ipsa thearchia excellentibus causis ad omnes sanctas mentes supersubstantiali occulto perfecta, his, quae sunt circa ipsam, sicut supremis virtutibus, manifestior quodammodo est, et magis se ipsam manifestat et distribuit. In secundis autem, aut postremis, aut nobis intellectualibus virtutibus, sicut ab ipsa unaquaque secundum deiforme distat ita apparentem ipsius illuminationem congregat ad proprii occulti unitivum ignotum. Illucet autem singulis secundis per primas. Et si oportet compendiose dicere, primum ex occulto ad apparens agitur per primas virtutes". Haec Dionysius 13 cap. *Angelicae hierarchiae*[5]).

Cum igitur animae participabiles sint ultimae in participatione intellectualitatis, ipsae etiam percipient illuminationes, quae sunt a primo, ultima relatione.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo ponam ipsius elementi triplicem expositionem, secundo tertiae expositionis in anima partiali declarationem, tertio declarationis etiam ad animas totales applicationem.

»De primo considerandum, quod, quia causae efficientes sunt in triplici differentia – ut ad praesens sufficiat –, quaedam enim, utpote causae primae, omnino exaltatae sunt ab effectibus, per 75[6]) – hae enim non existunt in effectu, nec complent effectum formaliter, nec indigent aliqualiter ipso ad esse suum vel operari –; aliae autem sunt, quae concluduntur cum suo effectu et intra ordinem tam D

[5]) Dion., De cael. hier. 13 4; PG 3, 305B; Suchla 48,6–14; transl. Sarraceni: Dionysiaca 968D–971A

[6]) Procl., Elem. theol. 75; Dodds 70,28–29; Boese 40,1

60 sunt *om. sed suppl m. post. V*

generalem quam specialem, quin immo intra unam et eandem numero substantiam. Et licet utraeque praehabeant sua causata eminentiori modo, quam ipsa causata sint in se ipsis, tamen secundae causae, utpote coniunctae his, quibus sunt causae ratione coniunctionis, vindicant sibi condiciones suorum causatorum et per consequens magis dicuntur concausae quam causae. Quaedam vero causae medio modo se habent, quae nec sunt omnino exaltatae a suis effectibus ut primae, sed concluduntur cum eis et intra ordinem universalem, ut prime intellectus cum omni anima partiali, et quaedam etiam et intra ordinem partialem non tamen concluduntur cum effectibus suis intra eandem substantiam, ut secundae causae, et istae possunt dici et causae et concausae, quales sunt unitates, superior respectu immediatae sublocatae et quaelibet per se perfectarum hypostaseon respectu immediate sequentis eiusdem ordinis«[7]).

Ex quo inquam sic est in causis, ideo praesens elementum potest habere triplicem intellectum.

Vel sic, quod omnis anima subsistit proxime a prime intellectu, a quo est omnis intellectualitas, cum sit causa omnis intellectualitatis in omnibus sicut amethectum, et sic non subsistit ab alia causa, per 99[8]), sed praecedit omnia intellectu participantia, per 101[9]), eminentia causalitatis. Cum igitur anima participabilis sit intellectualis, ipsa subsistet proxime ab intellectu inquantum huiusmodi, et hoc quoad primam causarum differentiam.

Vel sic, quod omnis anima subsistit proxime ab intellectuali hypostasi (scilicet intellectu per essentiam), inquantum intellectualis, et hoc sive divino sive intellectuali solum per 182[10]) et 183[11]) – omnis enim partialis anima toto participat intellectu et per totam animam et per partialem intellectum, per secundam partem 109[12]) –, et hoc per aliquam inseparabilem intellectualitatem sibi immissam per 81[13]).

Vel sic potest elementum tertio modo intelligi ita, quod quaelibet talis anima subsistat proxime ab intellectu sibi coniuncto et concluso cum ea intra eandem substantiam quoad secundam differentiam causarum, quae etiam proprie dicuntur et sunt concausae; quod verum est in anima totali et partiali.

Et hoc de primo.

E Verum ut a nobis magis notis ad ignotiora procedatur, videamus causalitatem ipsius animae participabilis quoad tertium elementi intellectum.

Primo in anima partiali, quae habet tres partes intrinsecas essentiales, licet sit impartibilis quantitative. Dico autem partes essentiales intrinsecas, ne dicam potentiales et quasi extrinsecas, scilicet intellectivam, sensitivam et vegetativam; utrasque enim habet, quae etiam eisdem nominibus nuncupantur.

7) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 19 1–4; Mojsisch 159,81–108
8) Procl., Elem. theol. 99; Dodds 88,20–21; Boese 50,1–2
9) Procl., Elem. theol. 101; Dodds 90,17; Boese 51,1–2
10) Procl., Elem. theol. 182; Dodds 160,5–6; Boese 89,1–2
11) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3
12) Procl., Elem. theol. 109; Dodds 96,25–26; Boese 55,3–5
13) Procl., Elem. theol. 81; Dodds 76,12–13; Boese 43,1–2

De potentialibus autem non est dubium, sed de essentialibus, quas tamen luce clarius advertere poterunt, qui considerant animam humanam secundum partem vegetativam totaliter esse corpori immersam, unde et potentiae et actus ipsarum potentiarum vegetativarum sunt affixae organis, ut patet.

Secundum intellectivam vero apparet totaliter a corpore separata, tum quia anima habet substantiam separabilem a corpore – nota, quod dicit 'substantiam', non potentiam[14]) –, tum quia intellectus nullius corporis est actus – non dico intellectus potentialis, sed etiam essentialis[15]) –, tum etiam quia secundum Augustinum[16]) in anima est quaedam intraneitas, quae non unitur corpori ut forma.

Secundum sensitivam autem medio modo se habet, quia inferiores potentiae a ratione particulari organis sunt affixae. Ipsa vero ratio particularis, cum sit sine hic et nunc, quodammodo non est affixa, et sic nec immersa, et per consequens partes potentiales sunt signa et distinctionis, immersionis et separationis partium essentialium ipsius animae partialis.

Unde et Macrobius loquens de anima sic dicit[17]): "Et hoc est essentia, quam individuam eandemque dividuam – Plato in *Timaeo*"[18]) "expressit", unde et media est impartibilium et partibilium per 190[19]), tale autem intellectivum existens pars animae essentialis superior, quod Aristoteles[20]) vocat "intellectum agentem", Augustinus[21]) "abditum mentis", Dionysius[22]) vero "unitionem" seu "unitatem" (ut dicit alia translatio[23])) "excedentem mentis naturam", – unde et dicit 7 cap. *De divinis nominibus*[24]): "Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit; unitionem autem (seu unitatem[25])) excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quae sunt supra ipsam" –, sed auctor vocat "unum animae"[26]), unde et dicit 10 quaest. *De providentia*[27]): "Etenim in nobis iniacet aliquod secretum unius vestigium, quod et

14) cf. Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
15) cf. supra, prop. 185 A
16) Aug., De Gen. ad litt. VII 18; Zycha 215,17–20; cf. Theodor. de Vrib., De int. II 4; Mojsisch 149,95–97
17) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 48,32–49,3
18) Plat., Tim. 35a sqq.; Waszink 27,7 sqq.
19) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
20) Arist., De an. III 5, 430a15–19
21) Aug., De Trin. XIV 7,n.9; Mountain–Glorie 433,19–22; XV 21,n.40; Mountain–Glorie 518,12–21; cf. Theodor. de Vrib., De vis. beat. 1.2.2.4.2.2., 1; Mojsisch 51,95–52,8
22) Dion., De div. nom. 7 1; PG 3, 865C; Suchla 194,11; Dionysiaca 385C; transl. Sarraceni: Simon 337,72
23) transl. Eurigenae: Dionysiaca 385C
24) Dion., De div. nom. 7 1; PG 3, 865C; Suchla 194,10–12; Dionysiaca 385A–D; transl. Sarraceni: Simon 337,71–73
25) transl. Eurigenae: Dionysiaca 385C
26) Procl., De prov. 8,n.31; Boese 140,6
27) Procl., De X dub. 10,n.64; Boese 106,9–11

124 Aristoteles vocat: vocat Aristoteles *O*

eo, qui in nobis est intellectus, est divinius". Unde et loquens de quinta cognitione excedente cognitionis intelligentiam 8 cap. *De fato et providentia*[28]) dicit laudari "cognitionem supra intellectum et maniam", quam "aiunt unum animae".

»Tale, inquam, quod est superior pars essentialis animae partialis, qualitercumque vocetur, est simul cum residua portione ipsius, cum colligantur intra eandem numero substantiam; quae simultas, cum sit quaedam coexistentia, non potest intelligi nisi ea, quae sunt huiusmodi, aut sint una simplex essentia (ut intellectualis hypostasis) aut idem in esse, differentia secundum essentiam (ut composita ex materia et forma: est enim ibi unum esse, sed duae essentiae sibi mutuo unitae essentialiter) aut unum sit causa alterius per essentiam«[29]).

Sed intellectivum non est tota essentia animae et totaliter, quia sic se tota et totaliter esset intellectiva ipsa anima, quod falsum est, nec idem per esse cum ea, differens per essentiam, cum non ponat in numerum cum ea; non enim istae tres partes sunt tres essentiae, ut patet.

Relinquitur ergo, quod sit causa residuae portionis per essentiam ipsius animae partialis, et sic proxime subsistit causaliter ab intellectu.

Hoc idem sic ostenditur: Omnis res, cuius entitas per se et simpliciter invenitur in totalitate universi, si secundum se et secundum propriam naturam ordinem habeat ad aliquod ens, vel erit idem illi vel causatum ab eo vel causa eius – hoc enim requirit ordo habitudinis essentialis –; sed intellectivum et residua portio animae sunt huiusmodi; ergo vel erunt idem – id est una simplex essentia exclusa omni partibilitate – vel intellectivum erit causatum ab ea vel causa eius. Cum ergo primi duo modi sint impossibiles, quia primus est contra hypothesim, secundus contra dignitatem intellectivi, igitur relinquitur tertius, scilicet quod intellectivum sit causa sensitivi et vegetativi.

Et praeterea »manifestum est quod vivum differt a non vivo in habere in se principium sui motus; sed summa vita partialis animae est vivere secundum intellectum et intellectualiter, ergo oportet ipsam, inquantum huiusmodi, habere vitae talis principium, quod non est aliud nisi intellectivum seu pars intellectiva.

Ista autem intraneitas est identitas substantialis; importat enim mutuum respectum eorum, quorum unum est in alio, qui respectus talis est naturae, quod impossibile est ipsum ex una parte respectivorum terminari ad substantiam sive essentiam substantiae, ex alia vero parte fundari super aliquod accidens.

Agitur autem hic de intraneitate intellectivi, quae competit sibi per essentiam suam, ergo ex alia parte, id est ex parte animae, in qua ponitur tale intellectivum tamquam principium vitae intellectualis, etiam attenditur secundum essentiam.

[28]) Procl., De prov. 8,n.31; Boese 140,5–6
[29]) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 2 3; Mojsisch 148,66–70

132 divinius: divinus *V et B* 151 portio *eras. sed in marg. suppl. O* 162 est naturae: naturae est *O*

Sed ea, quae sunt sic intra invicem, ut unum sit in alio essentialiter, sunt idem per essentiam; ergo intellectivum erit idem per essentiam cum essentia animae, quod necessarium est contingere aliquo trium modorum, qui enumerantur in commento 140[30]), ubi dicitur: "tripliciter erat unumquodque": "aut secundum causam aut secundum" essentiam "aut secundum participationem"«[31]).

Cum »igitur intellectivum non sit idem cum essentia animae ita, quod sint una simplex essentia per univocationem, nec sit idem cum ea per participationem, relinquitur, quod sint idem secundum causam«[32]), quare omnis talis anima subsistit causaliter proxime ab intellectu proprio et intrinseco essentialiter. »Verum cum intellectivum nec sit causa materialis nec formalis nec finalis residuae portionis animae, cum non sit illud, ex quo fit anima quoad materialem causam, nec sit actus animae quoad formalem, nec finis inquantum huiusmodi praehabeat essentiam sui causati nobiliori modo, quam sit ipsum causatum in se ipso, nec sit causa per executionem, licet per intentionem, consequens est necessario, quod ipsum intellectivum sit principium causale effectivum seu substitutivum essentiae animae, sicut cor in animali, in quo primo diriguntur spiritus vitales a generante (puta caelo) et determinantur ut sint apti generationi aliorum membrorum, et sic mediante corde effective generantur alia membra et totum animal, et secundum hoc cor in generando alia membra stat sub ordine generantis et praecipue principalis causae, quae est causa essentialis«[33]). Eodem modo proportionaliter »intellectivum, ad instar cordis, stans sub ordine principalis agentis, sub cuius ordine et in cuius virtute agit primo productum, ab eo substituit residuam portionem animae, sicut cor in animali efficit alia membra. Et sicut cor est dependens ab eo, cui ipsum est generationis principium, scilicet a reliquo corpore, sine quo nec esset nec remaneret cor, sic intellectivum se habet ad animam, cum sit agens ex necessitate naturae et conclusum sub uno ordine cum anima ad illud, a quo utrumque eorum per essentiam dependent (scilicet efficiens principale), et per consequens a se invicem mutuo dependent (scilicet intellectivum et anima). Et etiam sicut cor continet et praehabet omnia membra, quibus est generationis principium sub ordine principalis agentis, sic intellectivum sive intellectus agens non solum potestate seu virtute praecontinet essentiam animae, immo ipse est idem cum essentia animae secundum causam praehabens eam in se nobiliori modo et existens ei causale principium, sub ordine tamen, ut dictum est, principalis agentis instituentis ipsum et residuam substantiam animae simul«[34]). Et sic magis dicitur concausa quam causa.

Et sic evidenter apparet, qualiter omnis partialis anima proxime ab intellectu subsistit causaliter.

Et hoc de secundo.

30) Procl., Elem. theol. 140 comm.; Dodds 124,17–18; Boese 70,15–16
31) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 7 2–4; Mojsisch 150,49–151,70
32) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 7 4; Mojsisch 151,73–75
33) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 8 5–7; Mojsisch 152,99–115
34) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 10 1–2; Mojsisch 153,29–154,55

170 necessarium: necessario *V* 171 unumquodque *add.* aliud *codd.* 183 diriguntur: diguntur *sed corr. O* digeruntur *V*

F Sane id, quod ex intentione sic diffuse declaratum est de anima, qualiter videlicet proxime ab intellectu sive separato sive coniuncto subsistit, etiam verum est de anima totali, licet ibi magis lateat, cum sit simplicior partiali.

Auctor enim *De causis*[35]) in commento 3 prop. loquens de anima nobili sic dicit: "Causa prima creavit esse animae mediante" vadich, id est "intelligentia".

Quod potest accipi et de intelligentia et coniuncta, quae proxime eam substituit, ut expositum est[36]) de anima partiali, et de separata, sicut tractat Avencebrol[37]) libro III cap. 54 in haec verba: "Anima est exiens ab essentia intelligentiae exitu virtutis a re forti et non est intrans essentiam eius. Exitus autem a sua essentia non prohibet, quin sit fluxa ab ea, quia, quod fluit ab aliquo, exit ab essentia rei, a qua fluit, et discendens ab ea, quando fluit ab ea. Similiter anima defluxa est ab intelligentia et est exiens ab essentia intelligentiae, quando fluit ab ea; et exitus animae ab intelligentia sicut virtus a re forti non est prohibens, quin anima sit substantia, quia res fluxa ab intelligentia est substantia in se ipsa, etsi sit accidens eo, quod defluxa est ab alia substantia".

Haec Avencebrol de substitutione animae ab intelligentia.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim intransmutabilem habet substantiam et aeternalem, ab immobili procedit causa. Quod enim a mota procedit causa, omnia transmutat secundum substantiam. Immobilis ergo omnis animae causa. Si autem proxime ab intellectu perficitur, et convertitur ad intellectum. Et si participat cognitione, quam intellectus dat participare potentibus omnibus – omnis enim cognitio ab intellectu omnibus est, quibus est –, ad quod autem omnia convertuntur secundum naturam, ab hoc et processum habent secundum substantiam: omnis ergo anima ab intellectu procedit.

Probatio elementi talis est.

Omne cognitivum se ipsum movens primo, quod habet substantiam intransmutabilem et aeternalem, subsistit proxime ab intellectu sicut ab immobili causa, quia, quod a mota procedit causa, omnia transmutat secundum substantiam, per secundam partem 76[38]); sed omnis anima participabilis est huiusmodi; ergo etc. Quare causa omnis animae est immobilis.

35) Lib. de caus. 3,n.32; Pattin 140,13–14
36) cf. supra, prop. 193 D–E
37) Avenc., Fons vitae III 54; Baeumker 199,8–17
38) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2

206 subsistit: consistit *V* 228 anima *om. V*

Si autem. Hic adducitur secunda ratio talis: Omne, quod proxime perficitur ab intellectu et convertitur ad intellectum, etiam proxime subsistit ab intellectu; sed omnis anima participabilis est huiusmodi; ergo etc.

Et si. Hic probatur minor istius rationis sic: Omne participans cognitione
240 perficitur proxime ab intellectu et convertitur ad ipsum, quia omnis cognitio est omnibus ab intellectu, in quibus est; sed omnis talis anima participat cognitione, quam intellectus dat omnibus potentibus participare; ergo etc.

Ad quod autem. Hic auctor resumit medium praemissae rationis, ut concludat elementum sic: Ab hoc omnia subsistunt seu habent processum secundum substantiam, ad quod convertuntur secundum naturam, per 34[39]); sed omnis anima secundum naturam convertitur ad intellectum, ut ostensum est; omnis ergo anima ab intellectu procedit.

39) Procl., Elem. theol. 34; Dodds 36,20–22; Boese 21,1–2

PROPOSITIO 194
OMNIS ANIMA OMNES HABET SPECIES, QUAS INTELLECTUS PRIME HABET

Ostenso per 177[1]), quod omnis intellectus est plenitudo ens specierum et quia anima, ut est substituta ab intellectu, est imago ipsius, ideo, postquam habitum est omnem animam participabilem subsistere proxime ab intellectu, nunc ostendit auctor omnem talem animam esse plenam speciebus dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam quandam animae descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio praemissorum ad propositum applicationem.

A De primo sciendum, quod secundum auctorem *De spiritu et anima*[2]) "anima" est "similitudo omnium"; et sic describitur per comparationem ad totum universum connumerando etiam sibi primum principium universaliter.

Et hoc de primo.

B Verum quia anima est ad similitudinem totius sapientiae facta[3]), in qua est omnium rerum exemplaritas, ideo anima est similitudo omnium.

Cum enim in arte summae sapientiae seu prime boni sit exemplar totius universi et impartibilium seu entium secundum speciem, et partibilium seu individualium, generabilium et corruptibilium superunialiter – si enim omne, quodcumque in diis fuerit, secundum ipsorum proprietatem praeexistit in ipsis, et est proprietas ipsorum unialis et supersubstantialis: unialiter ergo et supersubstantialiter omnia in ipsis, per 118[4]) –, necessarium est omne, quod est in prime bono et uno, ibi esse et praeexistere superbonialiter et superunialiter. Et quia prime bonum, utpote simpliciter prima omnium causa, creavit esse animae mediante intelligentia, ut supra dictum est[5]) ex *De causis*[6]), necessarium est ipsam animam habere in se (licet animealiter) similitudinem, quae est in primo bono superunialiter et in intelligentia intellectualiter; et sic est omnium similitudo animealiter, sicut et intelligentia est intellectualiter et quae ante ipsam et quae post ipsam, per 173[7]); et sic est omnium

1) Procl., Elem. theol. 177; Dodds 156,1; Boese 87,1
2) Alch. Claraev., De spir. et an. 6; PL 40, 783; ap. Thom. de Ebor., Sapient. VII 18; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 216ra
3) cf. Alch. Claraev., De spir. et an. 6; PL 40, 783
4) Procl., Elem. theol. 118; Dodds 104,5–7; Boese 59,1–4
5) cf. supra, prop. 193 F
6) Lib. de caus. 3,n.32; Pattin 140,13–14
7) Procl., Elem. theol. 173; Dodds 150,22–23; Boese 84,1–2

7 etc. *om. V*

similitudo. Quod qualiter sit verum, ostendit Avencebrol[8]) III libro cap. 23 in haec verba: "Si intelligentia apprehendit spiritualitatem rerum, tunc ipsa apprehensio fit similitudine; igitur est similis virtuti cuiuslibet rei, et si est similis virtuti cuiuslibet rei, in ipsa est forma omnis rei. Similiter de anima. Intelligentia et anima scientes sunt omnium rerum, et scientia est subsistentia formae rei scitae in anima et intelligentia; ergo in anima et intelligentia sunt subsistentes formae omnium rerum. Et subsistentia formarum in illa est unitione; ergo omnes formae unitae sunt in intelligentia et anima et unitione simillimae; ergo omnes formae similes sunt intelligentiae et animae. Intelligentia et anima concipiunt scientias ex formis rerum; et omne concipiens aliquid non concipit nisi per suam forman; ergo intelligentia et anima concipiunt formas rerum per suas formas, et scientia earum de formis rerum est ex unitione suarum formarum cum formis rerum". Haec Avencebrol.

Ergo intelligentia et anima uniunt formas suas cum formis rerum; et omnia, quae uniuntur, sunt similia; ergo formae intelligentiae et animae similes sunt formis rerum.

Ex quibus verbis apparet tam intelligentiam quam animam esse similitudinem omnium.

Sicut igitur intelligentia est similitudo omnium intellectualiter, ita anima animealiter.

Et hoc de secundo.

Verum cum duplex sit similitudo, substantialis et accidentalis, anima totalis C est substantialiter omnium similitudo, non accidentaliter, cum non sit capax accidentium, super quae fundatur similitudo accidentalis, ratione suae separationis et impartibilitatis.

Anima vero partialis est similitudo omnium et substantialiter et accidentaliter. Cum enim non sit totaliter separata nec simpliciter impartibilis, sed partim separata et partim coniuncta, et habeat tres partes essentiales, ut supra ostensum est[9]), scilicet intellectivam, sensitivam et vegetativam, et sic ipsa anima partialis, licet sit similitudo omnium animealiter, tamen secundum partem intellectivam est similitudo omnium intellectualiter, substantialiter seu essentialiter quoad intellectum agentem, et sic actualiter, cum ipse sit, quo est omnia facere, ergo necessario erit similitudo omnium; accidentaliter vero quoad intellectum possibilem, in quo est omnia fieri[10]), et sic est omnium similitudo potentialis.

Secundum partem autem sensitivam est omnia sensibiliter, et propter hoc nomen similitudinis secundum Rabbi Mosen 2 cap.[11]) dicitur tripliciter: Dicitur enim de tribus aequivoce, scilicet de forma sensitiva rei, quae sensu comprehenditur, et de forma sensibili rei, prout existit in imaginatione, et de veritate rei, quae comprehenditur intellectu.

[8]) Avenc., Fons vitae III 23; Baeumker 132,22–133,14
[9]) cf. supra, prop. 186 E
[10]) cf. Arist., De an. III 5, 430a14–15
[11]) Mos. Maimon., Dux neutror. I 3; Parisiis 1520, 6r

41 haec Avencebrol *om.* *V* 44 rerum *add.* haec Avencebrol *V* 50 duplex: dupliciter *V*

Nec obstat praemissis, sicut movet Avencebrol[12]) libro III cap. 39, si quis dixerit, quod substantia animae non habet formam, cum "sit exspoliata a forma non secundum opinionem, sed secundum effectum et esse", "et per hoc negaverit, quod sint omnes formae in ea, et dixerit, quod formae sint transeuntes super eam sicut transitus formarum in speculo; quamvis hoc adhuc ita sit, non tamen falsificavit esse similitudinem inter formam animae et formas, quae transeunt per eam. Sed quid posset dicere de causa compositionis instrumentorum, animae, vel quomodo posset doceri anima, si formae non sunt stabiles in ea? Similiter quid posset aliquis dicere de forma intelligentiae, in qua sunt omnes formae per se, quoniam nemo potest dicere, quod scire res intelligentiae non sit essentiale? Non enim invenitur aliquando substantia intelligentiae non sciens res. Sed postquam concedendum est, quod forma intelligentiae collectiva est omnis formae, et omnes formae sunt in ea simpliciori esse quam in semet ipsis: Cur etiam negat formam animae esse collectivam omnis formae? Excepto, quod in hoc est inferioris ordinis quam intelligentia, quia forma intelligentiae est perfectior et clarior quam forma animae".

Haec Avencebrol.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de specierum et idearum differentiae assignatione, secundo de inexistentia specierum in anima totali propria ratione, tertio ex praemissis dicam circa animam partialem de propositi intentione.

D De primo sciendum, quod, quia omne derivans esse aliis prime est hoc, quod tradit recipientibus derivationem, per 18[13]), ideo necessarium est omnem causam essentialem et substantialem praehabere in se sua causata eminentiori modo, quam sint ipsa causata in se ipsis. Ostensum est autem supra omnem intellectum, qui vere et proprie est intellectus, esse causam essentialem et perpetuorum et intransmutabilium secundum substantiam substitutivum, per 172[14]); talia vero vel sunt entia solum secundum suas rationes specificas, scilicet entia secundum speciem, vel si sunt individuata per partes post totum, tamen nihilominus prius natura sunt entia secundum speciem quam individua (puta anima participabilis et susceptaculum eius); et quia, quidquid est in intellectu, est ibi intellectualiter, per 103[15]) et 173[16]), necessarium est rationes essentiales et species intelligibiles omnium productorum ab intellectibus ab eis praehaberi. Tales autem species differunt ab ideis sive formis; respiciunt enim solum res, immo respiciendo constituunt secundum esse specifi-

12) Avenc., Fons vitae III 40; Baeumker 169,23–25 et 170,2–19
13) Procl., Elem. theol. 18; Dodds 20,3–4; Boese 12,1–2
14) Procl., Elem. theol. 172; Dodds 150,15–16; Boese 84,1–2
15) Procl., Elem. theol. 103; Dodds 92,13–16; Boese 52,1–4
16) Procl., Elem. theol. 173; Dodds 150,22–23; Boese 84,1–2

68 libro III: III libro *V* 72 hoc *om. O* 74 dicere *suppl.*: *om. codd.* 81 collectivam: collect *sed corr. m. post. O* 82 quam *om. V* 95 solum … entia *om. V*

cum simpliciter vel prout determinatur ad individuum modo, quo iam dictum est; solius autem esse specifici est ratio sive definitio. Ideae autem sunt formae exemplares, secundum quas ad quarum imitationem procedunt res secundum esse individuale.

Est et alia differentia specierum et idearum. Species enim, prout sunt idem, quod rationes essentiales causales, inexistunt causae simpliciter immobili et intransmutabili, qualis est intellectualis hypostasis – sic namque species derivatae, utpote intransmutabilis substantiae, procedunt ab immobili causa, per 76[17]) –; ideae autem inexistunt causae vel per se mobili vel ex se mobili ratione eius, quod est per se mobile.

Et haec sufficiant de specierum et idearum differentia, si accipiantur secundum proprias rationes, licet frequenter unum pro alio accipiatur.

Et hoc de primo.

»De secundo considerandum, quod, quia anima totalis est media multipli- E
ci ratione inter entia seu simpliciter ingenerabilia et sic impartibilia, et aeterna secundum se tota ex una et generationem seu generabilia et corruptibilia et sic vel simpliciter vel per accidens partibilia et secundum se tota temporalia ex parte altera, ideo ipsa est medium quoddam coniunctivum et continuativum per quandam causalem derivationem essentialium perfectionum, quae sunt in principiis separatis ad res generabiles et corruptibiles quantum ad ipsarum essentiales formas et perfectiones, ad quas ea movet, caelesti corpore mediante. Et quia medium non cadit extra naturam extremorum et proprietatem, ideo necessarium est ipsum in se habere dictas entium generabilium essentiales formas et perfectiones, quas ex principiis simpliciter separatis sibi impressas modo essentialis causae communicat entibus generabilibus et corruptibilibus. Non enim potest essentialis perfectio ex parte unius extremi communicari alteri extremo, ut in suo gradu sibi sit essentialis perfectio per mediam causalem derivationem, nisi etiam talis media causa essentialiter in se habeat dictas perfectiones. Alias enim, antequam de extremo primo et superiori perveniretur ad extremum alterum, essentialitas talium perfectionum annullaretur in medio saepe dicto, quod esset quasi accidentaliter iniectum tali ordini causali, et nulla essentialis seu substantialis forma et perfectio inveniretur in tali extremo inferiori, et nihilominus sequeretur inconveniens, videlicet quod huiusmodi entia extremi ordinis, si sint essentialiter aliquid secundum suas perfectiones et formas essentiales, essent altioris gradus quam sua per se causa«[18]).

Quare necessarium est ipsum medium coniunctivum et continuativum in se essentialiter et eminentius perfectiones inferiorum omnium (scilicet generabilium) praehabere, ut causali et essentiali ordine mediet.

17) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2
18) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 14 2–3; Sturlese 25,13–33

104 ad: et *V* 108 species *add.* determinatae *O* 126 entibus *om. V*

Cum igitur anima totalis sit talis medium, ut iam ostensum est, ipsa habebit et praehabebit in se omnes ideas, quae immediate et directe respiciunt essentiales perfectiones omnium generabilium, ad quarum imitationem idearum et per quas omnia generabilium et corruptibilium individua generantur.

Et hoc etiam est habere omnes species seu ideas secundario, cum solum respiciant individua, quae sunt secundaria ad species, quas species, utpote rationes essentiales et directe respicientes res inferiores, secundum rationes specificas eorum ipse intellectus habet prime (id est primarie) vel quas prime intellectus habet.

Et hoc de secundo.

F Verum qualiter dictae species sive formae sint in anima partiali, attentius est videndum. Et praemittendum ipsam habere tres partes intrinsecas et essentiales, scilicet vegetativam, sensitivam et intellectivam, ut prius visum est[19]).

Operationes autem vegetabiles exercet mediantibus suis potentiis, scilicet nutrire, augere et generare, exercet, inquam, ex naturae suae necessitate, quamdiu unita est corpori corruptibili sine errore, quantum est in se, licet non semper oboediat ipsum corpus. Et sic necessario etiam quantum ad infimam sui partem, qua immergitur corpori, habet in se formas sive species, ad quarum exemplar sit; regulariter nutrit, auget et generat et alia consimilia opera vitae exercet; et licet tales operationes sint coniuncti, tamen ipsum coniunctum habet ab ipsa anima sic et sic et non aliter agere, et consequenter similitudines talium erunt in anima. Quomodo enim aliter moveret membra ad certa vitae opera – nec omnia ad unum opus, sed quaelibet ad sibi propria, sicut apparet de corde, pulmone et hepate et similibus –, immo qualiter formaret talia membra, nisi formas et rationes omnium praehaberet?

Unde et Avencebrol ex causa compositionis instrumentorum arguit in anima esse stabiles formas, ut supra dictum est[20]).

Et ad istam intentionem auctor libro *De providentia*[21]) 2 quaest. ponit exemplum de spermate sic dicens: "Ac si utique et quae in spermate ratio, una ens et tota in unaquaque parte spermatis et habens causam hanc ab ipsa iam fore partitam, cognosceret, causam quidem partitionis entem ei, quod post ipsam, impartibilem autem se ipsam entem, et totum hoc diceret: impartibiliter partibilitatem habeo; a neutro quidem separatum existens, in meliori autem, quod deterius continens, ut et partitio neque sine causa sit neque in causam percurrens, sed secundum causam quidem ens ibi, secundum existentiam autem in suscipientibus ipsam; et siquidem quaereret ratione eam causam partitionis, quae in se ipsa, illa utique

19) cf. supra, prop. 186 E
20) cf. supra, prop. 194 C
21) Procl., De X dub. 2,n.8; Boese 16,24–35

144 respiciant: respiciat *O* 152 mediantibus ... potentiis: suis potentiis mediantibus *V* 154 corpori: corpore *V* 168 parte *om. V* 172 sed: vel *V* 174 quaereret ... ipsa: quaereret partitionis eam ratione quae in seipsa causam *sed corr. Bertholdi m. B*

inveniret, quia et ipsa, si impassibilis sit, sed in alio posita subiecto; esse quidem igitur ipsam in alio et non in se ipsa dedit illis partiri et aliis in fieri et non ubique unumquodque esse". Hoc auctor.

Hoc igitur modo licet anima partialis secundum partem vegetativam sit corpori immersa, tamen, sicut et sperma, praehabet species formandorum et operandorum membrorum, licet ibi minus appareat.

In parte autem sensitiva magis apparet, secundum quam anima iam agit et ex quadam conceptione, ubi etiam incipit quodammodo ratio causae essentialis et per se. Artifex enim secundum Aristotelem[22]) est per se causa statuae vel imaginis; imago enim exterior fit ad instar imaginis interioris in ratione particulari existentis, quae est practica. Dico autem hic (scilicet in parte sensitiva) incipere rationem causae, et essentialis; de ratione enim causae essentialis est, ut non solum habeat virtutem efficiendi causatum, sed et ut ipsum perfectiori modo praehabeat. Et talis est ratio sive species rei in mente artificis, quia ipse conceptus rei est quasi altera res ipsa, quae concipitur secundum aliud esse, unde opus, quod fit secundum aliquam artem, semper est in ipsa arte non aliud quam ipsa ars.

Non solum autem anima secundum partem sensitivam quoad rationem particularem praehabet artificiata, sed etiam quoad sensus particulares praehabet sensata iuxta illud Boethii V *De consolatione*[23]) metro 4:

"... Vigor mentis excitus
quas intus species tenet
notis applicat exteris
introrsumque reconditis
formis miscet imagines".

Huic alludit Augustinus *Super Genesim ad litteram*[24]) dicens, quod anima accommodat partem substantiae suae ad hoc, quod sensus fiat in actu ad praesentiam sensibilis; et hoc etiam astruit Averroes super II *De anima*[25]) dicens, quod actus sensus dependet ab aliquo principio interiori activo, sicut in intellectu, sed Aristoteles hoc tacuit, quia latet.

Ex his apparet animam partialem secundum partem sensitivam habere in se species sensitivas.

Ceterum, quod pars intellectiva, immo anima partialis, secundum talem partem habeat omnes species secundario, quas prime intellectus habet principaliter, nunc videndum.

22) Arist., Metaph. V 2, 1013b14 sqq.
23) Boeth., Philos. cons. V m.4; Moreschini 152,35–40
24) Aug., De Gen. ad litt. VII 19–20; Zycha 215,21–217,12; XII 16 et 23–24; Zycha 401,10–403,3 et 414,22–417,21
25) Averr., De an. II comm. 51; Crawford 208,14–16

192 quoad: quo *O* 194 excitus: exitus *V*

»Intellectus enim per essentiam, qui est imago prime boni, secundum quem anima est ad imaginem ipsius, est exemplar et similitudo totius entis inquantum ens, cum sit quaedam generalis natura secundum proprietatem suae intellectualitatis, qua non determinatur ad hoc vel illud intelligendum«[26]). Quia igitur essentia eius, quidquid est, intellectualiter est, per 173[27]), a simili intellectualium hypostasum necesse est ipsum intellectum, a quo ipsa anima proxime subsistit, per praemissam[28]), per essentiam suam habere similitudinem et sic species omnis entis, modo tamen simplici, id est secundum proprietatem simplicis essentiae, et ipsum esse quodammodo intellectualiter omne ens, quod in anima partiali necessarium est et quoad intellectivum interius et essentiale, cuius est omnia facere secundum Aristotelem[29]), et sic necessario praehabet species omnium, et quoad intellectivum exterius et potentiale, cuius est omnia fieri et qui in principio sui est sicut tabula rasa[30]) et locus specierum omnium, non ut recipiat, sed magis ut fiat[31]). Ex tali enim intellectu et intelligibili specie magis fit unum quam ex materia et forma[32]).

»De tali praehabere species sive rationes omnium dicit Augustinus libro *De immortalitate animae*[33]) circa finem: "Manifestum est immortalem esse animum humanum et omnes veras rationes in secretis eius esse".

Praemittit autem ibidem[34]) sic (et est sumptum ex *Phaedone*[35]) Platonis): "Sed cum nos ipsi nobiscum ratiocinantes vel ab alio bene interrogati de quibusdam liberalibus artibus bene respondemus ea, quae invenimus, non alibi quam in animo nostro invenimus; neque idem est invenire, quod facere aut gignere; alioquin aeterna gigneret animus inventione temporali, nam aeterna saepe invenit. Quid enim tam aeternum quam circuli ratio?"«[36])

Praemissorum vero ratio sic apparet.

Quidquid est alicui causa agens, imprimit in eo, quod est in sua essentia; sed intellectus est causa agens ipsius animae per praemissam[37]); ergo etc.

[26]) cf. Theodor. de Vrib., De int. II 36 3; Mojsisch 174,106–175,115
[27]) Procl., Elem. theol. 173; Dodds 150,22–23; Boese 84,1–2
[28]) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1
[29]) Arist., De an. III 5, 430a14–15
[30]) cf. Arist., De an. III 4, 429b31–430a1
[31]) cf. Arist., De an. III 4, 429a27–28
[32]) cf. Averr., De an. III comm. 5; Crawford 404,503–504
[33]) Aug., De imm. an. 4 6; Hörmann 107,23–25
[34]) Aug., De imm. an. 4 6; Hörmann 107,16–21
[35]) Plat., Phaedo 73a7 sqq.
[36]) cf. Theodor. de Vrib., De vis. beat. 1.1.4., 6; Mojsisch 29,35–30,43
[37]) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1

209 est *om. O* 214 quo *coni.*: qua *codd.* 216 id est: et *O* 231 quid: quod *V*

Item vis universalis colligens vires animae habilior est ad sustinendas multas formas quam aliqua suarum virium; sed vis visibilis ex viribus animae sustinet in se multas formas; ergo anima universalis habilior est ad sustinendum multas formas quam vis visibilis. Omnis enim substantia quanto magis fuerit simplex et subtilis, tanto magis erit colligens et habens formas seu species, quia formae seu species multae collectae in simplici substantia – qualis est anima – simplices sunt et spirituales, et omne simplex et spirituale locum non occupat; ergo species multae collectae in anima sicut in substantia simplici locum non occupant.

Omnis igitur anima participabilis omnes habet species secundario, quas intellectus prime habet.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim ab intellectu procedit et intellectus institutor animae est et ipso esse immobilis ens omnia intellectus producit, dabit et animae subsistenti eorum, quae in ipso omnium essentiales rationes. Omne enim per esse faciens, quod est prime, hoc fienti secundario dat. Intellectualium ergo specierum anima secundario habet impressiones.

Probatio elementi talis est.

Omne procedens proxime ab intellectu, qui existens simpliciter immobilis est producens omnia suae causalitati subiecta ipso esse seu per essentiam habet omnes species seu rationes essentiales secundario, quas intellectus habet principaliter, quia omne per esse faciens seu producens dat hoc secundario fienti sive procedenti, quod ipsum est prime, per 18[38]). Sed omnis participabilis anima est procedens proxime ab intellectu et ipse intellectus est animae institutor; ergo omnis participabilis anima habet impressiones omnium intellectualium specierum secundario, quas ipse intellectus habet primarie.

Ista ratio ponitur in littera.

[38]) Procl., Elem. theol. 18; Dodds 20,3–4; Boese 12,1–2

243 igitur: ergo *V* 245 etiam *om. V* | intentio elementi *om. sed suppl. m. post. V*

PROPOSITIO 195
OMNIS ANIMA EST OMNIS RES, EXEMPLARITER QUIDEM SENSIBILIA, ICONICE AUTEM INTELLIGIBILIA

Postquam habitum est in anima participabili omnes species intellectuales existere, hic ostendit ipsam animam omnia existere dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam quandam animae partialis descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio ex praemissis omnis animae participabilis condicionem.

A De primo sciendum, quod Augustinus in libro *De distinctione animae* sic describit animam humanam: "Anima est substantia creata, invisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, nullam imaginem habens nisi Creatoris sui".

Et hoc de primo.

B Verum in hac descriptione substantia ponitur pro genere, reliqua vero pro differentiis. Inter quae primum est, quod est creata: Prima enim causa creavit esse animae mediante intelligentia, ut supra inductum est[1]) ex *De causis*[2]). Cui alludit Augustinus in libro *De spiritu et anima*[3]) dicens: "Anima est substantia rationalis, intellectualis, spiritualis, a Deo facta, non ex Dei natura, sed potius creatura ex nihilo facta, in bonum malumque convertibilis, et ideo" aliqualiter "mortalis ... aliquatenus non mortalis".

"Invisibilis", quia caret figura et colore, ut supra ostensum est[4]) ex dicto libro *De spiritu et anima*[5]).

Quod autem sit incorporea, apparet per 186[6]), et immortalis per 188[7]) et sequentem[8]).

Deo simillima, quia insignita Dei imagine decorata similitudine.

Imago autem est perfecta conformitas ad illud, cuius est imago, et similitudo repraesentativa, qua non invenitur maior[9]); et sic inveniuntur in imagine quae et in principaliformi secundum imitationem et aemulationem.

1) cf. supra, prop. 193 F
2) Lib. de caus. 3,n.32; Pattin 140,13–14
3) Alch. Claraev., De spir. et an. 8; PL 40, 784
4) cf. supra, prop. 192 A–B
5) Alch. Claraev., De spir. et an. 24; PL 40, 796
6) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13; Boese 91,1
7) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1
8) Procl., Elem. theol. 189; Dodds 164,20; Boese 92,1
9) cf. supra, prop. 185 D

19 aliqualiter: *an* aliquatenus *scrib. est?* 28 secundum *om. V*

Sicut enim in natura divina est una essentia et tres personae respectibus origi-
30 nis distinctae, ita et anima est una essentia, una substantia, una vita et, quidquid absolute dicitur, unum est. Trinitas vero invenitur in tribus, scilicet in memoria, intelligentia et voluntate, quae in tantum solum differunt, secundum quod ad invicem referuntur, secundum sententiam Augustini X *De Trinitate*[10]) cap. de magnis.

Et praeterea, "ut Deus comprehensibilis est, dum ex creatura colligitur, quia est, et incomprehensibilis est, quia a nullo creato intellectu comprehendi potest, quid sit, nec a se ipso, quia non est quid, quippe supersubstantialis, ita humanae menti hoc solum datur noscere se esse; quid autem sit, nullo modo ei conceditur. Si enim cognosceretur quiddam esse, circumscripta profecto in aliquo esset ac per hoc imaginem sui creatoris non omnino ex se exprimeret, qui omnino incircum-
40 scriptus est et in nullo intelligitur, quia infinitus est super omne, quod dicitur et intelligitur superessentialis".

Haec Theodorus in *Clave*[11]).

Ex his apparet "non alibi" animam "nisi secundum excellentissimam sui partem intelligibilem, videlicet divinam, imaginem exprimere, quae pars, veluti triformis, intelligitur in intellectu plane et ratione et sensu interiori"[12]).

Et infra[13]): "Sed quia tota corpus suum administrat et in se ipsa tota ubique est et individua Gregorio Nazanzeno[14]) teste, tota anima humana ad imaginem Dei facta est, quia tota intellectus est intelligens, tota ratio disputans, tota sensus et sentiens, tota vita et vivificans. Duobus autem modis humana anima ad imaginem
50 Dei facta cognoscitur: primo, quod, sicut Deus per omnia, quae sunt, diffunditur et a nullo eorum potest comprehendi, ita anima totum sui corporis organum penetrat, ab eo tamen concludi non valet; secundo vero, quod, quemadmodum de Deo praedicatur solummodo esse, nullo modo autem definitur, quid sit, ita humana anima tantummodo intelligitur esse, quid autem sit, nec illa ipsa nec alia creatura intelligit[15])".

Haec item Theodorus ibidem.

Quibus addatur tertius modus Augustini supra dictus.

Ex praedictis colligitur, quod anima nullam est habens imaginem nisi creatoris sui, si proprie loquamur, etsi ab aliis causis intermediis producatur.

60 Et hoc de secundo.

Ex praemissis etiam apparet, quid sit anima participabilis quoad propriae natu- C
rae suae condicionem, cum anima humana secundum naturam inferior sit totali.

Et hoc de supposito.

10) Aug., De Trin. X 11,n.18; Mountain–Glorie 330,29–32 et 331,40–42; cf. supra, prop. 189 F
11) Honor. August., Clavis phys. 254; Lucentini 203,43–51
12) Honor. August., Clavis phys. 268; Lucentini 215,14–16
13) Honor. August., Clavis phys. 268; Lucentini 216,20–31
14) Greg. Nyss., De hom. opif. 14; PG 44, 173D–176B; Cappuyns 230,3–29; 15; PG 44, 177B–C; Cappuyns 231,26–38
15) Greg. Nyss., De hom. opif. 11; PG 44, 153C–156B; Cappuyns 220,46–221,30

37 noscere *coni.*: nosce *codd.* 38 profecto *coni.*: perfectio *codd.* 47 Nazanzeno *verius* Nysseno

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam, quomodo omnis anima sit omnis res animealiter, secundo, quomodo sit iconice intelligibilia et sensibilia exemplariter, tertio, quomodo hoc sit verum in anima partiali specialiter.

D De primo sciendum, quod omnem animam participabilem esse omnem rem potest intelligi dupliciter: vel quod sit omnis res quiditative et essentialiter, vel cognitive et potentialiter, vel utroque modo simul.

Quod autem omnis participabilis anima sit omnis res quiditative et essentialiter, apparet.

Tum quia omne medium in essentialiter ordinatis est et superiora et inferiora omnia, et sic omnis res superiora, quia dependet causaliter ab eis, et sic est secundario, quod ipsa sunt prime per commentum 18[16]); inferiora vero est, quia est causa eis; sed omnis participabilis anima est media inter superiora et inferiora per 190[17]); ergo est omnia superiora et inferiora et sic omnis res.

Tum quia est similitudo omnium, ergo est omnis res, cum similitudo in substantialibus sit identitas; sicut enim similia accidentaliter sunt unum in qualitate, ita similia substantialiter sunt unum in substantia et sic idem.

Tum etiam quia est imago primi principii, quod est omnis res principaliformiter: ergo omnis anima participabilis est omnis res animealiter; licet enim omnia sint in omnibus, proprie autem in unoquoque per 103[18]).

Verum etiam, quod sit omnis res cognitive, apparet, quia secundum Aristotelem[19]) anima est quodammodo omnia, quia per sensum sensibilia, per intellectum intelligibilia. In hoc enim differunt cognitiva a non cognoscentibus, quia cognitiva sunt et hoc, quod sunt et omnia cognoscibilia, sive in actu sive in potentia; sicut etiam dicit Aristoteles[20]) de intellectu agente, quod est, in quo est omnia facere, et de intellectu possibili, quod est, in quo est omnia fieri.

Eodem modo proportionaliter est de potentiis sensitivis: non cognoscentia vero solum sunt hoc, quod sunt; cuius differentiae ratio est, quia omnis virtus cognoscitiva est universalis naturae, et sic non est determinatae formae, quia, si esset determinatae formae, non apprehenderet alias, immo prohiberet despectum secundum Aristotelem[21]). Unde et dicit intellectum possibilem nihil esse eorum, quae sunt, antequam intelligat[22]) (ubi dicit alia translatio[23]): nihil est entium); res vero non cognitiva est determinatae formae. Cum igitur omnis anima participabilis vel sit intellectiva tantum (qualis est anima totalis) vel intellectiva simul et sensitiva (qualis est anima partialis), necessarium est omnem animam participabilem esse omnem rem cognitive.

16) Procl., Elem. theol. 18 comm.; Dodds 20,5–20; Boese 12,3–13,17
17) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
18) Procl., Elem. theol. 103; Dodds 92,13; Boese 52,1
19) Arist., De an. II 2, 413b20 sqq.
20) Arist., De an. III 5, 430a14–15
21) Arist., De an. III 4, 429a19–21
22) Arist., De an. III 4, 429a22–24; transl. vetus: Stroick 178,92–93
23) Arist., De an. III 4, 429a22–24; transl. Michaelis Scoti: Crawford 387,5

75 inter *om. V* 93 et: etiam *O* 96 vel[2] ... (97) partialis *om. O*

Et hoc est, quod dicit Theodorus in *Clave*[24]): "Omnium rerum sensibilium et intelligibilium, quae potest humana mens intelligere, notio quaedam inest homini".

Et infra[25]): "Ad similitudinem ergo divinae mentis, in qua notio universitatis conditae incommutabilis substantia est notio rerum, quam mens humana possidet, dum in ea creata sit substantia earum intelligitur". Et bene infra[26]): "Quemadmodum igitur intellectus omnium, quae Pater fecit in suo verbo unigenito, essentia eorum est et cunctorum, quae circa eam naturaliter intelliguntur, ita cognitio omnium[27]), quae Patris verbum in humana anima creavit, essentia est eorum omnium, quae circa eam naturaliter dignoscuntur. Et quemadmodum divinus intellectus praecedit omnia et est omnia, ita cognitio intellectualis animae praecedit omnia, quae cognoscit, et est omnia, quae praecognoscit, ut in divino intellectu omnia causaliter, in humana vero cognitione subsistant effectualiter non alia sicut essentia omnium in verbo, alia in homine, sed quod unam eandemque aliter in causis aeternis subsistentem, aliter in effectibus intellectam mens speculatur[28]); illic enim superat omnem intellectum. Hic autem ex his, quae circa eam considerantur, esse solummodo intelligitur. In utrisque vero, quid sit, nulli creato intellectui noscere licet; nam si nosci posset, non omnino Creatoris imaginem in se exprimeret, qui ex his, quorum principium et causa et conditor est, cognoscitur tantum esse; quid autem sit, omnem sensum et intellectum effugit".

Haec Theodorus in *Clave*.

Ex praemissis apparet omnem animam participabilem esse omnem rem.

Et hoc de primo.

Sane quod anima sit exemplariter sensibilia et iconice intelligibilia, ex dicendis patebit. E

Omnis enim substantia simplex imprimens hoc, quod est in sua essentia, in sensibilia, est exemplariter sensibilia; sed omnis anima participabilis est huiusmodi, quia imprimit in substantia composita seu sensibili figuras, vires et motus, quae sunt in essentia sua; ergo omnis anima participabilis est exemplariter sensibilia.

Maior apparet per Avencebrol[29]) III libro cap. 25 et 26.

[24]) Honor. August., Clavis phys. 253; Lucentini 200,2–3
[25]) Honor. August., Clavis phys. 253; Lucentini 201,11–13
[26]) Honor. August., Clavis phys. 258; Lucentini 210,20–36
[27]) cf. Dion., De eccl. hier. 1 3; PG 3, 376A; Heil 66,16; Dionysiaca 1091D
[28]) cf. Aug., De Gen. ad litt. II 6; Zycha 41,6–8
[29]) Avenc., Fons vitae III 25–26; Baeumker 138,9–143,5

106 eam *coni.*: ea *V dub. O* 110 et ... praecognoscit *om. O* 111 non ... (112) omnium: *an* non quod alia sit omnium essentia *scrib. est?* 112 unam eandemque *coni.*: una eademque *V dub. O* 116 noscere *coni.*: nosce *codd.*

Minor declaratur ibidem[30]) 22 cap. in haec verba: "Motus est impressio animae, et motus in substantia composita (scilicet sensibili) est; ergo impressio animae est in substantia composita". Item: "Deminutum causatum est a perfecto; substantia composita (seu sensibilis) deminuta est a substantia simplici; ergo sensibilis substantia causata est a simplici". Item: "Anima mobilis est, et mobile est causa quieti; ergo anima est causa quieti. Substantia composita quieta est; ergo anima causa est substantiae compositae".

Quod autem figurae, vires et motus sint in essentia animae et ab ipsa imprimantur substantiae sensibili, sic ostendit[31]) consequenter: "Omnis substantia corporea recipiens est tantum et composita tantum; sed substantia spiritualis (puta anima) est recipiens et agens et simplex quodammodo et composita quodammodo; et quod est agens et recipiens et simplex et compositum, ipsum est receptibile multarum formarum; et quod est receptibile multarum formarum, ipsae multae formae sunt in eo potentia; ergo in substantia simplici sunt multae formae in potentia (scilicet activa), et omne, in quo fuerint multae formae in potentia, illud extrahet ipsas formas de potentia in effectum; ergo substantia simplex formarum, quae sunt in ea in potentia, eductrix est in effectum. Debet necessario, ut omnis causa sit imprimens figuras suas et formas in suo causato; et nullum impressum est tale, quale id, a quo imprimitur, in fortitudine et perfectione; ergo debet necessario, ut causa sit plurium figurarum quam causatum suum, et substantia simplex causa est compositi; ergo debet necessario ut substantia simplex sit plurium figurarum et formarum quam substantia composita (sive sensibilis)".

Et infra[32]), 24 cap.: "Formae, quae sunt in substantia composita, sunt sensibiles causae in effectu; et omne, quod est in effectu, prius fuit in potentia; ergo formae, quae sunt in substantia composita in effectu, prius erant in essentia animae, et omne, quod est in potentia spirituale, est quantum ad id, quod est in effectu; ergo formae, quae sunt in substantia animae in potentia, spirituales sunt quantum ad formas, quae sunt in effectu. Sed formae, quae sustinentur in substantia composita, sunt in effectu; ergo formae, quae sunt in substantia animae in potentia, spirituales sunt quantum ad formas, quae sustinentur in substantia composita".

Haec Avencebrol.

Et hoc est, quod dicit Averroes[33]), quod omnes "formae", quae "sunt in potentia in materia prima", sunt "in actu in motore primo", qui reducit potentiam ad actum, quia omne, quod fit, fit ex duplici potentia per 78[34]).

[30]) Avenc., Fons vitae III 22; Baeumker 130,4–11
[31]) Avenc., Fons vitae III 22; Baeumker 130,15–131,4
[32]) Avenc., Fons vitae III 24; Baeumker 134,19–135,2
[33]) Averr., Metaph. XI comm. 18; Venetiis 1562, 305vI
[34]) pot. Procl., Elem. theol. 79; Dodds 74,18; Boese 42,1

131 causatum: *an* creatum *scrib. est?* 133 causata: *an* creata *scrib. est?* 142 in potentia *om. sed suppl. m. post. V*

Ex praemissis apparet, quod formae omnium sensibilium sunt in substantia animae spiritualiter et perfectiori modo quam in sensibili, quia corporalium incorporaliter, materialium immaterialiter, distantium indistanter, et quod tales formae sint exemplares respectu formarum sensibilium.

Omnis igitur anima participabilis est omnia sensibilia exemplariter.

Sed quod iconice intelligibilia, satis apparet per praemissam[35]), cum habeat impressionem omnium specierum sensibilium, quorum est imago. Icos enim Graece est imago; Latine imago autem dicitur quasi imitago[36]).

Unde animam esse iconice intelligibilia est ipsam esse imaginarie sive secundum imitationem et aemulationem omnia intelligibilia, quia inveniuntur in imagine, quae et in archetypo, sed suo modo, quia animealiter.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis colligitur, quod non solum anima totalis est omnia sensibilia F exemplariter, quorum est causa – et hoc sive immediate, puta corporis subiecti, ad quod se habet in genere triplicis causae: efficientis, formalis et finalis, sive mediate, puta omnium generabilium et corruptibilium, quae deducit ad esse mediante corpore suo subiecto – et omnia intelligibilia iconice, verum etiam anima partialis est huiusmodi, licet inferiori modo.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Media enim existens impartibilium et eorum, quae circa corpus partibilium, haec quidem producit et instituit, causae autem praeextiterunt ante ipsam, a quibus provenit. Quorum quidem igitur causa praeexistit, hoc praeaccepit exemplariter; a quibus autem subsistit, hoc secundum participationem habet et ut geminata primorum. Sensibilia ergo quidem omnia secundum causam praeaccepit, et rationes materialium immaterialiter et corporalium incorporaliter et distantiarum indistanter habet; intelligibilia autem iconice et specierum illorum partibiliter quidem impartibilium, et multiplicatim unialium, per se mobiliter autem immobilium suscepit. Omnia ergo est entia, hoc quidem secundum participationem, scilicet prima, hoc autem exemplariter, scilicet quae post ipsam.

35) Procl., Elem. theol. 194; Dodds 168,30; Boese 95,1

36) cf. Isidor., Etym. VI 3 4; Lindsay n. 4; cf. etiam Alb., Summa theol., I 8 35 2; Siedler 267,68–69 et 268,23–24; cf. etiam Arist., De memoria et reminisc. 1, 450b20–27

168 quod: quia *V* 187 materialium: immaterialium *O*

Probatio elementi talis est.

Omne existens medium impartibilium et eorum, quae circa corpora partibilium, producens et instituens partibilia et productum ab impartibilibus, quae ut causae ipsius praeextiterunt ante ipsum, est omnis res: exemplariter quidem sensibilia, iconice autem intelligibilia. Sed omnis anima participabilis est media impartibilium et eorum, quae circa corpora partibilium, per 190[37]), et sic ut causa substantialis producit et instituit haec (scilicet partibilia); sed producitur et ab impartibilibus, quia causae, a quibus provenit, praeextiterunt ante ipsam. Ergo omnis anima talis est omnis res, exemplariter quidem sensibilia, quorum praeexistit causa – hoc enim praeaccepit exemplariter –, iconice vero est intelligibilia – hoc enim habet secundum participationem, cum sit effectus eorum et sicut duplicans ipsa –: omnis enim imago, cum sit expressa ab archetypo, est quasi alterum archetypum sicut geminans ipsum.

Sensibilia ergo. Hic exponit auctor, quid velit per hoc, quod est exemplariter et iconice, sic inferens ex praedictis; ergo pro certo anima, sicut media inter sensibilia et intelligibilia, praeaccepit omnia sensibilia secundum causam (id est secundum modum causae) et ex hoc habet rationes materialium immaterialiter, quia "materia est extra essentiam animae" secundum Avencebrol[38]) III libro cap. 24 "et formae sunt in essentia animae", et rationes corporalium incorporaliter, cum sit substantia spiritualis; et habet etiam rationes distantiarum indistanter, quia secundum Avencebrol[39]) III libro cap. 32 "formae multae collectae in simplici substantia simplices sunt et spirituales, et omne simplex et spirituale locum non occupat; ergo formae multae collectae in anima locum non occupant". Et sic anima praehabet omnia sensibilia eminentius quam secundum ipsorum ordinem. Sed ipsa anima est iconice intelligibilia et suscepit impressionem specierum illorum (scilicet intelligibilium) inferiori modo, quam sint in prioribus, quia impartibilium (scilicet entium secundum speciem) suscepit partibiliter et individualiter et unialium multiplicatim, sed immobilium simpliciter per se mobiliter. Omnia enim superiora sunt in anima modo ipsius, quia receptum est in recipiente per modum suscipientis.

Omnia ergo. Hic concludit auctor dicens, quod anima est omnia entia, hoc quidem (scilicet prima) secundum participationem sive iconice, hoc autem (scilicet quae post ipsam) exemplariter.

37) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
38) Avenc., Fons vitae III 24; Baeumker 134,3–4
39) Avenc., Fons vitae III 32; Baeumker 153,11–14

197 190 *coni.*: 100 *codd.* 198 et^2 *om. V* 199 praeextiterunt: extiterunt *O* 213 occupat: occupant *O* 216 intelligibilia: intelligibilis *O* 221 dicens *om. O*

PROPOSITIO 196
OMNIS ANIMA PARTICIPABILIS CORPORE UTITUR PRIMO PERPETUO ET HABENTE HYPOSTASIM INGENERABILEM ET INCORRUPTIBILEM

Ostenso, quomodo se habeat anima participabilis et in se et in respectu, et hoc ad superiora et inferiora sive in participando sive in causando, nunc ostendit auctor, quomodo se habeat ad corpus sibi unitum in animando, dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam quandam animae descriptionem, secundo descriptionis expositionem, tertio ex praemissis quarundam difficultatum explanationem.

De primo sciendum, quod anima in libro *De spiritu et anima*[1]) sic describitur: A
Anima "est substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accommodata".

Et hoc de primo.

Verum in ista descriptione substantia dicitur a subsistendo potius quam sub- B
stando, ut etiam supra expositum est[2]).

Qualiter autem dicatur particeps rationis, advertendum, quod, cum ratio multam habeat significationem, inter quas aliquando distinguitur contra sensum, imaginationem et intelligentiam, secundum quod dicit Boethius V *De consolatione philosophiae*[3]) prosa 4: "Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur: Sensus enim in subiecta materia figuram constitutam, imaginatio vero sine materia iudicat figuram, ratio vero hanc quoque transcendit speciemque ipsam, quae singularibus inest, universali consideratione perpendit; intelligentiae vero celsior oculus existit, supergressa namque universitatis ambitum ipsam illam simplicem formam, pura mentis acie contuetur"; aliquando vero accipitur pro intellectu seu intelligentia iuxta illud Boethii III *De consolatione*[4]) metro 9:

"O, qui perpetua mundum ratione gubernas
terrarum caelique sator",

etc., in proposito tamen ratio accipitur pro intelligentia, cuius anima dicitur esse particeps.

[1]) Alch. Claraev., De spir. et an. 1; PL 40, 781
[2]) cf. supra, prop. 192 B–C
[3]) Boeth., Philos. cons. V 4; Moreschini 149,80–88
[4]) Boeth., Philos. cons. III m.9; Moreschini 79,1–2

7 etc. *om. V* 8 cuius: istius *V* 15 in *om. V* 25 pura *coni.*: puta *codd.*

Est enim quaedam essentia superplenam, supertotam et superperfectam possidens rationem ut prime intellectus, qui etiam dicitur amethectus, id est non posthabens intellectualitatem, cum sit causa et principium ingenitum omnis intellectualitatis, per 99[5]).

Est et alia essentia, quae plenam, totam et perfectam possidet rationem, qualis est omnis intellectualis hypostasis, et significanter ea, quae est totum in parte, scilicet prima in ordine intellectuum essentialium.

Est et tertio substantia, quae nec plenam nec totam nec perfectam possidet rationem, et ideo dicitur esse particeps rationis, cum ratio non insit ei secundum propriam existentiam.

Sed talis est duplex, quia quaedam accommodatur corpori regendo, cum quo unitur in esse et operari (puta anima intellectualis), quaedam vero non (puta angelus); et ideo dicitur in descriptione, quod est corpori accommodata regendo.

Et hoc de secundo.

C "Quaerendum autem est" ut dicit Gregorius Nyssenus in libro *De homine*[6]) cap. 3, "qualiter animae et corporis inanimati fit unitio. Inextricabilis enim est haec res".

Et infra[7]): "Ammonius autem, Plotini magister, quod quaeritur, hoc modo solvebat. Dicebat enim intelligibilia talem habere naturam, ut et uniantur his, quae possunt ea suscipere, quemadmodum, quae simul corrumpuntur, et unita maneant inconfusibilia et incorruptibilia, ut quae adiacent. Nam in corporibus quidem unitio alterationem operatur, quia in alia corpora transmutantur".

Et infra[8]): "In intelligibilibus autem unitio fit, alteratio autem non inde sequitur. Non enim aptum natum est intelligibile aliquod secundum substantiam alterari. Si autem desistit aut in non ens corrumpitur, transmutationem autem non suscipit[9]). Sed neque in non ens corrumpitur. Non enim utique intelligibilia essent immortalia. Et anima, vita existens, si in contritione transmutaretur, alteraretur utique et non esset utique ultra vita. Quid autem conferret corpori, si non tribueret ei vitam? Non igitur alteratur anima unione. Ostenso igitur, quod intelligibilia incorporea secundum substantiam sunt, necessario sequitur, quod et unita ea non corrumpuntur ab his, quibus uniuntur; unitur igitur, et inconfusibiliter unitur corpori anima. Nam quoniam equidem unitur, compassio ostendit[10]). Compatitur enim totum sibi ipsi animal ut unum ens. Quoniam autem et inconfusibile manet, manifestum est ex hoc, quod anima quodammodo separatur a corpore".

[5]) Procl., Elem. theol. 99; Dodds 88,20–23; Boese 50,1–4
[6]) Nemes. Emes., De nat. hom. 3; Morani 38,12–13; Verbeke–Moncho 50,5–6
[7]) Nemes. Emes., De nat. hom. 3; Morani 39,16–22; Verbeke–Moncho 52,36–41
[8]) Nemes. Emes., De nat. hom. 3; Morani 40,1–14; Verbeke–Moncho 52,43–53,57
[9]) cf. Plat., Phaedo 102d6–e3
[10]) cf. Plat., Res p. V, 462c–e

44 et *om.* *V* 53 transmutantur: transmutatur *O* 54 intelligibilibus: intellectibus *O* | sequitur: sequetur *V* 56 autem[1]: aut *V* 58 contritione: concretione *ed.* 63 compatitur ... (64) ens *om.* *O*

Haec Gregorius.

Ex praemissis apparet, quomodo omnis anima participabilis, non solum partialis, de qua dictum est, sed etiam totalis, unitur corpori suo subiecto; alias enim caelum nec esset animatum nec moveretur ex se, immo nec esset causa substantialis istorum inferiorum, quae per motum suum deducit ad esse per generationem et abducit per corruptionem, unitur, inquam, inconfusibiliter, cum sit incorporea et separabilis a corpore per 186[11]) et aeternalis substantiae per 191[12]). "Incorporea enim existens per totum incedit, ut quae corrumpuntur, manens incorruptibilis ut inconfusibilia, et quae est secundum se ipsam conservans et vertens illa, in quibus fit, secundum sui ipsius vitam et non versa ab illis; quia, sicut sol praesentia sui aerem in lucem transmutat faciens eum lucidum et unitur aeri inconfusibiliter simul et confusibiliter, eodem modo et anima unita corpori manet omnino inconfusibilis secundum hoc solum differens, quoniam sol quidem, corpus existens et loco circumscriptus, non est in omni loco, ubi et lumen eius, sicut et ignis ... Anima autem, incorporea existens et non circumscripta loco, tota per totum incedit, et per lumen suum et per corpus, et non est pars illuminata ab ea, cui non tota assit. Non enim tenetur a corpore, sed ipsa tenet corpus. Neque est in corpore, sed magis corpus est in ipsa[13])",[14])

Haec Gregorius ubi supra.

Et sufficiat de primo principali.

Circa propositum tria faciam, quia primo ostendam corporis, quo primitus anima participabilis utitur, condicionem, secundo usus ipsius expressionem, tertio propositi circa animam partialem specialiter declarationem.

De primo sciendum, quod, licet in omnis corporis constitutione principia ipsius determinentur in ulteriores naturas, ita videlicet, quod non remaneant in ratione et natura principiorum, tamen talia principia in quibusdam corporibus sunt prius natura individualia quam entia secundum speciem; et hoc universaliter verum est in omnibus corporibus, ubi dimensiones interminatae praecedunt formam in materia secundum Averroem in *De substantia orbis*[15]). D

In quibusdam autem corporibus ipsa principia prius natura sunt entia secundum speciem quam individualia; et per consequens omnia talia corpora, quamvis sint in potentia ad actus suos, hoc tamen non est cum cointellecta privatione ipsius actus, si tamen proprie dicitur actus substantia intellectualis in subiecto corpore, sed cum quodam ordine ad determinatum actum, quem respicit secundum

11) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
12) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
13) cf. Plot., Enn. IV 3 22 7–10
14) Nemes. Emes., De nat. hom. 3; Morani 40,19–41,10; Verbeke–Moncho 53,63–54,77
15) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 5rC–D

66 haec: hoc *O*

rationem sui determinati ordinis. Et per consequens omne tale corpus, utpote non habens privationem sui actus in se radicatam, est perpetuum secundum durationem, habens hypostasim ingenerabilem et incorruptibilem secundum Averroem ubi supra[16]).

Et hoc de primo.

E Verum actus, ad quem tale corpus est in potentia secundum rationem sui determinati ordinis, necessario est substantia intellectualis, per se perfecta, animans et regens ipsum corpus et movens, et per consequens utitur eo tamquam subiecto, inquantum dat sibi esse et animat ipsum, et sicut instrumento, inquantum movet ipsum. Licet enim talis substantia intellectualis non sit actus sui corporis subiecti secundum omnimodam univocationem cum actu, qui est quaedam substantiae substantialis dispositio, unde et qualitas nuncupatur, nihilominus tamen est »perfectio ipsius corporis, inquantum perficit et terminat imperfectionem potentiae subiecti seu corporis, cuius est actus, unde et dicitur forma eius quidificans et notificans ipsum corpus«[17]); et sic pertinet formaliter ad substantiam totius coniuncti ex tali corpore et anima, »quod magis movetur ex se quam animal in hoc inferiori mundo[18]).

Quod autem sic movetur ex se, movetur a principio intrinseco, quod principium intrinsecum non potest esse forma naturalis corporalis, quia sic non esset distincta subiecto a suo mobili, quod per se requiritur in omni motu«: respectus enim essentialis moventis ad motum non est nisi eorum, quae differunt subiecto[19]).

Igitur talis motus principium intrinsecum erit substantia per se perfecta (scilicet anima) utens ad motum localem corpore subiecto non tamquam subiecto, sed ut instrumento, per cuius motum imprimit in suae causalitati subiecta principia eorum (scilicet materiam et formam) ad esse substantiale deducendo. Unde et motus ipsius caeli est sibi dulcissimus, cum per hunc movendo naturam attingat similitudinem suae causae.

Et hoc de secundo.

F Sane de corpore, quo anima rationalis primo uti dicitur et quod semper animat esse suo, nihil habeo temere definire, cum oporteret ipsum esse perpetuum sicut habens subsistentiam ingenerabilem et incorruptibilem et inalterabilem, cum ad instar corporis caelestis impressiones non recipiat, si esse ponitur peregrinas.

16) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 5rB
17) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 37 2; Sturlese 45,8–11; cf. etiam supra, prop. 188 C
18) cf. Averr., Phys. VIII comm. 27; Venetiis 1562, 365rF; cf. etiam supra, prop. 184 C; prop. 14 H; Sturlese 11,289–292; prop. 17 C; Sturlese 38,187–190
19) cf. Theodor. de Vrib., De anim. caeli 17 1–2; Sturlese 27,9–14

116 mundo: modo *V* 128 primo: primitus *V*

Audiamus tamen, quid Theodorus in *Clave*[20]) sentiat de hoc corpore. Postquam enim ostendit naturam humanam esse ad imaginem Dei secundum duplicem trinitatem, scilicet quia "in naturae nostrae essentia paternae substantiae proprietas, in virtute vero substantiae filii, in operatione substantiae spiritus proprietas (ut dicit) dignoscitur", hoc idem ostendit in intellectu, ratione et sensu interiori, cum sic subiungit[21]): "Licet duae trinitates nostrae naturae ad imaginem Dei factae ascribantur, tamen consulta veritate una reperitur. Essentia namque nostrae animae est intellectus, quo Deum supra omnem naturam intelligimus; virtus vero est ratio, qua principales causas a Deo et a creatura discernimus; operatio autem est sensus, quo effectus causarum sive visibiles sive invisibiles sentimus. Discipulus: Sed miror cur vitam in substantia humanae naturae non posueris. Magister: Quia nunc non de universa humana natura est sermo, quae quinque partibus, id est corpore, vitali motu, sensu, ratione et intellectu constat, sed de ea tantum parte, in qua imago et similitudo conditoris perspicitur, hoc est de intellectu et ratione et sensu interiori vel essentia, virtute et operatione, de vitali autem motu, quo anima corpus nutrit et vivificat, et de ipso corpore, quod totius creaturae extremum obtinet locum, quia extra proprietatem est nostrae intelligibilis essentiae, alias disseremus. Corpus autem dico hoc corruptibile carnalis adhuc animae merito suae inoboedientiae superbiaeque diversisque calamitatibus involutae hospitium, non illud caeleste et spirituale, quod in paradiso cum anima creatum est, quale et post resurrectionem futurum erit. Mortale namque corpus, quo nunc opprimimur, non ex natura, sed ex delicto venit et hoc natura in pristinum statum restituta carebit".

Et infra[22]), ubi ostendit animam sibi ipsi causare corpus materiale, subiungit dicens: "Duplex est autem eius actio (respice infra, 197 G, dicta Boethii ad idem[23])): una, qua omnium rerum cognitiones in unum colligit et genera in essentias, formas in genera, numeros individuorum in forma scientiae unum facit actu, et haec est principalis summaque rationalis naturae operatio; secunda in creatione sui corporis cognoscitur et in eius regimine aperitur. Primo siquidem materiam eius ex qualitatibus rerum sensibilium accipit eique nullo temporali spatio interposito vitalem motum accommodat, quo ipsam materiam vivificat et nutrit et in augmenta staturae per loca et tempora provehit, sensus exteriores praestat, per quos omnium rerum phantasias recipit, alimenta, quae in aedificium corporis accipit, per occultos venarum nervorumque meatus distribuit. Et sicut summa trinitas totam creaturam a se conditam movet, regit, ordinat, ita nostra trinitas corpus a se factum vivificat,

[20]) Honor. August., Clavis phys. 93; Lucentini 67,15–21
[21]) Honor. August., Clavis phys. 94–95; Lucentini 68,18–69,15
[22]) Honor. August., Clavis phys. 102–104; Lucentini 74,24–75,10
[23]) cf. infra, prop. 197 G

132 Theodorus: *in marg. adn. O* 136 ostendit: ostenditur *V* 140 qua *coni.*: quae *codd.* 143 vitali *add.* et *O* 147 quod: quo *V* | creaturae *om. V* 150 illud: id *V* 155 G: 8 *O* 158 est *suppl.*: *om. codd.* 162 staturae: statuere *V*

movet et continet. Et ne putes animae creationem temporali spatio conditionem corporis praecedere: Sola quidem dignitate exellentiaeque natura praecedit anima corpus, non autem loco vel tempore. Simul enim ac semel in illo uno, homine, qui ad imaginem Dei factus est omnium hominum rationes secundum corpus et animam creatae sunt et nullo modo iuxta moras temporum praecessit essentia animae corporis essentiam[24]). Primum illud essentiale corpus in paradiso est conditum; sola tamen ratione et anima in ipso generali et universali homine ad imaginem Dei facto creata est, in quo omnes homines secundum corpus et animam simul et semel in sola possibilitate conditi sunt et in ipso omnes peccaverunt[25]), priusquam in proprias substantias prodirent, id est antequam quisquam in discreta differentia in anima rationali et spirituali corpore appareret, quod corpus incorruptibili animae aeternaliter adhaereret, si non peccaret; et in hoc omnes homines resurrecturi sunt. Hoc corpus a Deo ad caelestem beatitudinem substantialiter conditum est, vera autem substantia cuiusque est in primordialibus causis praecognita ratio, qua Deus omnia definivit et non altera. Non autem video, quomodo homo beatitudinem perderet, si eam re ipsa plene perfecteque gustaret: prius enim, ut arbitror, ad se ipsum quam ad Deum est conversus et ideo lapsus. Hoc vero corpus corruptibile ac materiale, quod ex limo terrae[26]) adsumptum est post peccatum merito peccati ad exercitandam in eo negligentem animam erga mandatorum custodiam veluti quadam operatione animae creatum fuisse et cotidie creari affirmatur. Quod autem Scriptura[27]) dicit lutum de terra sumpsisse et homini corpus formasse, ideo dicit, quia omnis actio creaturae ad eum, ex quo omnis actio creaturae incipit, non immerito refertur, cum ipse sit causa omnium. Homo quippe de beatitudine paradisi ob culpam expulsus mortale sibi habitaculum de luto fecit".

Et infra[28]) ex persona Discipuli: "Cum incorruptibile perire non possit, ubi est nunc corpus incorruptibile, quod animae adhaereret, si non peccaret? Magister: In secretis naturae sinibus adhuc latet; in futuro autem saeculo apparebit, quando mortale hoc in illud mutabitur et corruptibile hoc induet incorruptionem[29]). Audi Apostolum[30]): "Seminatur corpus animale, surget spirituale"; hoc de omni humano corpore dictum est. In omnibus enim aeternae immortalitatis, non autem beatitudinis, aequalis erit gloria, tota siquidem natura reparabitur".

[24]) cf. Greg. Nyss., De hom. opif. 28–29; PG 44, 229B–240B; Cappuyns 252,33–256,36
[25]) cf. Rom. 5,12
[26]) cf. Gen. 2,7
[27]) Gen. 2,7
[28]) Honor. August., Clavis phys. 105; Lucentini 76,2–9
[29]) cf. I Cor. 15,53
[30]) I Cor. 15,44

176 et ... animae *om. V* 181 prius ... (182) ipsum: *om. sed suppl. in marg. sup. m. post. V*
191 adhaereret: adhaeret *O*

Et bene infra[31]) loquens de incorruptibili corpore sic dicit: "Illud corpus, quod in constitutione hominis primitus factum est, spirituale et immortale crediderim esse ac tale, ut ipsum, quale post resurrectionem habituri sumus. Non enim facile concesserim corruptibile corpus fuisse et materiale, priusquam causa corruptionis et materialitatis, hoc est peccatum, fieret".

Et infra[32]) allegans Gregorium[33]) theologum Nazanzenum subiungit: "Ipse siquidem incunctanter asserit totum, quod in prima conditione hominis ad imaginem Dei factum est, secundum rationem animae et corporis semper incorruptibile manere, indubitanter quoque affirmat, nec animas ante corpora fuisse creatas nec corpora ante animas, sed simul et semel totum factum in condivino consilio, quo dictum est: 'faciamus hominem'[34]) ac simul in hunc mundum in ordine temporum nasci. Nunc etiam post peccatum corpus illud spirituale et naturale animo semper adhaerens ac sibi concretum ab eo, quod merito transgressionis adiectum est discretum ... Igitur quodcumque in humanis corporibus immutabile intelligitur, primae conditionis proprium est. Quidquid in eis commutabile ac varium percipitur, illud est superadiectum extraque naturam substitutum; universaliter autem in omnibus corporibus humanis una eademque forma communis omnium intelligitur et semper in omnibus incommutabiliter constat".

Et infra[35]): "Ipsa igitur forma sphaeralis spirituale corpus est in prima conditione hominis factum. Quod autem ex materia, hoc est ex qualitatibus et quantitatibus quattuor elementorum mundi sensibilis, cum ipsa forma qualitativa est ad corpus superadiectum pertinere, dubium non est. Quod corpus materiale et exterius veluti quoddam vestimentum interioris et naturalis non incongrue intelligitur".

Et infra[36]): "Est enim exterius corpus signaculum interioris, in quo animae forma exprimitur ac per hoc forma eius rationabiliter appellatur".

Et bene infra[37]): "Moles itaque terrena, mortalis, fluxibilis, quae ex diversis qualitatibus sensibilium elementorum et adsumpta et composita est sub forma hac, quae sensibus corporeis succumbit, sicut superius tractavimus, quoniam merito peccati naturali corpori substantialique superaddita est, solvetur et in melius commutabitur in spiritum stabilemque substantiam, quae nescit mori vel fluere resur-

31) Honor. August., Clavis phys. 272; Lucentini 219,2–220,6
32) Honor. August., Clavis phys. 272; Lucentini 220,11–29
33) Greg. Nyss., De hom. opif. 28–29; PG 44, 229B–240B; Cappuyns 252,33–256,36; 27; PG 44, 225D–228A; Cappuyns 251,12–16
34) cf. Gen. 1,26
35) Honor. August., Clavis phys. 273; Lucentini 221,2–7
36) Honor. August., Clavis phys. 273; Lucentini 221,29–31; ex Greg. Nyss., De hom. opif. 27; PG 44, 228B; Cappuyns 251,22–23
37) Honor. August., Clavis phys. 326–328; Arfé 66,152–67,185

202 Nazanzenum *verius* Nyssenum 208 animo: animae *O* 209 sibi: si *V* 213 eademque: eadem *O* 222 eius *om. V*

rectionis tempore reversura. Sanissima namque et catholica fide credimus divinorum virorum theologi, videlicet Gregorii et Maximi, de talibus inconcussas rationes reddentium dogmate imbuti, quod Conditor humanae naturae totam simul eam creavit nec animum ante corpus nec corpus ante animam condidit. Ideoque non irrationabiliter tenemus in ipsa prima conditione animam simul et corpus absque ulla corruptibilitatis et mortis capacitate substitisse. Non enim rectae rationi convenit putari Conditorem naturae simul factae partem eius immortalem et incorruptibilem, animam dico, partem mortalem et corruptibilem, corpus videlicet, creasse, ideoque totam naturam hominis animam et corpus immortalem et incorruptibilem creatam fuisse, non incongrue, ut arbitror, existimamus: Nam et angelos tales creatos fuisse sapientes tradunt. Eos siquidem spiritus incorporeos et spiritualia corpora omni corruptione carentia constitutos esse non dubitant, hominibus vero et praevaricantibus angelis poena peccati terrena et corruptibilia corpora aereaque superaddita esse, terrena quidem hominibus, aerea vero angelis. Sed quod nobis superadditum est, quoniam ex redemptore nostro adsumptum est, qui exinanivit formam servi accipiens[38]), movebitur in spiritum et in ipsam substantiam primitus a Deo creatam, quando absorbebitur mors in victoriam et totus homo, exterior videlicet et interior, sensibilis et intelligibilis, in unum adunabitur".

Haec Theodorus.

Ex praemissis sic diffuse adductis patet expressius, quod corpus, quo primitus anima partialis utitur, secundum eum et per ipsum allegatos est perpetuum habens essentiam ingenerabilem et incorruptibilem.

In istam sententiam concordat Origenes[39]) in *Periarchon* libro II cap. 2 per totum et 3.

Haec sine praeiudicio sint adducta ad hoc solum, ut clarescat, quid circa praesentem intentionem doctores ecclesiastici senserint.

Et sic apparet intentio elementi.

[38]) cf. Phil. 2,7

[39]) Orig., Peri Archon II 2 et 3 2–3; Crouzel–Simonetti 246,1–248,47 et 250,29–258,142

231 ante[2] *om. sed suppl. m. post. O* 239 omni *om. V*

COMMENTUM

Si enim omnis anima secundum substantiam est perpetua et ipso esse primitus animat aliquod corporum, semper autem animat; esse enim omnis animae intransmutabile. Si autem hoc, quod animatur, semper animatur, et semper participat vita. Semper autem vivens multo prius semper est, semper autem ens perpetuum. Quod ergo primitus animatum corpus et primitus extraiunctum unicuique est animae, perpetuum est. At vero omnis participabilis anima a corpore aliquo participatur primitus, siquidem participabilis est et non imparticipabilis, et ipso esse animat participans. Omnis ergo anima participata corpore utitur primo et perpetuo et ingenerabili et incorruptibili.

Probatio elementi talis est.

Omne ens perpetuum seu aeternale secundum substantiam, cuius proprium est per esse suum aliquod corporum primitus animare, utitur primitus corpore perpetuo et habente hypostasim ingenerabilem et incorruptibilem; cum enim animet per esse suum et esse omnis entis aeternalis secundum substantiam sit intransmutabile et invariabile, igitur si animat, necessario intransmutabiliter animabit, et sic utitur primitus corpore sibi semper adhaerente seu extraiuncto, quod ex hoc ex necessitate est perpetuum et subsistentiae ingenerabilis et incorruptibilis. Sed omnis anima participabilis est perpetua secundum substantiam seu aeternalis per 191[40]); cuius proprium est ipso esse suo aliquod corporum primitus animare, cum participetur inseparabiliter quoad esse, sed separabiliter in eo, quod intellectualis et conversiva ad se ipsam, per 81[41]) et 186[42]); ergo omnis anima participabilis etc.

Istius rationis minor deducitur in littera et patet.

Semper autem. Hic deducitur ratio ulterius sic: Omne animans per esse, cuius esse est intransmutabile, semper animat et per consequens illud, quod animatur, semper animatur et semper participat vita; sed semper vivens multo prius semper est, multo prius semper ens, cum ens sit ante vitam per 101[43]) – omne autem "semper ens" est perpetuum per commentum 52[44]) et 84[45]); sed omnis anima participabilis est huiusmodi; ergo semper animat; sed si hoc, etc.; ergo corpus, quod est primitus animatum et primitus extraiunctum unicuique animae participabili,

40) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
41) pot. Procl., Elem. theol. 82; Dodds 76,22–23; Boese 43,1–2
42) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
43) Procl., Elem. theol. 101; Dodds 90,17–19; Boese 51,1–4
44) Procl., Elem. theol. 52 comm.; Dodds 50,15; Boese 28,9
45) Procl., Elem. theol. 84; Dodds 78,5; Boese 44,1

257 autem animat: *an* autoanimat *scrib. est?* 268 per esse: per se *V* | intransmutabile: intransmutabiliter *V* 280 multo … ens *om. O*

perpetuum est. Dicit autem *primitus* propter animam partialem, quae duplici corpore utitur; uno, scilicet primitus, quod semper animat, quod etiam est perpetuum et incorruptibilis subsistentiae, ut supra habitum est ex Theodoro[46]); alio, scilicet quod secundario et ad tempus animat, quod est temporale et corruptibile.

At vero. Hic ostendit, quod supponebatur in decursu probationis ipsius elementi, ut ipsum elementum inferat, sic arguens; omne participabile a corpore participatur primitus ab aliquo corpore, cum frustra sit potentia et maxime secundum speciem, quae non reducitur ad actum, et in perpetuis sit idem esse et posse[47]); sed omnis anima participabilis et animans ipso esse participans est participabilis a corpore; ergo omnis anima participata utitur primo sive primitus corpore et perpetuo et ingenerabili et incorruptibili.

46) cf. supra, prop. 196 F
47) cf. Arist., Phys. III 4, 203b30

PROPOSITIO 197
OMNIS ANIMA SUBSTANTIA EST VITALIS ET COGNITIVA, ET VITA SUBSTANTIALIS ET COGNITIVA, ET COGNITIO UT SUBSTANTIA ET VITA, ET SIMUL IN IPSA OMNIA, QUOD SUBSTANTIALE, QUOD VITALE, QUOD COGNITIVUM, ET OMNIA IN OMNIBUS ET SEORSUM UNUMQUODQUE

Habitum est supra animam participabilem esse substantiam, vitam et participantem intellectu; nunc auctor recolligit ista tria et ostendit, qualiter sint in invicem et seorsum, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam circa id, quod proponitur, quattuor ostendam secundum quattuor partes ipsius elementi.

Circa primam partem tria declarabo, quia primo ostendam principia omnis A animae participabilis in generali, secundo ostendam ea recolligi ad tria in speciali, tertio ex praemissis subiungam intentionem primae partis in omni anima intellectuali.

De primo sciendum, quod omnia, quae in primordialibus totaliorem et superiorem ordinem habentia, in effectibus secundum eas, quae ab ipsis illustrationes supposita aliqualiter fiunt partialiorum traditionibus; et quae quidem a superioribus illustrationes suscipiunt eos, qui a secundis processus, illae autem in his locantur; et ita praecedunt participationes aliae alias, et illustrationes aliae super alias desuper ad idem subiectum pertingunt, totalioribus praeoperantibus, partialioribus autem super illorum operationes sui ipsorum traditiones elargientibus participantibus, per 71[1]); sed intentio boni, virtutis et entis habet totaliorem et superiorem ordinem in primordialibus (puta prime bono, prime virtute et prime ente), totaliorem, inquam, et superiorem intentionem vitae, intellectus et animealitatis: ergo in effectu, qui ab omnibus istis primordialibus (scilicet prime anima et superioribus) procedit (puta anima), illustratio prime boni, quod est summum inter omnia primordialia, sicut simpliciter primum omnium principium, supponitur virtuti, entitati, vitalitati, intellectualitati et animealitati, quae sunt illustrationes primordialium causarum sub prima simpliciter. Et consequenter illustrationes prime boni et prime virtutis suscipiunt eos, qui a secundis, processus (puta entitatem, vitalitatem et sic de aliis) et deinceps illustrationes prime boni, prime virtutis et prime entis, suscipiunt illustrationes minus primordialium (puta prime vitae, prime intellectus et prime animae) et consequenter eodem modo totalioribus praeoperan-

[1]) Procl., Elem. theol. 71; Dodds 66,31–68,8; Boese 38,1–9

5 quod[2] *om. V* 7 participabilem: partibilem *V* 8 in *om. O* 9 etc. *om. O*
10 proponitur: opponitur *O* 31 secundis: secundario *O* 34 animae: anima *V*

tibus, partialioribus vero elargientibus suas traditiones ipsis participantibus super operationes ipsorum totaliorum, et per consequens omnia, quae in participantibus subiectorum (seu suscipientium) habent rationem, ex perfectioribus et totalioribus procedunt per 72[2]).

Cum ergo omne, quod a pluribus causis producitur, compositius sit eo, quod a paucioribus producitur, per 58[3]), sequitur, quod et omnis anima participabilis compositior sit omni intellectuali hypostasi et superioribus rebus, et quod includat in se intentiones omnium primordialium causarum, a prime bono usque ad prime animam inclusive, et quod sola intentio animealitatis insit sibi secundum existentiam, quae determinat omnes praecedentes.

Aliae vero intentiones insunt sibi secundum participationem per 65[4]), licet secundum ordinem, ita videlicet, ut anima existens huiusmodi per essentiam participet bonitate et unitate, quod idem est, a prime bono, virtute vero a prime virtute, et entitate a prime ente, et vitalitate a prime vita, intellectualitate a prime intellectu.

Anima ergo constat ex sex intentionibus sicut principiis formalibus, quae cum in eius constitutione non remaneant in ratione et natura principiorum formalium, sed distrahantur in ulteriores naturas, et per consequens ipsa anima determinatur a proprietate specifica in naturam individui habens partes, non tamen materiales, licet sint quodammodo toto posteriores.

Et hoc de primo.

B Quamvis autem omnis anima participabilis constet ex dictis sex intentionibus ut formalibus principiis et per consequens sit bona, potens, ens, vita, cognoscens participative ut suscipiens a qualibet primordiali causa suam propriam dationem, nihilominus tamen ista quinque participata ab anima rediguntur ad tria, scilicet ens, vitam et cognitionem, in quibus etiam duo prima subintelliguntur, sicut apparet per 103[5]), ubi agitur universaliter de omnibus formalibus intentionibus, quod sibi mutuo inexistant, licet proprie in unaquaeque. Ibi enim solum ponitur inexistendi expressio in ente, vita et intellectu, quia cum omni divina proprietate participantium et deificatorum primum et supremum sit ens per 188[6]), in ipso sufficienter exprimitur, quod secundum posthabitionem in ipso inexistit, scilicet bonum et virtus. Quod autem ista praecedant ens, habetur per 8[7]) et per 92[8]).

Et hoc de secundo.

[2]) Procl., Elem. theol. 72; Dodds 68,17–18; Boese 38,1–2
[3]) Procl., Elem. theol. 58; Dodds 56,17–18; Boese 32,1–2
[4]) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
[5]) Procl., Elem. theol. 103; Dodds 92,13–16; Boese 52,1–4
[6]) Procl., Elem. theol. 138; Dodds 122,7–8; Boese 69,1–2
[7]) Procl., Elem. theol. 8; Dodds 8,29–30; Boese 7,1–2
[8]) Procl., Elem. theol. 92; Dodds 82,23–26; Boese 47,1–4

63 expressio: impressio *O* 65 inexistit: existit *O*

Ex praemissis colligi potest, quod omnis anima est ens sive substantia. C

De ratione enim omnium analogorum est, quod de analogatis omnibus praedicantur, ita tamen, quod talia sint praedicata, qualia permiserint subiecta.

Igitur ens sive substantia de omnibus qualitercumque entibus seu subsistentibus, hoc est sive principaliformiter sive secundum existentiam sive secundum participationem exemplariter, praedicatur.

Quare cum anima participet ente, ipsa et est et dicitur substantia; sed hoc non simpliciter et sine determinatione, cum non solum participet ente, sed et vita et cognitione, quae per appositionem sui minorant et contrahunt ipsum ens ad standum non pro enter ente, sed pro ente vitali et cognitivo.

Omnis igitur anima est substantia vitalis et cognitiva.

Et hoc de prima parte.

Circa secundam partem tria faciam, quia primo ostendam omnem animam participabilem esse vitam in generali, secundo, quod talis vita condicionatur esse substantiali, tertio, quod non quocumque substantiali, sed contrahitur cognitivo et intellectuali.

De primo sciendum, quod omnis anima est vita et vivens per 188[9]), non tamen D est vita simpliciter et absolute, quia nec est prime nec per essentiam, sed quaedam vita utpote participans ea, quam etiam affert et communicat animatis.

Et hoc de primo.

Verum talis vita est substantialis, non insubstantialis, cum nec accidat animae, E sed inexistat sibi secundum modum substantiae suae et sic substantialiter, vel dicitur anima vita substantialis utpote vita, quae est contrahens superius, a quo denominari potest. Omne enim participans a participato denominationem recipit: Sicut participans vita dicitur vitale, ita participans substantia dicitur substantiale.

Et hoc de secundo.

Sane non solum vita animae denominatur a superiori, sed etiam determinatur F ab inferiori; non enim animae vita est substantialis tantum, qualis est vita eorum, quibus primo et per se competit, quorum essentia praehabet cognitionem secundum causam, nec sic substantialis tantum, qualis est vita ex partium cognitione, in quibus est "secundum ultimam resonantiam" secundum Dionysium[10]), hoc est cognitiva cum hoc, quod est substantialis.

Et dicit significanter 'cognitiva', non 'intellectualis', quia cognitio in plus se habet quam intelligentia; et ideo licet totalis anima cognitione sensitiva careat, tamen partialis omni modo cognitionis dotatur, ut inferius apparebit[11]).

Et hoc de secunda parte.

Circa tertiam partem tria faciam, quia primo dicam de animae partialis multiplici cognitione, secundo de ipsius cognitionis duplici determinatione, tertio ex hoc ostendam ipsius cognitionis animae participabilis secundum substantiam et vitam characterizatione.

9) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1

10) Dion., De div. nom. 6 1; PG 3, 856B; Suchla 191,5; Dionysiaca 371B; transl. Sarraceni: Simon 329,78

11) cf. infra, prop. 197 H

G De primo sciendum, quod secundum auctorem libro *De fato et providentia*[12]) cap. 8 distinguentibus modos cognitionum ipsius animae quinque occurrunt cognitiones, "quarum incipientibus purgari animabus attribuere primam Plato et Aristoteles consueverunt opinionem ipsam vocantes, his quidem, qui erudiuntur circa agibilia, absolutis iam ab humanis circa entia tractantibus".

Et infra[13]): "Hac autem tanta ente, alteram ad sursum tradiderunt nobis ex eodem gymnasio per ea, quae ex principiis quidem procedentem ut suppositionibus cognitionem et causas cognoscentem, omnia autem necessaria concludentem".

Et infra[14]): "Tertiam igitur superius ascendentes dic me dicere humanae animae cognitionem usque ad unum ascendentem et usque ad insuppositum per omnes, ut est dicere, species, has quidem dividentem, has autem resolventem, ex unoque multa facientem et ex multis unum".

De isto modo cognitionis sic dicit Boethius libro V *De consolatione*[15]) metro 4, quod incipit "Quondam porticus" etc.:

"Sed mens si propriis vigens
nihil motibus explicat,
sed tantum patiens iacet,
notis subdita corporum
cassasque in speculi vicem
rerum reddit imagines,
unde haec sic animis viget
cernens omnia notio?
Quae vis singula perspicit
aut quae cognita dividit?
Quae divisa recolligit
alternumque legens iter
nunc summis caput inserit,
nunc decidit in infima,
tum sese referens sibi
veris falsa redarguit, etc".

Sequitur, ubi supra[16]), aliquibus interpositis: "Quartam autem adhuc tibi et hac simpliciorem intelligendum nostram cognitionem, quam non adhuc methodis utentem et resolutionibus aut compositionibus aut divisionibus aut demonstratio-

12) Procl., De prov. 8,n.27; Boese 136,6–9
13) Procl., De prov. 8,n.28; Boese 136,1–4
14) Procl., De prov. 8,n.29; Boese 138,1–5
15) Boeth., Philos. cons. V m.4; Moreschini 151,10–25
16) Procl., De prov. 8,n.30–31; Boese 139,1–140,16

112 iam *suppl. cum B: om. codd.* 114 ut ... (115) cognitionem *suppl. cum B: om. codd.*
120 unoque *coni.*: unoquoque *codd.*

nibus, sed epibolis – id est adiectionibus – simplicibus et velut antopticis – id est per se visivis – entia speculantem collaudant, qui secundum ipsam operari possunt intellectum iam et non scientiam ipsam venerantur dicentes. Aut non audivisti Aristotelem[17]) quidem in demonstrativis libris (scilicet *Posteriorum*) sic aliqualiter dicentem, quod melior est omni scientia intellectus in nobis, et quis enim iste sit, determinantem: quo terminos, inquit, cognoscimus; Platonem autem in *Timaeo*[18]) intellectum et scientiam circa entia cognitiones esse animae pronuntiantem? Etenim videtur scientia quidem esse animae, secundum quod est anima cognitio; intellectus autem, secundum quod anima est imago eius, qui ut vere intellectus. Etenim ille videns intellectualia, magis autem ens, una, inquit, epibole – id est iniectione vel intuitu – et adtactu intellectorum se ipsum intelligentem et illa in se ipso entia conspicit, propter quod et intelligit, qui est, et quod intelligens est, simul intelligit, cognoscens et se ipsum, quis est. Hunc igitur imitans secundum quod potest anima fit et ipsa intellectus, scientiam supracurrens et relinquens multas methodos, in quibus prius decorabatur, et oculum solum erigens ad entia, contingentia quidem et ipsa intelligens sicut et intellectus, contingens autem, alias alia, quae omnia ille simul: hanc enim fatalem connexuit, ait, omnium pater. Quintam etiam post has omnes cognitionis intelligentiam volo te accipere, qui credidisti Aristoteli quidem usque ad intellectualem operationem sursumducenti, ultra hanc autem nihil insinuanti; assequentem autem Platoni et ante Platonem theologis, qui consueverunt nobis laudare cognitionem supra intellectum et maniam, ut vere hanc divinam divulgant: ipsam aiunt unum animae, non adhuc intellectuale excitantem et hoc coaptantem uni. Omnia enim simili cognoscuntur: sensibile sensu, scibile scientia, intelligibile intellectu, unum uniali. Intelligens quidem etiam anima et se ipsam cognoscit et quaecumque intelligit contingentia, sicut diximus; similiter intelligens autem et se ipsam et illa ignorat, quo adiacens le unum quietem amat, clausa cognitionibus, muta facta et silens intrinseco silentio. Etenim quomodo utique adiaciet indicibilissimo omnium aliter quam soporans, quae in ipsa garrulamina? Fiat igitur unum, ut videat le unum, magis autem, ut non videat le unum: videns enim intellectuale videbit et non supra intellectum, et quoddam unum intelliget et non le antounum".

Haec auctor.

De hac quinta uniali cognitione animae sic dicit Dionysius 7 cap. *De divinis nominibus*[19]): "Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit; unitionem autem excedentem mentis naturam (alia translatio[20]): unitatemque superexaltatam), per quam coniungi-

17) Arist., Anal. post. I 3, 72b24
18) Plat., Tim. 37c2–5; Wasinzk 29,17–18
19) Dion., De div. nom. 7 1; PG 3, 865C–D; Suchla 194,10–13; Dionysiaca 385A–D; transl. Sarraceni: Simon 337,71–73
20) transl. Eriugenae: Dionysiaca 385C

144 venerantur *scr. cum B*: *ill. O* venerenitur *V* veneranter *Procl.* 147 determinantem *scr. cum B*: determinante *codd.* 153 ipso: ipsa *O* 156 solum *suppl. cum B*: *om. codd.*

tur ad ea, quae sunt supra ipsam. Secundum hanc igitur oportet divina intelligere". Ista est cognitio, in qua contemplativa anima "ad caliginem ignorantiae intrat", sicut ipse Dionysius dicit I cap. *Mysticae theologiae*[21]), "quae caligo vere est mystica: in qua claudit omnes cognitivas" cognitiones "et in non palpabili omnino et invisibili fit omnis existens eius, qui est super omnia, et nullius, neque sui ipsius neque alterius; omnino autem" ignota notione "omnis cognitionis secundum melius unitus et" in "eo, quod nihil cognoscit, super mentem cognoscens".

Habemus igitur quinque cognitiones animae humanae, scilicet opinionem, scientiam, sapientiam, intellectum seu intelligentiam et unialem.

Et hoc de primo.

H Verum, sicut prosequitur auctor 2 quaest. *De providentia*[22]), "dicamus, quod cognitionem – et omnem dico cognitionem necessarium semper mediam entem cognoscibilisque alicuius et cognitivi, huius quidem a quo, illius autem circa quod, et copulantem ambo – duorum alterum: aut cum cognoscente alterari et esse talem, quale cognoscens, aut cognito similem esse; aut horum neutrum, nihil autem magis altero quam reliquo convenire. Sed siquidem erat in cognoscibili hypostasim habens, secundum cognoscibile ipsam oportebat solummodo determinari; si autem in ambobus aut extra ambo, nihil magis esse alterius extremorum. Quoniam autem in cognoscente ens ad cognoscibile applicatur, palam utique, quod huius quidem perfectio existens, hoc autem appetens, secundum cognoscentis utique naturam merito determinabitur, tantum habens cognoscibilis solum, quantum ipsam perfecte utique distinguet ab aliis cognitionibus; oportet enim cognoscibile habere aliquid et cognoscibilis, finis existentis. Hoc autem ostenso, dico utique, quod cognitio in cognoscente subsistens ab existentia characterizatur secundum id, quod sui ipsius esse cognoscentis, manifestum iam et quod intransmutabilium quidem secundum omnia et cognitiones tales, transmutabilium autem contrariae; et quorum quidem irrationalis substantia et cognitio, irrationalis; quorum autem ratio et intellectus, et cognitio ratio quaedam et intellectus; quorum autem melior existentia, melior et cognitio".

Haec auctor.

Ex quibus evidenter apparet, quod omnis cognitio cuiuscumque cognitivi determinatur per esse et modum essendi cognitivi, sed distinguitur ab aliis cognitionibus, per obiectum scilicet ipsum cognoscibile.

Et hoc de secundo.

21) Dion., De myst. theol. 1 3; PG 3, 1001A; Ritter 144,10–15; Dionysiaca 577B–578B; transl. Sarraceni: Simon 461,84–87

22) Procl., De X dub. 2,n.7; Boese 12,2–22

191 cognoscente: cognoscenti *O* 193 siquidem: quidem *V* 198 merito *suppl.: om. codd.* 199 ipsam *scr. cum B*: ipsum *codd.* | cognitionibus *suppl.: om. codd.* | enim: esse *V* 204 et^2 *om. V* 208 apparet ... (209) cognitivi: *om. sed in marg. sup. suppl. m. post. V*

Ex praemissis igitur colligitur, quod, cum cognitio animae determinetur secun- I
dum existentiam ipsius animae, quae est substantialis et vitalis, immo substantia et vita, necessarium est, quod et cognitio sit sicut substantia et vita, hoc est determinetur secundum modum essendi substantiae et vitae ipsius animae, et hoc sive totalis sive partialis.

Verum cum modus essendi substantiae et vitae animae partialis diversetur secundum statum ipsius in generatione et in ente, ut inferius apparebit[23]), necessarium est etiam cognitionum species diversari.

In statu enim generationis potest enumeratas quinque cognitionum species exercere, prout minus vel plus se ab his corporalibus separaverit; in statu autem entis, ubi nullus rationis discursus est, ultimae duae cognitionis species ab anima exercentur.

Quod etiam videtur sentiendum de totali anima, quae semper est in ente.

Et hoc de tertia parte.

Circa quartam partem tria faciam, quia primo dicam, qualiter ista tria (substantiale, vitale et cognitivum) sint simul in omni anima, sive totali sive partiali, secundo, qualiter sint in se ipsis mutuo in speciali, et tertio, qualiter unumquodque sit seorsum ab alio in essentia animeali.

De primo notandum, quod, quia anima est media impartibilium et specierum K
circa corpora partitarum per 190[24]), necessarium est ista tria (scilicet substantiale, vitale et cognitivum) medio modo se habere ad ipsam inter ista extrema.

In superiori enim extremo, sicut in entibus secundum speciem et sic simplicibus et impartibilibus, ista tria sunt in quolibet, et hoc vel secundum causam principaliformiter, sicut in diis, in quibus omnia sunt unialiter et supersubstantialiter per 118[25]), et specialissime in prime Deo, de quo sic dicit Dionysius 4 cap. *De divinis nominibus*[26]), quod "in ipso solo, non existens", est "substantiae excessus; et non vivens, excedens vita; et sine mente existens, excellens sapientia; et quaecumque in bono non formatorum sunt excedentes formationes". Eodem modo proportionaliter est in diis; omnis enim deus est supersubstantialis, supervitalis et superintellectus per 115[27]); consimiliter, licet longe inferiori modo, ista tria sunt in virtutibus virtualiter, in entibus substantialiter secundum existentiam, sed supervitaliter et superintellectualiter in vitis, substantialiter secundum participationem, vitaliter secundum existentiam, sed intellectualiter secundum causam; in intellectibus cognitivum essentialiter, sed prima duo secundum participationem. Et sic omnia ista tria sunt in omnibus: in impartibilibus impartibiliter, et hoc vel principaliformiter, scilicet secundum causam vel secundum existentiam vel secundum participationem, ut dictum est.

[23]) cf. infra, prop. 202 et 207
[24]) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
[25]) Procl., Elem. theol. 118; Dodds 104,5–7; Boese 59,1–4
[26]) Dion., De div. nom. 4 3; PG 3, 697A; Suchla 147,7–9; Dionysiaca 158A–D; transl. Sarraceni: Simon 142,64–66
[27]) Procl., Elem. theol. 115; Dodds 100,28; Boese 57,1–2

244 in *om.* *V* 246 sunt ... omnibus: in omnibus sunt *V*

In extremo vero inferiori sunt omnia ista partibiliter. Alicubi enim substantiale est sine vitali et cognitivo, alicubi autem est substantiale cum vitali, sed sine cognitivo, alicubi vero sunt simul, sed partibiliter, ubi non sunt idem esse, vivere et cognoscere, cum superius absolvatur vel absolvi possit ab inferiori, licet non e converso. In anima vero, sicuti media inter ista extrema, ista tria simul sunt, sed nec impartibiliter, ut in superioribus, nec partibiliter, ut in inferioribus, sed medio modo. Non enim est ens secundum speciem, sicut superiora, nec habens partes materiales post totum, sicut inferiora, sed habet partes essentiales formales contractas ad proprietatem individui, licet non sint simpliciter distractae a proprietate et natura principiorum; et ideo tota anima est substantialis, tota vitalis, tota cognitiva secundum suam proprietatem.

Et hoc de primo.

L Verum quia ista tria sunt in anima incorporaliter et immaterialiter, et sic nec situaliter nec distanter, sed spirituaIiter – quidquid enim est in anima, cum sit incorporea et immaterialis, est ibi necessario secundum modum animae –, et per consequens penetrant se mutuo ita, ut quodlibet sit in quolibet et omnia in singulis et singula in omnibus, sicut et prius de speciebus intellectualibus est deductum in 176[28]).

Et hoc de secundo.

M Et licet omnia ista tria sic mutuo se penetrant, tamen propter eorum ad invicem immiscibilitatem et inconfusibilitatem et incorruptibilitatem et intransmutabilitatem quodlibet est seorsum ab alio inconfusibiliter proprietatem et rationem propriam conservando; et sic sunt discretae unitionis et unitae discretionis.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

[28]) cf. supra, prop. 176 F; Jeck–Tautz–Bray 166,299–167,319

257 natura *add.* propri *V* et inconfusibilitatem *O* 269 inconfusibilitatem ... incorruptibilitatem: incorruptibilitatem 270 inconfusibiliter ... (271) propriam *om. sed suppl. m. post. V*

COMMENTUM

Si enim media est impartibilium et specierum circa corpus partitarum, neque sic impartibiliter est ut intellectualia omnia, neque sic partibilis ut corporalia. In corporibus igitur divisis substantiis et animalibus cognitionibus, impartibiliter sunt in animabus haec et unitive et incorporaliter, et simul omnia propter immaterialitatem et impartibilitatem. Et in intellectualibus secundum unionem entibus disgregata sunt in animabus et partita sunt; omnia ergo simul et seorsum. Si autem simul et in uno impartibili omnia, per invicem penetrant, et si seorsum, divisa sunt rursum inconfusibiliter. Quare et in se ipso unumquodque et omnia in omnibus. Etenim in esse vita et cognitio. Si enim non, non cognoscit omnis se ipsam, siquidem essentia, vita et cognitione privata est per se ipsam. Et in vita essentia et cognitio: quae enim sine essentia vita et quae sine cognitione materialibus vitis convenit, quae neque cognoscere se ipsas possunt neque essentiae sunt sincerae. Et cognitio, quae sine essentia, et sine vita sine hypostasi. Omnis enim cognitio et viventis est et substantiam secundum se habentis.

Probatio elementi quoad quartam partem ipsius talis est. In omni medio impartibilium et specierum circa corpus partitarum sunt simul omnia, quod substantiale, quod vitale, quod cognitivum, et omnia in omnibus et seorsum unumquodque; sed omnis anima participabilis est huiusmodi per 190[29]); ergo in ipsa sunt simul etc.

Minor deducitur in littera sic, quia, si anima est media etc., tunc neque est ista tria omnia sic impartibiliter, ut scilicet remaneant in ratione et natura principiorum, sicut intellectualia, scilicet intellectuales hypostases, quae sunt entia secundum speciem et sic simpliciter impartibilia, et per consequens sunt substantiales, vitales et cognitivae, absque hoc, quod unumquodque istorum sit in eis seorsum; neque ipsa anima est sic partibilis ut corporalia, ut ista tria sint in ea divisa: ergo substantiis et animalibus cognitionibus, quae includunt vitam divisis in speciebus corporalibus (vel, ut habet alius textus: in corporibus), haec tria (scilicet substantiale, vitale et cognitivum) sunt impartibiliter in earum specierum, scilicet respective et unitive et incorporaliter: et sic indivise. Et nihilominus ista tria sunt disgregata in animabus et quodammodo partita respectu eorum in intellectualibus, et hoc ipsis tribus existentibus in ipsis intellectualibus secundum totalem unionem. Omnia ergo ista tria sunt simul et seorsum unumquodque.

Deinde ibi: *Si autem simul.* Probantur primae tres partes elementi simul in generali tali ratione: Ubicumque ista tria (scilicet substantiale, vitale et cognitivum) sunt simul in uno impartibili et penetrant se per invicem ita, quod unumquodque est in se ipso seorsum ab aliis duobus et omnia sunt in omnibus et singula sunt in singulis inconfusibiliter, ibi substantia est vitalis et cognitiva, et vita substantialis et cognitiva, et cognitio ut substantia et vita; sed omnis anima imparticipabilis et impartibilis habet ista tria simul, ut iam ostensum est[30]); ergo etc.

[29]) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
[30]) cf. supra, prop. 197 A sqq.

275 corporibus *an* corporalibus *scrib. est?* 277 in *om. V* 278 et *om. O* 281 ipsam *coni.*: ipsum *codd.* 298 scilicet *om. V* | respective: respectu *O* 300 in[1] *om. O* | animabus: animalibus *O* 309 simul *add.* etc. *O*

Etenim. Hic probantur tres partes elementi in speciali.

Prima sic: Ubicumque vita et cognitio sunt in esse, ibi substantia est vitalis et cognitiva; sed in omni anima participabili vita et cognitio sunt in esse, quia, si non, tunc non omnis anima cognoscit se ipsam, si pro certo essentia animae est per se ipsam privata vita et cognitione; cum igitur hoc sit impossibile in antozoes et conversivo ad se ipsum, ergo omnis anima est substantia vitalis et cognitiva.

Et in vita. Hic probatur secunda pars sic: Ubicumque essentia et cognitio est in vita, ibi vita est substantialis et cognitiva; sed in omni anima essentia et cognitio sunt in vita, quia vita, quae est sine essentia seu substantia (id est non subsistens) et quae est sine cognitione, convenit solum materialibus vitis (scilicet vegetalibus), quae neque possunt se ipsas cognoscere neque sunt purae essentiae, cum sint insubstantiales; ergo omnis anima est vita substantialis et cognitiva.

Et cognitio. Hic probatur tertia pars sic: Omnis cognitio, quae est viventis et substantiam secundum se habentis, est ut substantia et vita – cognitio enim, quae est sine essentia et sine vita, est sine hypostasi sive subsistentia in rerum natura –; sed cognitio animae est viventis etc., cum anima sit vita et vivens per 188[31]), et substantiam secundum se habentis, cum sit substantia incorporea et separabilis a corpore per 186[32]); ergo cognitio ut substantia et vita.

[31]) Procl., Elem. theol. 188; Dodds 164,1; Boese 91,1
[32]) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2

PROPOSITIO 198
OMNE, QUOD TEMPORE PARTICIPAT, SEMPER AUTEM MOVETUR, PERIODIS MENSURATUR

Ostenso in praecedentibus, quomodo se habeat anima participabilis et in participando et in causando et in animando, et quia non solum est perfectio corporis, sed etiam motor, ideo auctor volens ostendere, quomodo se habeat anima in movendo, praemittit unam proprietatem motorum circulariter per naturam dicens: OMNE etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam temporis distinctionem, secundo participantium tempore constante ex divisibilibus condicionem, tertio participantium tempore et semper motorum diversificationem.

De primo sciendum, quod, sicut habitum est super 55[1]), duplex est tempus: A
quoddam, quod secundum Aristotelem[2]) est numerus motus secundum prius et posterius; aliud est tempus constans ex indivisibilibus, ut dicatur tempus, quod est numerus alicuius transmutationis substantiarum spiritualium secundum prius et posterius[3]), ad similitudinem temporis continui, quod est numerus motus constans vero ex indivisibilibus, quia quaelibet dispositionum seu formarum, secundum quas fit transmutatio, simplex est et indivisibilis in sua essentia et tota simul, ut ibidem ostensum est; de quo tempore ad praesens non est sermo, sed de continuo, quod est numerus motus.

Et per consequens licet omne, quod movetur, in tempore moveatur per 17 primae partis *Elementationis physicae*[4]), tamen significanter motum localiter, quod transpositum de ubi in ubi, progreditur secundum numerum ipsius motus, qui numerus est tempus; et ex hoc omne, quod qualitercumque movetur, tempore participat, sive sit corporale sive animeale vel qualecumque aliud in rerum natura.

Et hoc de primo.

Omne autem, quod tempore participat, subsistit secundum tempus; sed omne, B
quod subsistit secundum tempus, aut eo, quod semper tempore est, aut aliquando in parte temporis hypostasim habens, per 55[5]); illud vero, quod semper est in tempore, semper fit; quod autem semper fit, est medium inter semper ens et aliquando fiens.

[1]) cf. supra, prop. 55 A–C; Sannino 136,10–139,106
[2]) Arist., Phys. IV 11, 219a15–29
[3]) cf. Procl., Elem. phys. II def.13; Boese 48,3
[4]) Procl., Elem. phys. I 17; Boese 38,30
[5]) Procl., Elem. theol. 55; Dodds 52,15–16; Boese 30,1–2

9 declarabo: ostendam *O* 25 movetur *add.* in *V* 31 semper[1]: per se *V*

Ex quo corrollario concluditur duplicem esse perpetuitatem, aeternalem et temporalem, quarum secunda est eorum, quae tempori coaequantur, hoc est, quae toto tempore mensurantur; sub quibus sunt ea, quae participant tempore, hoc est, quae parte temporis mensurantur.

Et hoc de secundo.

C Verum participantium tempore – ut ad praesens aliae motus specie excludantur et de localiter motis simplicibus tantum agatur – quaedam moventur aliquando et aliquando non, sicut elementa, quae sunt recti motus et extra suum proprium, ubi existentia moventur, quod adipiscentia naturaliter conquiescunt, sive sint levia et gravia simpliciter vel respectu; quaedam autem moventur semper, et hoc sive subiectum talis motus sit semper idem numero ut in motis circulariter secundum naturam – "circulariter" enim "mota natura nec ponderositate nec levitate participant, methethei", per 3 secundae partis *Elementationis physicae*[6]), et ideo semper moventur, quia "circulari motui nihil est contrarium"; per 4 eiusdem[7]) – sive subiectum motus non sit idem numero.

Videmus enim, et communiter conceditur, haec generabilia secundum naturam semper manere, licet non eodem numero; alias enim essent incorruptibilia et sic ingenerabilia, cum generatio sit perpetua, licet perpetuitate aeternali, secundum naturam semper renovans eadem specie.

Causa autem huius perpetuitatis est ex materia, fine et efficiente.

Ex parte materiae quidem propter infinitatem appetitus eius, qui non terminatur nec satiatur per unam formam quantumcumque perfectam, sed stans sub una forma, semper est in potentia ad aliam, quae potentia esset frustra, si non reduceretur ad actum; et sic semper generatio unius est corruptio alterius et e converso[8]); et sicut appetitus materiae non quiescit, sic haec alternatio stabilitate perpetua perseverat.

Ex parte finis causa est esse divinum, quod omnia appetunt et illius causa agunt, quidquid agunt, licet unumquodque consequatur hunc finem pro sua possibilitate; unde cum corruptibilia eadem numero non possint in se hoc esse consequi, ipsum in simili sibi in specie consequuntur, quod non posset esse nisi ex generationis perpetuitate.

Ex parte etiam duplicis efficientis, moventis immoti et moventis moti, causa est, quia largitas primi moventis non sinit ipsum intercipere suam influentiam, nisi recipientis indispositio obsistat, et ideo cum mobile suum situs et influentiae diversitate semper diversimode disponat diversas materiae partes, necesse est, ut ipse motor semper se communicet secundum omnem modum, quo participari potest, et ex hoc perpetuatur generatio; omne enim perfectum in generationes procedit, ut potest, imitans in hoc unum omnium principium per 25[9]).

6) Procl., Elem. phys. II 3; Boese 48,20–21
7) Procl., Elem. phys. II 4; Boese 48,28
8) cf. Arist., De cael. I 12, 282b1–283a4
9) Procl., Elem. theol. 25; Dodds 28,21–22; Boese 17,1–2

39 tantum *coni.*: tamen *codd.*

Ex parte etiam moventis moti causa est allatio et ablatio solis in obliquo circulo (scilicet principaliter generantis); sicut enim idem eodem modo se habens semper natum est facere idem, sic e converso idem diversimode se habens sua praesentia et absentia facit opposita. Non solum autem sol est causa perpetuitatis generationis, ut dictum est, sed etiam totum caelum motu suo. "Declaratum est enim", ut dicit Averroes[10]) circa finem II *De generatione et corruptione*, "quod motus localis est perpetuus et aeternus; quapropter et generatio continua erit et aeterna"[11]).

Et hoc sufficiat de supposito.

Circa propositum vero tria faciam, quia primo ponam periodi diversam acceptionem, secundo periodi hic intentae propriam considerationem, tertio ex praemissis subiungam propositi intentionem.

De primo sciendum, quod periodus pluribus modis dicitur, sicut tactum est aliqualiter super 91[12]). D

Uno modo periodus est harmonia in cantu, et dicitur a 'peri', quod est certum, et 'odos', quod est harmonia in cantu.

Alio modo periodus est consonantia mensurae cum mensurato, unde periodus est circularis mensura, quae imprimitur ex circulo caelesti rei causatae a circulo; et sic Aristoteles II *De generatione et corruptione*[13]) causam generationis et corruptionis vocat periodum, quo tempus omnis ei temporalis et vita omnium viventium in hoc inferiori mundo numeratur et mensuratur; et sic non solum tempus numerat motum, sed etiam motus numerat tempus decursum vitae temporalis mensurando vel esse. Et potest sic describi: Periodus est certa mensura durationis cuiuscumque rei generabilis, secundum quod dependet in esse a caelo; et talis periodus secundum diversitatem rerum generabilium diversatur. Alia est enim periodus hominis, alia elephantis, alia aquilae, et hoc quoad diversitatem generum et specierum. Item, in eadem specie alia est periodus unius hominis singularis, alia alterius secundum aliam et aliam influentiam tam in conceptione quam in nativitate.

Tertio modo dicitur periodus certa revolutio eiusdem rei mobilis circulariter secundum naturam cum restitutione ad idem ubi, a quo coepit. Ubi tamen sciendum, quod, licet in circulo seu sphaera non sit dare principium et finem secundum rem, tamen secundum imaginationem Aristotelis[14]), qua imaginatur caelum gigantem, cuius caput sit in polo antartico, pedes in artico, dextra in oriente, sinistra in

10) Averr., De gen. et corr. II comm. 55; Fobes–Kurland 146,6–8
11) Arist., De gen. et corr. II 10, 336a15–16
12) cf. supra, prop. 91 D; Zavattero 160,84–86
13) Arist., De gen. et corr. II 10, 336b13–15
14) Arist., De cael. II 2, 285b16–22; cf. etiam Averr., De cael. II comm. 15; Carmody–Arnzen 292,12–15; Thom., In De cael. II 3,n.12; Spiazzi 157–158

80 intentae *coni.*: intenti *codd.* 84 quod ... certum *om. sed suppl. m. post. V* 99 cum: omni *V*

occidente, et quia motus incipit a dextra, ubi etiam viget principaliter virtus motoris, ideo restitutio astri vel cuiuscumque partis caeli ab oriente iterato ad oriens, et etiam restitutio cuiuscumque stellae sive fixae sive erraticae ad idem punctum longitudinis et latitudinis dicitur periodus eius. Et sic alia est periodus stellarum fixarum, alia erraticarum et etiam erraticarum inter se; item, alia etiam est periodus totius sphaerae cuiuscumque planetae et alia excentrici, si est per se mobilis, alia epicycli in excentrico, alia stellae in epicyclo.

Quarto modo periodus est mensura restitutionis alicuius rei spiritualis secundum statum variabilis in causas suas primordiales, a quibus exorta est, et sic accipitur infra in commento 206[15]).

Et hoc de primo.

E De secundo considerandum, quod virtutum animealium quaedam sunt simplices nonnisi motrices, quaedam autem sunt compositae ex motore et moto; et harum quaedam sunt animeales, quaedam corporales, et omnes istae virtutes sunt compositae ex motoris et moti virtutibus praeter primam virtutem, quae non est nisi moventis primi, scilicet prime animae in ordine animarum totalium.

Hoc enim, sicut summitas intra dictum ordinem, unitissimam habet virtutem seu potentiam, et sic sub prime anima, quae etiam imparticipabilis est, principium universitatis est animealis, cuius virtus sicut unitissima est movens tantum; non enim habet aliquam virtutem in manerie animealitatis participatae ante se, quae moveat ipsam; et haec est virtus, quae formalis est et informat omnes alias. Praehabet enim, licet sub ordine principalis et primordialis animae, quae est imparticipabilis, ut dictum est[16]), omnia sui ipsorum per se motiva et ex se mota, et idem virtus eius est quasi fundamentum omnium aliarum, et influit omnibus aliis virtutem movendi, et per consequens movet primum mobile, et motus eius est uniformis, continuus et primus, qui etiam toti tempori coaequatur.

Et sic tale mobile revolvitur periodice ita, quod restituatur in parte temporis ab eisdem ad eadem, si proprie loquamur, sed ipsum per motum suum est mensura omnium aliorum motuum.

Sub prima autem anima participabili totali movent omnes aliae, sive totales sive partiales, sua mobilia, quorum motus, cum non commensuretur totalitati temporis, sed sit in parte temporis, necessarium est ipsa mobilia ad eadem periodice restitui ab eisdem (octavae videlicet sphaerae) in 360 milibus annorum secundum Platonem et Ptolemaeum[17]), vel in quattuor milibus annorum solarium circiter secundum Thebit ben Chorat[18]); Saturni in triginta annis circiter, Iovis in duodecim, et sic de aliis. Sicut autem primus motor in motu secundum locum movet se ipsum

15) Procl., Elem. theol. 206 comm.; Dodds 180,25–27; Boese 101,9–11
16) cf. supra, prop. 184 D
17) cf. Guil. de Alvernia, De universo I 2 16; Parisiis 1674, 707b
18) Tabit ibn Qurra, Liber De motu octavae sphaerae; Vallicrosa 13 sqq.; cf. etiam supra, prop. 55 C; Sannino 137,65–138,66

108 et *om. V* 118 primi *add.* virtus *O* 120 est *om. O* 135 360 *verius* 36 136 quattuor *add.* secundum veritatem 4971 *O*

intra id, quod movetur ab ipso, cum moveatur ex se et sic a principio intrinseco, ita omnes alii motores subordinati intra sua mobilia se movebunt, sive sint motores caelorum (sicut animae totales) sive terrestrium corporum (sicut partiales); hoc enim, quia habent virtutem intellectualem, separatae sunt, non actae ad motum, quem movent, sed potius agentes motus suos.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet, quod omne, quod tempore participat et sic infra tem- F
poris totalitatem concluditur et semper movetur, sive sit idem numero, sicut sunt caelestia corpora, sive diversum numero, idem autem specie, periodis mensuratur, cum nullum mobile sit, nisi aliquando restituatur ad eum statum sui, ubi unde ipsum secundum naturam ponimus incohasse, licet quaedam restituantur citius, quaedam tardius.

Unde quidam diligens motuum astrorum investigator et calculator, frater Arnoldus dictus Luscus[19]) ordinis Praedicatorum, in quodam tractatu suo, quem *De periodis motuum et mobilium caelestium* composuit, in fine sic concludit dicens: "Concludo igitur breviter, quod in annis 56000 minus 12 tam sol quam aequinoctium vernale in circulum suum revertuntur. Et si aliquod tempus quantum nobis est comprehensibile deberet assignari pro magno anno, quem Ptolemaeus, princeps astrologorum, posuit 36000 annos habere, tantus posset dici magnus annus. Dixi autem nobis comprehensibile: Constat enim, quod in magnitudine finita motum esse infinitum impossibile est; sed corpus caeleste et omnes sphaerae eius finitum est magnitudine; igitur motus euis in suo spatio non est infinitus. Item motus finiti non causant motum infinitum. Item in varietate finita non fit varietas infinita; sed varietas omnium motuum planetarum finita et determinata est; ergo et varietas totius motus caeli determinata et finita est. Totum enim finitum est propter partes finitas tam in numero quam magnitudine mobilium et motuum, quantumcumque magna sit in eis diversitas. Praeterea, quamvis non omne continuum sit commensurabile omni continuo, ut patet in diametro et costa – omnis enim numerus omni numero est commensurabilis et proportionabilis –, quamvis enim motus solis et lunae sint inaequales, sunt tamen commensurabiles et invenitur eorum proportio per coniunctiones medias. Similiter inveniuntur commensurationes motuum Saturni et Iovis per coniunctiones eorum in coniunctionibus eorum maximis, mediis et minimis, sicut videri potest de coniunctionibus eorum, quas inveni, tam medias quam veras, usque ad 7000 annorum, ut patet in tabulis, quas inde composui. De coniunctionibus singulorum duorum, trium vel omnium in uno signo non est difficile in diversis temporibus invenire. Ceterum quando et post quantum temporis inveniantur omnes simul in eodem puncto temporis revoluti, credo soli Deo et, cui id revelaverit aut cuius intellectui indiderit, esse notum. Nobis autem per calculationem seu numerationem comprehensibile esse non credo, et infra ponam unum exemplum, quo ostendam, quod completis annis solaribus, sci-

19) non inveni

140 ita: item *V* 154 concludo: concludit *O* 166 enim: tamen *O* 178 annis *om. O*

licet 56000, post quos aequinoctium et sol reversi sunt ad suum principium, alii planetae argumenta et caput draconis non invenientur in locis suis tempore dato, ut patet in hac tabula, servato, quod in uno puncto temporis dato omnes planetae simul fuerint in uno puncto loci, scilicet primo puncto Arietis".

Haec Arnoldus.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

Tabula fratris Arnoldi

	Anni	8a	6a	5a	2a	3a
Sol	56000	0	0	0	0	0
Luna	56000	3	13	6	0	
Argumentum Lunae	56000	7	17	49	13	
Caput	56000	5	7	47	55	
Saturnus	56000	11	5	37	8	
Iuppiter	56000	7	0	19	22	
Mars	56000	2	18	19	51	
Argumentum Veneris	56000	4	22	39	26	
Argumentum Martis	56000	2	13	58	20	
Sphaera	56000	9	16	19	26	

COMMENTUM

Quoniam quidem enim tempore participat, mensuram et terminum transumpsit motus, et secundum numerum progreditur. Quoniam autem movetur semper, et quod semper movetur, hoc non aeternale est, sed temporale. Sed temporale necesse est uti periodis; motus quidem enim transmutatio quaedam est ab alteris ad altera. Entia autem determinata sunt et multitudinibus et magnitudinibus; his autem determinatis neque secundum rectum in infinitum transitio est, neque quod semper movetur, infinitum transire possibile est. Ab eisdem ergo ad eadem iterum veniet, quod semper movetur; quare facit periodum.

Probatio elementi talis est.

Omne transumens mensuram et terminum motus, incessanter secundum numerum progrediens, periodis mensuratur. Ubi notandum, quid sit transsumens mensuram etc.; licet enim tempus, quod est mensura morae motus rerum mutabilium et numerus motus secundum prius et posterius iuxta proprietates suae substantiae, qua dicitur numerus, sit in quolibet motu sicut in subiecto, tamen, inquantum habet rationem mensurae propriae, est in ipso motu primi mobilis (scilicet antokineti) ab altero (scilicet supremi caeli), in aliis autem motibus aliorum

186 Anni ... 3a *post* l. 59 *V* 200 Quoniam *coni.*: quomodo *codd.* 208 sit: sic *O*

mobilium est minus proprie; et ex hoc dicuntur transumere mensuram et terminum motus (scilicet ipsum tempus) et progredi secundum numerum numeratum ratione prioris et posterioris in motu. Et sic apparet adsumpta. Sed omne, quod tempore participat, semper autem movetur, est transumens etc. – "tempus" enim "est numerus motionis caelestium corporum" per 13 diff. secundae partis *Elementationis physicae*[20]) –; ergo omne etc.

Minor declaratur in littera quoad omnem sui partem, quia pro certo ex quo participat tempore, quod proprie est in primo motu, inquantum habet rationem mensurae, necessario transumpsit mensuram motus (scilicet tempus), quod in eo est secundario ratione sui motus, et etiam transumpsit terminum motus, cum motus sit finitus, ut inferius apparebit[21]); et sic progreditur secundum numerum prioris et posterioris.

Ex quolibet istorum trium potest inferri conclusio principalis.

Ex primo sic: Omne temporale transumens tempus seu mensuram motus necesse est uti periodis, et sic mensuratur periodice; sed omne, quod participat tempore, semper autem movetur, est huiusmodi.

Ex secundo sic: Omne transumens terminum motus mensuratur periodice; sed omne, quod participat tempore, semper autem movetur, est huiusmodi, quia pro certo motus est quaedam transmutatio seu variatio a termino a quo ad terminum ad quem, hoc est ab alteris ad altera, et sic est finitus, cum intra terminos includatur; ergo omne, quod participat etc.

Deinde ibi: *Entia.* Probatur iterum ex tertio conclusio principalis. Omne finitum incessanter progrediens secundum numerum motionis finitae periodis mensuratur; sed omne, quod participat tempore, semper autem movetur, est huiusmodi, quia entia determinata sunt multitudinibus et magnitudinibus per 93[22]); sed his determinatis seu finitis nullius motus, neque recti, qui intercipitur quiete, transitio est in infinitum, neque quod semper movetur sine quietis interceptione, sicut circulariter motum, possibile est infinitae procedere sine reditu ad principium, unde coepit vel secundum rem vel secundum positionem; ergo, quod tempore participat, semper autem movetur, veniet iterum ad eadem ubi prius, quare faciet periodum, hoc est mensurabitur periodice.

Posset tamen et aliter exponi textus ab illo loco: *entia autem*, ut ostendatur hic omnem motum esse finitum actu, cum nec in una extremitatum suarum nec in ambabus extendatur in infinitum; quod licet probari posset ex perfectione et regularitate motus, ex quibus etiam unitas eius ostenditur et quantitas, scilicet ex tem-

[20]) Procl., Elem. phys. II def.13; Boese 48,3
[21]) cf. infra, prop. 198 prob.
[22]) Procl., Elem. theol. 93; Dodds 84,1–2; Boese 47,1–2

217 etc. *om. O* 218 13 *suppl.*: *om. codd.* 221 tempore *add.* mensuratur *sed exp. O*
227 ex: et *V* | transumens: consumens *V* 239 seu: et *V*

pore et ex mobili et ex spatio, quia neque motus potest esse in tempore infinito, quia "finitam magnitudinem nihil in infinito tempore pertransibit" per 13 primae partis *Elementationis physicae*[23]), nec e converso, quia "in finito tempore quantitatem infinitam non erit pertransire" per 12 eiusdem[24]), cum igitur tempus proportionatum sit magnitudini et magnitudo in partibus proportionata sit tempori, ut utrisque proportionetur motus, impossibile est motum esse infinitum ratione spatii et temporis finitorum, quia mutuo se numerarent, quod est impossibile. Licet inquam sic posset probari motus finitas, tamen, quia istae probationes sunt physicae, non congruebat eas in theologia adduci iuxta illud Boethii *De Trinitate*[25]): "In naturalibus rationaliter, in mathematicis disciplinaliter, in divinis intellectualiter versari oportebit, neque deduci ad imaginationes, sed potius ipsam inspicere formam".

Ideo probatur in littera finitas motus ex eo, quia est ens, sic: Omnia entia determinata sunt et multitudinibus et magnitudinibus et per consequens finita inquantum huiusmodi; sed motus est ens, cum sit actus existentis in potentia inquantum huiusmodi[26]); ergo est determinatus et sic finitus et ratione sui et ratione spatii. His autem determinatis seu finitis neque transitio secundum rectum est in infinitum, neque illud, quod semper movetur, possibile est infinite procedere.

Ab eisdem. Hic concluditur elementum sic: Omne veniens iterum ad eadem mensuratur periodis; sed omne, quod tempore participat, semper autem movetur, est huiusmodi; quare faciet periodum.

23) Procl., Elem. phys. I 13; Boese 36,28
24) Procl., Elem. phys. I 12; Boese 36,17
25) Boeth., De trin. 2; Moreschini 169,78–81
26) cf. Arist., Phys. III 1, 201a10–11

PROPOSITIO 199
OMNIS ANIMA MUNDANA PERIODIS UTITUR PROPRIAE VITAE ET RESTITUTIONIBUS

Habita proprietate circulariter motorum secundum naturam nunc auctor ostendit, quomodo se habeat omnis anima mundana in movendo, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum scilicet et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam mundi descriptionem, secundo descripti divisionem, tertio ex praemissis ostendam mundanae animae condicionem.

»De primo in principio, antequam mundus describatur, sciendum, quod est A duplex mundus, intelligibilis et sensibilis, secundum Platonem in *Timaeo*[1]) libro I: Sensibilis autem ad similitudinem intelligibilis factus est omnia continens per possibilitatem imitationis, quae intelligibilis habet per rationem exemplaris, secundum eundem.

Et hoc est, quod canit Boethius *De consolatione*[2]) libro III metro 9:

"… Tu cuncta superno
ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
mundum mente gerens similique imagine formans".

Huic alludit Avencebrol[3]) IV libro cap. 16 dicens, quod mundus sensibilis exemplum est intelligibilis; tamen habet se respectu intelligibilis sicut navicula respectu maris aut avicula respectu aeris, sicut idem[4]) dicit libro III cap. 57.

1) Plat., Tim. 29a6–b4; Waszink 21,19–22,2; 30c2–3 et 36e5–37a2; Waszink 23,10–11 et 29,6–8; Calcid., Comm. 25; Waszink 75,16–76,2; 30; Waszink 80,1–10; 137; Waszink 178,5–7; cf. etiam supra, prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 33,81–85

2) Boeth., Philos. cons. III m.9; Moreschini 80,6–8; cf. supra prol. 9; Sturlese 15,334–337; tit. L; Sturlese 50,471–474; prop. 5 B; Sturlese 116,116–119; prop. 6 A; Sturlese 128,33–37; prop. 164D; Jeck–Tautz–Bray 32,53–57

3) Avenc., Fons vitae IV 16; Baeumker 247,17–18; supra, prop. 6 A; Sturlese 127,23–24; prop. 6 E; Sturlese 132,198–199; prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 33,86–87

4) Avenc., Fons vitae III 57; Baeumker 205,11–13

19 pulchrum: pulchro *V* 21 IV libro: libro IV *O*

De hoc sensibili mundo ad praesens intenditur, qui duplicem sui nominis habet rationem: "dictus" est enim "mundus", quia "semper in motu est" – "nulla enim requies" "elementis concessa est" secundum Isidorum[5]) –; "Graeci" autem ab ornatu "mundo nomen" imposuerunt – cosmos enim idem est, quod ornatus[6]).

His praemissis notandum, quod secundum sapientes mundi mundus diversimode describitur praeter descriptionem Trismegisti ex libro *De sex principiis*[7]), super 164[8]) positam et expositam.

Trismegistus enim *Ad Asclepium*[9]) sic eum describit: "Mundus" "est a Deo praeparatus" receptaculum omnium "specierum".

Idem ibidem[10]): Mundus est "quasi organum vel machina summi Dei voluntati subiectus".

Idem ibidem[11]): "Mundus est omnium", "quorum Deus est gubernator", "receptaculum" et contentor.

Idem[12]) ubi supra: "Mundus" est "opus Dei" immutabile, "gloriosa constructio, bonum multiformi imaginum varietate compositum, machina voluntatis Dei" "suo operi absque invidia suffragantis".

Idem[13]): "Mundus" "est locus omnium, quae sub sole gubernantur".

Plato vero in *Timaeo*[14]) sic eum describit: Mundus est "iuxta nativum" genitus, aequiremus, indeclivis, "a medietate undique" versus, aequalis ex "perfectis" universis totus perfectus.

Idem ibidem[15]): Mundus est, qui "gignitur nec semper est", irritabili "sensu" opinabilis "proptereaque incertus nascens et occidens", nec "umquam inexistenti condicione constanti et rata perseverans".

5) Isidor., Etym. XIII 1; Lindsay n.1; cf. etiam Pap., Element. s.v. "Mundus"; Venetiis 1496, 212b; Plin., Nat. hist. II 2 5; Mayhoff 129,16–17; cf. supra, prop. 164 E; Jeck–Tautz–Bray 34,103–104

6) Isidor., Etym. XIII 1; Lindsay n. 2; cf. etiam Pap., Element. s.v. "Mundus"; Venetiis 1496, 212b; Beda, De nat. rer. 3; Jones 194,7–9; Plin., Nat. hist. II 4 8; Mayhoff 130,15–17; cf. supra, prop. 6 A; Sturlese 127,19–20; prop. 164 E; Jeck–Tautz–Bray 34,105–106

7) Lib. de sex rer. princ. I 4; Lucentini–Delp 153,11–154,35

8) cf. supra, prop. 164 E; Jeck–Tautz–Bray 34,109–35,131

9) Asclep. 3; Moreschini 42,4–5; cf. supra, prol. 9; Sturlese 15,338–339; prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 33,71–72

10) Asclep. 16; Moreschini 55,4–6

11) Asclep. 17; Moreschini 55,13–16

12) Asclep. 25; Moreschini 66,21–67,2; cf. supra, prol. 8; Sturlese 14,296–299; prol. 12; Sturlese 20,496–497; prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 33,68–71

13) Asclep. 30; Moreschini 73,9–10

14) Plat., Tim. 34a8–b2; Waszink 26,14–16; cf. etiam supra, prop. 165 F; Jeck–Tautz–Bray 41,100–102

15) Plat., Tim. 27d5–28a4; Waszink 20,15–20

45 irritabili *an* irrationabili *scrib. est?*

Secundum Plinium[16]) libro II cap. I mundus est ingenitus nec interiturus, "sacer", "immensus, aeternus, totus in toto, immo" "ipse totum, infinitus ac finito similis, omnium rerum certus et similis incerto, extra intra cuncta complexus in se, idemque rerum naturae opus ex rerum ipse natura".

Secundus philosophus[17]) sic eum describit: "Mundus", inquit, "est incessabilis circuitus, spectabilis suppellex per se genitum theoreuma, multiformis formatio, aeternus tenor, circuitus sine errore, solis lumen, dies, nox" atra, "tenebrae, terra, aqua, aer".

Secundum Ciceronem autem *De natura deorum*[18]) libro II cap. 5 sic describitur: Mundus est "omnium" "rerum, quae natura administrantur, seminator et sator, parens, ut ita dicam, educator et" alitor "omniaque sicut membra sua" partesque "nutricatur et continet".

Item[19]), 14 cap.: Mundus est, quo "nihil" omnium rerum "est melius", nihil praestantius, nihil pulchrius.

Item[20]), 15 cap.: "Mundus" "est" "communis deorum atque hominum domus et urbs utrorumque".

Idem[21]), 19: Mundus est, "in quo rerum omnium natura ponitur".«[22])

Et hoc de primo.

Verum licet mundus unus sit, sicut ostendit Plato in *Timaeo*[23]) et signatum est B
super 164[24]), tum ex artificis unitate, prout est in ratione formae et exemplaris, tum etiam ex ratione propriae perfectionis – unitas enim exemplaris arguit unitatem exemplati, et illud, quod universa intelligibilia continet, cum alio secundum esse non poterat; si enim aliquid sibi deesset, imperfectus esset; unde ait, si mundus est perfectus, inesse eidem plenam generis substantiam et ideo imperfecta erit universitas, si universa mortalia genera infra conceptum suum minime contineat – »licet, inquam, sit unus mundus, tamen secundum diversarum partium suarum considerationem multiplicem recipit sectionem.

Igitur prima divisio eius est per primum numerum, hoc est per binarium; et hoc dupliciter, quia primo dividitur in partem activam et passivam, immutabilem et mutabilem, secundum quod dicit Macrobius libro I cap. 15[25]): "Alii – inquit – mundum in duo diviserunt, quorum alterum facit, alterum patitur; et illud dixerunt facere, quod, cum sit immutabile, alteri causas et necessitatem permutationis impo-

16) Plin., Nat. hist. II 1 1–2; Mayhoff 128,12–20
17) Vita Secundi philosophi 8,1; Perry 78,12–15; Perry 94
18) Cic., De nat. deor. II 34,n.86; Plasberg–Ax 83,15–18
19) Cic., De nat. deor. II 53,n.132; Plasberg–Ax 104,2–4
20) Cic., De nat. deor. II 62,n.154; Plasberg–Ax 112,29–31
21) Cic., De nat. deor. II 13,n.36; Plasberg–Ax 62,20–21
22) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 1; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 212ra–b
23) Plat., Tim. 31a2–b3; Waszink 23,20–24,4
24) cf. supra, prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 33,73–75
25) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11,n.5–6; Willis 46,1–16; cf. etiam supra, prop. 6 E; Sturlese 132,171–173

50 similis[2] *coni.*: simul *codd.* 56 sic describitur: describitur sic *O* 62 deorum *iter. O*

nit, hoc pati, quod per mutationes variatur. Et immutabilem quidem mundi partem a sphaera, que aplanes dicitur, usque ad globi lunaris exordium, mutabilem vero a luna usque ad terras dixerunt; et vivere animas, dum in immutabili parte consistunt, mori autem, cum ad partem ceciderint permutationis capacem atque inter lunam et terras locum mortis et inferiorum dixerunt lunamque vitae esse et mortis confinium et animas inde in terram fluentes mori et ad superiora meantes in vitam reverti ... A luna enim deorsum natura incipit caducorum: Ab hac animae sub numerum dierum cadere et sub tempus incipiunt".

Item secundo alia per binarium divisio est in partem intelligibilem et sensibilem, secundum quod – manifestum est ex Mercurio Trismegisto *Ad Asclepium*[26]) – pars intelligibilis comprehendit animas, pars autem sensibilis corpus. His enim (hoc est corporibus et animabus) completur mundi receptaculum, et secundum huius divisionis rationem diviserunt homines deos in duo genera, quorum una pars est intelligibilis aliaque sensibilis, sicut apparet ibidem[27]). Partem autem sensibilem diviserunt in visibilem et invisibilem, ut sit invisibilis in se et per se visibilis per formarum depictionem, "per formas", inquit[28]), "solas specierum quasi imaginibus videtur insculpta, quare visibilis creditur, cum depicta monstratur, re autem vera sibi ipsi invisibilis semper".

Item tertio invenitur divisio per binarium ipsius mundi, scilicet in sphaeram aplanes et residuum mundi, quod continet septem sphaeras alias et orbem sublunarem; et ratio istius divisionis est, quod in isto caelo locus est animarum secundum antiquos, prout recitat Macrobius I libro cap. 16[29]).

Secunda divisio est ipsius mundi per ternarium, secundum quod apparet ex *Timaeo* Platonis[30]) I libro secundum expositionem Calcidii[31]), ubi ponitur divisio animae et per consequens divisio essentiae in triplicem naturam, quarum una est individua semperque in sua substantia perseverans utpote intelligibilis, "nulli incorporationi obnoxia", cuius "veneranda puritas nulla corporis contagione violatur"; alia est substantia dividua comes corporum, quae per ipsa scindere se putatur; tertium genus est ex duabus conflatum«[32]), quod est simul ex individua et dividua, qualis est anima, per 190[33]), quae est media impartibilium et specierum circa corpora partitarum.

Haec est divisio entis, quam dat auctor 14[34]) elemento, in immobile, ab altero mobile et per se mobile.

26) Asclep. 13–18; spec. 18; Moreschini 56,16–17
27) Asclep. 19; Moreschini 57,11–14
28) Asclep. 17; Moreschini 56,3–5
29) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11,n.10–11; Willis 47,9–21
30) Plat., Tim. 35a1–7; Waszink 27,6–14
31) Calcid., Comm. 29; Waszink 79,6–23
32) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 6; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 62ra–b
33) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2
34) Procl., Elem. theol. 14; Dodds 16,9–12; Boese 10,1–4

81 aplanes *coni.*: applanos *codd.* 98 divisio *om. V*

»Alio modo dividitur mundus per ternarium utpote per ter quaterna elementa, secundum quod dicit Macrobius libro 1 cap. 16[35]); cuius prima pars continet vulgata elementa; secunda his correspondentia alia quattuor, scilicet lunam terrae, Mercurium aquae, Venerem aeri, solem igni; tertia similiter continet alia quattuor, licet opposito situ praedictae combinationi correspondentia: Martem igni, Iovem aeri, Saturnum aquae, aplanes terrae. Et sic non solum dividitur mundus per ternarium, sed etiam duodenarium.

Tertia divisio mundi est per quaternarium ut per quattuor elementa, ut nomine ignis intelligamus aethera sive caelum secundum Platonicos, prout habetur a Cicerone *De natura deorum*[36]) libro II cap. 9; et horum elementorum colligatio est secundum proportionem numerorum, ut canit Boethius III *De consolatione*[37]) metro 9: "Tu numeris elementa ligas etc". Huic consona est divisio Avencebrol[38]) libro V cap. 24, qua dividit esse per quattuor ordines secundum quattuor quaestiones, quae sunt an sit, quid sit, quale sit, quare sit; harum quaestionum autem dignissima est ista, qua quaeritur an est tantum, non quid aut quale aut quare, sicut unus excelsus et sanctus; infra hanc quaestionem est, de quo quaeritur quid sit, sicut intelligentia; infra hanc est, de quo quaeritur quid est et quale est, sicut anima; infra hanc est, de quo quaeritur quid est, quale est, quare est, sicut est natura et generata ex ea.«[39])

Et hoc de secundo.

Ex praemissis et super 164[40]) habitis colligitur, quae anima sit proprie dicta mundana. C

Omnis enim anima, quae per motum caeli, quem exerit, est causa istius mundi sensibilis, generabilis et corruptibilis quoad individuorum successivam generationem et consequenter specierum conservationem, et per consequens subicitur tempori ratione operationis suae, qua movet corpus sibi subiectum, per 191[41]), omnis, inquam, talis anima dicitur et est mundana, et hoc ad differentiam animae imparticipabilis, quae, cum sit ex se deus et similitudo totius universitatis rerum, est mundus supersubstantialis, licet contracte, quia ad determinatam animealitatis intentionem; et sic etiam est exempta ab omni respectu et dependentia ad quodcumque corpus.

35) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11,n.8–9; Willis 46,25–47,7
36) Cic., De nat. deor. II 15,n.40–41; Plasberg–Ax 64,4–26
37) Boeth., Philos. cons. III m.9; Moreschini 80,10
38) Avenc., Fons vitae V 24; Baeumker 301,15–302,7
39) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 6; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 62rb
40) cf. supra, prop. 164 F; Jeck–Tautz–Bray 35,135–137
41) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2

115 lunam: lune *V* 123 III *om. V* 127 ista *an* de *add.?* | qua: que *O* 129 sicut[1] *coni.*: *om. O*sit *V*

Non sic autem animae mundanae, quae concernunt respectum et dependentiam ad corpora sibi coniuga, quae movent et per quae sunt causae generationis et corruptionis rerum istius inferioris mundi, qui etiam dicitur esse ordinata collectio elementorum[42]).

Et sic omnis anima, quae est pars mundi, sive divina sive intellectualis sive transmutationis ab intellectu ad non intellectum susceptiva – ista enim est divisio animarum mundanarum per 184[43]) –, omnis, inquam, talis anima est mundana, licet sub alia ratione posset dici vel supermundana vel circamundana, ut apparet super 164[44]); et istam reputo esse intentionem auctoris.

Posset tamen et aliter dici, quod mundana anima diceretur proprie illa videlicet, quae aliquando est in loco intelligibili, in quo vivit, sicut consistens in parte immutabili, ut supra allegatum est[45]) ex Macrobio, aliquando vero efficitur capax permutationis consistens in loco mutabili, ubi dicitur quasi mori ratione unionis et alligationis suae ad corpus materiale.

Dico autem talem animam mundanam pro diverso statu esse in diverso loco, non quod anima occupet locum, cum communis animi conceptio secundum Boethium *De hebdomadibus*[46]) sit incorporalia in loco non esse, »sed secundum distinctionem loci in intelligibilem et sensibilem secundum intentionem Hermetis *De hellera*[47]), quorum intelligibilis est, in quo vitali aeternitate locus est non solum animae, sed etiam mundi.

Et secundum hanc loci rationem omne causatum dicitur esse in sua primordiali causa sicut in loco propter hoc, quod status eius est in sua causa secundum meram causati essentiam.

Hoc est enim proprium loci aliud sustinere et stabilire, secundum quod docet Avencebrol[48]) libro II cap. 14.«[49])

De sensibili vero loco, qui est "ultimum continentis immobile"[50]), qualiter aliquid sit in eo sive per se sive per accidens, superfluum est tractare.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria ostendam, quia primo dicam de propriae vitae animae mundanae expressione, secundo de talis vitae temporaria successione et tertio ex praemissis ipsius animae secundum huiusmodi vitam periodica restitutione.

42) haec opinio Apuleio attribuitur in prop. 164 D; Jeck–Tautz–Bray 34,91–92; et in glossis super Macrobium, B, 12v
43) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
44) cf. supra, prop. 164 F; Jeck–Tautz–Bray 35,135–36,150
45) cf. supra, prop. 199 B
46) Boeth., Quomodo subst.; Moreschini 187,23–24
47) cf. Asclep. 13–18; Moreschini 52,8–57,8
48) Avenc., Fons vitae II 14; Baeumker 49,10–12
49) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 6; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 61vb
50) Arist., Phys. IV 4, 212a20–21; transl. Michaelis Scoti: Venetiis 1562, 139vbL

153 dici *om. sed in marg. suppl. m. post. V* | illa *add.* patet *O* 160 sit *coni.*: sic *codd.* | incorporalia: in totalia *V* 161 in *om. O* 162 hellera *coni.*: hedera *codd.* 163 etiam: et *O* 164 loci rationem: rationem loci *O*

De primo sciendum, quod propria vita animae mundanae potest considerari D
vel ut est animae in eo, quod anima secundum se et absolute, vel ut est in respectu ad corpus; et hoc sive ut est in ente sive ut est in generatione propria vita, quae est ipsius animae inquantum huiusmodi (scilicet secundum se et absolute) est via et motus a mansiva hypostasi ipsius animae, prout est substantatialis et cognitiva, per
180 197[51]).

Dico autem vitam animae esse viam et motum, quibus existens in actu continue exserit et emittit actum, sicut sol in actu existens continue exserit et emittit luces sine sui mutatione.

Per hunc enim modum Platonici dicunt omnem animam participabilem ex se exserere et emittere motum eo, quod essentiale est sibi movere se ipsam, cum per se et a se, non per accidens et per aliud moveatur per 14[52]) et 17[53]), et talis vita, cum sit essentialis ipsi animae, quae est aeternalis substantiae, per 191[54]), etiam est aeternalis et sic semper est uniformis et tota simul per 52[55]); vita vero alia ipsius animae, scilicet quae est in respectu ad corpus, est duplex, secundum quod etiam
190 ipsum corpus vel est immateriale, ingenerabile et incorruptibile, quo primitus utitur ipsa anima per 196[56]), vel materiale, quo secundario secundum Platonicos utitur sicut indumento et instrumento et non proprie sicut subiecto.

Vita namque animae mundanae et specialiter totalis, quae est in respectu ad corpus sibi unitum, est motus, quem continue exserit et imprimit ipsi mobili, quo etiam ipsum mobile circulariter circumfertur, qui motus, licet sit actus existentis in actu (puta anima) ut eius, a quo, tamen est etiam actus existentis in potentia (puta corporis) ut eius, in quo est sicut in subiecto; importat enim quandam mobilis variationem. Variatio autem est quidam discursus a dispositione seu forma in dispositionem sive, ut magis proprie dicam, secundum formam seu dispositionem
200 praesentem; secundum hoc autem contingit mobile esse in actu propter praesentiam talis formae vel dispositionis. Est autem in potentia propter variationem sui in illa seu secundum illam formam, et coincidunt in ipso motu circa eandem formam actus et potentia, nec mobile fit secundum eandem formam actu et potentia, sed manens in loco eodem secundum substantiam, transmutatur localiter secundum locum alium et alium secundum formam, sicut dicit Aristoteles VI *Physicorum*[57]) intendens secundum Averroem[58]), quod ipsum (scilicet spatium) circulariter in

51) Procl., Elem. theol. 197; Dodds 172,1–4; Boese 96,1–4
52) Procl., Elem. theol. 14; Dodds 16,9–12; Boese 10,1–4
53) Procl., Elem. theol. 17; Dodds 18,21; Boese 12,1
54) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
55) Procl., Elem. theol. 52; Dodds 50,7–14; Boese 28,1–8
56) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
57) Arist., Phys. VI 9, 240a33–b7
58) Averr., Phys. VI comm. 85; Venetiis 1562, 300rF–vG

178 se *suppl.*: *om. codd.* 185 exserere: exercere *O* 187 substantiae ... (188) aeternalis: *om. sed in marg. suppl. m. post. V* 188 semper est: est semper *V* 192 sicut[1]: sicuti *V*

quo vel secundum quod movetur corpus subiectum animae tali (scilicet caelum) est unum et idem re et subiecto: inquantum autem in eodem spatio diversa significantur puncta, a quorum quolibet intelligitur incipere motus circulariter et redire in idem, in tantum sunt huiusmodi circulationes sic signatae, ad quas et ex quibus movetur caelum diversa loca secundum formam. Re igitur et subiecto omnes huiusmodi circulationes sunt eaedem.

Mobile ergo secundum circulationem re et subiecto eandem semper est in actu. Inquantum autem in ipsa variatur, est ens potentia; et ita mobile, quod circulariter ab anima mundana movetur secundum eandem formam (scilicet locum seu spatium) circulariter est ens actu et inquantum in ipso et secundum ipsum variatur, est ens potentia, et sic secundum formam re et subiecto eandem est mobile actu et potentia.

Nec hoc est inconveniens, quia actus et potentia, prout cadunt in rationem motus, sunt alterius modi et proprietatis quam in aliis rebus, quae dicuntur secundum actum et potentiam, ubi actus et potentia se non compatiuntur nec sunt simul in eodem.

Et sic motus caeli est vita ipsius, cum ex se moveatur, scilicet a principio intrinseco (puta anima mundana).

De vita vero animae partialis, quae etiam dicitur et est mundana, considerandum, quia vel talis vita est ipsius animae mundanae, prout est in ente, secundum auctorem, ubi vita eius inquantum anima tantum est vivificare et animare corpus secundum congruentiam talis status. Sed nec talis vita, cum sit supra tempus utpote transcendens omnem temporarium statum, periodice restituitur, si sola consideratur exclusa ea, quae est in generatione, verum vita propria animae existentis in generatione est animalis et animealis, qua videlicet per se mobilis existens non solum vivificat et animat corpus ab immobili causa conditum, ut inferius apparebit[59]), sed etiam corpus a se quodammodo constructum, ut supra 196[60]) patuit, quod etiam secundario vivificat et animat secundum omnes vitae species, vegetabilem, sensibilem et motum secundum locum.

Et sic unitur secundum Aristotelem[61]) corpori corruptibili ut forma subiecto, habens tamen se ad ipsum in ratione triplicis causae.

Secundum Platonem vero et sequaces suos unitur ei ut motor mobili et artifex artificiato, ut statim apparebit[62]); et sic magis unitur corpori sicut instrumento quam subiecto, corpori dico corruptibili. Sicut enim anima totalis mundana, et hoc sive summitas animarum, quae est primus motor, sive consequentes animae, quae sunt motores immediati orbium, sunt intellectuales et non organicae et respectu specierum circa corpora partitarum et indivisibiles et impartibiles, omnino nul-

[59]) cf. infra, prop. 207 per totum
[60]) cf. supra, prop. 196 per totum
[61]) Arist., De an. II 1, 412a1–413a3
[62]) cf. supra, prop. 199 E

210 sic: sicut *O* 219 nec ... potentia *om. O* 243 corpora *om. codd. sed in marg. suppl. m. post. V* | et[1] *om. O*

lam habentes magnitudinem, sunt in suis mobilibus non sicut virtutes organicae in organis, sed potius sicut motores intrinseci per essentiam et sic uniti essentialiter, quibus influunt potentias inseparabiles moventes, quas a se ipsis non habent, sic et mundana anima partialis proportionaliter unitur ei corpori, quod primitus animat, non sic autem corpori ei, quod animat secundario, si hoc proprie dici potest secundum Platonicos.

Macrobius[63]) enim libro II inducens Plotinum[64]) sic inquit: "Hoc postremo pronuntiat animal esse corpus animatum. Sed hoc nec" hic "neglectum vel non quaesitum" reliquit "quo animae beneficio quave via societatis animetur". Haec Macrobius.

Tripliciter namque unitur motor mobili: uno modo, cuius esse et actus movendi est secundum naturam mobilis; secundo modo, cuius esse non est secundum naturam mobilis, sed actus; tertio modo, cuius nec esse nec actus est secundum naturam mobilis, sed forma motus influitur per motum, quo motor movet mobile.

Et primi modi exemplum est in sensibilibus et vegetativis; secundi autem exemplum est in nauta et navi[65]); tertii vero modi exemplum est in arte et instrumento artis. Artifex enim, puta faber, nec esse nec actum artis habet a martello, sed tamen per martellum inducit formam artis in materiam artificiati.

Et isto ultimo modo dicunt aliqui animam partialem utpote intellectualem uniri corpori materiali corruptibili; et sic participatur ab eo separabiliter, inquantum intellectiva; inquantum vero assumit irrationales vitas, ut inferius apparebit[66]), (puta sentire vegetare) sic condicionatur et quoad esse et quoad actum movendi secundum naturam corporis materialis per unionem sui ad ipsum corpus, quod movet et regit.

Et hoc de primo.

Sane omnis anima mundana, et maxime totalis, cum semper se ipsam moveat E motu, qui est actus moventis, exserit, ut dictum est[67]), motum, qui est actus mobilis, motum, inquam, perpetuum perpetuitate temporali. Sed quia talis motus est actus mobilis determinatae magnitudinis et super spatio certae quantitatis, super quod ipsum mobile variatur quantum ad differentiam eiusdem spatii secundum formam ipsis circulationibus re et subiecto semper eisdem manentibus, unde et mobile ratione identitatis earum semper est in actu, necessarium est omnem talem animam, et specialiter totalem, cum sit impartibilis nullam habens magnitudinem per 187[68]), movere se in dextrum sui mobilis et a dextro in sinistrum et rursus a

63) Macrob., Comm. in Somn. Scip. II 12; Willis 132,3–6
64) Plot., Enn. I 1 10
65) cf. Arist., De an. II 1, 413a9
66) cf. infra, prop. 207 E
67) cf. supra, prop. 199 C–D
68) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1

269 totalis: rationalis *O* 277 dextro: dextra *V*

sinistro in dextrum, semper procedendo; et sic uti in motu locali periodis et restitutionibus cuiuslibet partis sui mobilis ad quodlibet ubi spatii, secundum quod variatur, in qua prius fiunt, immo ad quodlibet punctum et longitudinis et latitudinis, si tales motus huiusmodi diversitatis restituat, quod dico propter primum mobile, quod est simplicis et uniformis motus omni latitudine carentis.

Et hoc quantum ad periodicam restitutionem vitalis motus totalis animae.

Non sic autem se habet circa animam partialem in respectu ad corpus materiale, quod movet et regit existens in generatione, quia omnis talis vita, quam anima mundana partialis communicat corpori materiali et quam in corpore et per corpus exercet, est transitiva per successionem, cum non sit sine motu, sicut ostendit Avencebrol[69]) libro III cap. 44 et quinque capitulis sequentibus; et sic talis vita est a tempore mensurata.

Talis autem successio et vitae animealis continuatio necessarium est solum tamdiu manere, quamdiu corpus materiale substratum stat in proportione ad ipsam animam et actus eius; qua proportione recedente ratione corruptibilitatis ipsius corporis propter suorum principiorum ad invicem compugnantiam necesse est animam a corpore separari. Quae si in corpore existens studuit exercitio virtutum politicarum, purgatoriarum et purgati animi, secundum quod de eis Plotinus[70]) prosequitur, sicut recitat Macrobius II libro[71]), statim sine dilatione aliqua in sedes aethereas revocatur. Sin autem mali meriti fuerit vel non sufficienter purgata, transcorporatur secundum Platonem[72]) tamdiu, donec vel purgata restituatur aethereis sedibus vel magis inquinata in tyseos carceres detrudatur[73]).

Quid autem Plato et sui sequaces circa transcorporationem – quam regenerationem dicunt – sentiant, per Gregorium Nyssenum in libro *De homine* 2 cap.[74]) recitatur in haec verba: "Igitur communiter omnes gentiles, qui animam immortalem enuntiarunt, transcorporationem dogmatizant. Differunt autem circa species animarum. Nam hi quidem unam speciem solam rationalem esse dicunt, hanc autem et ad plantas et ad irrationalium corpora transire; hi quidem secundum quosdam temporum circuitus, alii vero, ut contingit; alii vero non unam speciem animarum, sed duas, rationalem et irrationalem; quidam autem multas et tot quot animalium species, maxime autem, qui a Platone sunt circa hoc dogma delecti sunt. Cum dixerit enim Plato[75]) furibundas quidem et iracundas et raptrices animas luporum et leonum corpora induere, eas vero, quae circa incontinentiam occupatae sunt, asinorum et talium assumere corpora, hi quidem eorum proprie intellexerunt lupos et leones et asinos, alii vero tropice, eum dixisse aestimaverunt mores per animalia designantem. Nam Chronius equidem in libro *De regeneratione* – ita vero vocat trans-

[69]) Avenc., Fons vitae III 44–49; Baeumker 176,25–190,10
[70]) Plot., Enn. I 2 1–2
[71]) cf. pot. Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 8; Willis 37,22 sqq.
[72]) Plat., Gorg. 523b3
[73]) cf. Procl., De X dub. 8,n.57; Boese 92,1–94,35
[74]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 34,18–35,13; Verbeke–Moncho 45,92–46,15
[75]) Plat., Phaedo 82a

299 tyseos *coni.*: cyseos *codd.* 308 delecti *an* delati *scrib. est?*

corporationem – rationales omnes esse vult; similiter autem Theodorus Platonicus in libro *Quoniam anima omnes species est* et Porphyrius. Iamblichus autem contrariam his currens viam secundum speciem animalium animae speciem esse dicit, scilicet species diversas. Scriptus denique est singularis quidem liber, in quo scripsit, quod non ab hominibus ad irrationalia animalia neque ab irrationalibus ad homines transcorporationes fiunt, sed ab animalibus ad animalia et ab hominibus ad homines. Et mihi videtur magis hoc propter hoc bene coniecturasse non solum Platonis mentem, sed et veritatem ipsam, ut est quidem ex multis aliis demonstrare".

Haec Gregorius, et subiungit causam dicti ipsius Iamblichi[76]).

Et hoc de secundo.

Ex praemissis evidenter apparet, quod omnis anima mundana, sive totalis – de F
qua iam satis supra dictum est – sive partialis, utitur propriae vitae, scilicet motus vitalis, restitutionibus, et hoc ratione vitae temporalis, quo utitur in generatione sub tempore constricta; utitur, inquam, periodis et restitutionibus, et hoc sive transcorporetur secundum quosdam circuitus temporum, ut iam ex Gregorio patuit, sive descendens in hunc mundum post determinatum a providentia tempus ad ens, ubi est sua vita magis propria, cum in generatione videatur, quasi morti subici revocetur. Vita enim, qua degit in hoc mundo, est magis sibi aliena secundum proprietatem et condicionem sibi naturalem, quam propria posset dici. Et sic utitur periodo secundum quartam significationem periodi supra praemissa positam[77]).

Verum cum Platonici ponant perpetuum esse mundum saltem per finis carentiam, licet dicant eum generatum, et supponant omnes animas concreatas et aliquando descendere ab ente in generationem et rursus secundum temporis spatium ad ens reascendere, necesse habebant dicere animam mundanam uti periodis secundum diversos sui status.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim a tempore mensuratur et transitive operatur, et est hic proprius motus – omne autem, quod movetur et tempore mensuratur, perpetuum ens, utitur periodis et periodice revolvitur et restituitur ab eisdem ad eadem – palam, quod et omnis anima mundana motum habens et operans secundum tempus periodos motuum habebit et restitutiones. Omnis enim periodus perpetuorum restitutivus est.

[76]) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 35,7–11; Verbeke–Moncho 46,8–13
[77]) cf. supra, prop. 198 D

318 irrationalia: rationalia *V* 320 mihi: tamen *O* 339 Et ... elementi: et sic apparet etc. *V*

Probatio elementi talis est.

Supponitur enim primo, quod omne, quod movetur et tempore mensuratur, perpetuum existens, utitur periodis et revolvitur periodice et restituitur ab eisdem (sive sitibus) et ubi (sive statibus) ad eadem in sitibus et ubi et statibus per praemissam[78]).

Ex hoc sic: Omne habens motum vitalem et operans secundum tempus utitur periodis et restitutionibus propriae vitae; sed omnis anima mundana habet motum vitalem, quem imprimit suo corpori subiecto, inquantum totum ex anima et corpore compositum movetur ex se. Omne autem motum ex se vivit, quia, si tale ex se motum inquantum huiusmodi mensuratur tempore et operatur transitive per sui circumvolutionem et est hic motus proprius ipsius animae mundanae, manifestum est, quod et omnis anima mundana habens motum, quem imprimit corpori, et sic operans secundum tempus habebit periodos sive circulationes motuum et restitutiones, quia omms periodus est restitutivus perpetuorum.

[78]) Procl., Elem. theol. 198; Dodds 172,23–24; Boese 96,1–2

348 revolvitur: resolvitur *V* 355 mensuratur *add.* a *O*

PROPOSITIO 200
OMNIS ANIMAE PERIODUS TEMPORE MENSURATUR, SED PERIODUS QUIDEM ALIARUM ANIMARUM QUODAM TEMPORE MENSURATUR; QUAE AUTEM MENSURANTUR PRIME A TEMPORE, TOTO TEMPORE MENSURANTUR

Ostenso omnem animam mundanam uti periodis nunc auctor ostendit tales periodos diversimode a tempore mensurari dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam omnis animae participabilis et motus eius, quem causat modum et condicionem, secundo periodi omnis talis animae duplicem considerationem, tertio ex praemissis suppositi intentionem.

»De primo sciendum, quod omnis anima participabilis et significanter totalis A – quae et a quibusdam nobilis vocatur[1]) – secundum suam definitionem et est principium et causa motus circularis ad formam intellectus, a quo proxime subsistit, per 93[2]).

Ex hoc enim, quod est anima, ipsa est principium motus, quia omnis anima est principium alicuius motus.

Ex hoc autem, quod est anima totalis sive nobilis, sequitur, quod ipsa sit tantum immediate causa motus circularis, sive totalis et nobilis sit nominativi casus sive genitivi.

Primo enim modo dicitur ipsa totalis et nobilis propter ampliorem impartibilitatem ad animam partialem et excellentiam separationis, qua ipsa non est actus corporis eo modo, quo inferiores animae (sive partiales sive idola animarum): quia, licet omnibus animabus participantibus conveniat esse actus suorum corporum, hoc tamen non est secundum omnimodam univocationem, sed secundum quandam communitatem analogiae, cum anima totalis seu nobilis sit secundum se totam et separata et coniuncta, quod non competit aliis animabus. Et ideo in suo mobili non est causa motuum, qui tantum sunt ab aliquo, quod est sic actus corporis, ut sit vel totaliter immersum corpori, vel saltem aliquo modo sicut est motus nutrimenti vel augmenti[3]), vel quicumque motus localis rectus sive sit naturalis sive animalis, sicut motus processivus, qui est in animalibus gratia nutrimenti[4]).

1) cf. Lib. de caus. 3,n.27; Pattin 139,98; Alb., De nat. et or. an. I 8; Geyer 17,33; II 2 et 9; Geyer 21,26 et 33,72; De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,32–36
2) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1
3) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11 et 12; Fauser 74,20 et 75,39–40
4) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,21–22

7 etc. *om. V* 19 sit *coni.*: sic *codd.* 25 omnimodam univocationem: univocationem omnimodam *O*

Secundo vero modo dicitur anima totalis seu nobilis, quia se tota impartibiliter animat corpus nobile; et hoc iterum non est nisi illud, cui naturalis est motus localis tantum, et inter motus locales motus circularis. Iste autem motus est ad formam intellectus, quae forma est esse ubique et semper, quam consequitur ipse motus per continuam mobilis circumvolutionem, ut, quod se toto non potest esse ubique et semper, fiat ubique secundum variationem sui in forma spatii, secundum quod et in quo variatur. Et sic ipsa anima ratione talis formae regulantis ipsam movet uniformiter et incessanter et est principium et causa motus, qui est primus inter omnes motus natura, tempore et substantia sive definitione«[5]).

Quod autem sit primus natura, apparet ex eo, et quia est localis et quia circularis.

Ex eo enim, quod est localis, est prior natura, quia illud natura prius est, a quo non est conversio secundum existendi consequentiam; est sic est in proposito. Si enim est generatio, oportet esse motum localem, quia, cum secundum naturam generationes secundum successionem sint infinitae, istius perpetuitatis causa non est una aliqua generatio neque omnes simul eo, quod causae motus non sunt infinitae; oportet ergo huiusmodi perpetuae successionis causam esse extra ipsas generationes et generabilia. Extra hoc autem non est in ordine causarum naturalium nisi primum movens inferiora, scilicet quod movetur ex se motu locali; ergo sine illo non potest esse generatio.

Simili modo probatur de alteratione, quia oportet, quod alterans primo sit distans ab alterabili et post appropinquet eidem et tangat ipsum. Distare autem et prope fieri non est sine loci mutatione; ergo nec alteratio potest esse sine ipsa, et cum augmentum et deminutio non possint esse sine alteratione, patet, quod isti motus non sunt sine loci mutatione. Sed e converso illud, quod localiter movetur, nec oportet generari nec alterari nec augeri nec minui; ergo motus localis natura prior est omnibus aliis motibus; et cum generatio sit ante corruptionem, ergo et motus localis.

Quod autem sit prior tempore, apparet, quia ipse solus est perpetuus perpetuitate temporali, et sic est prior omnium eo motu, qui incipit et desinit esse in tempore.

Quod etiam sit prior definitione, apparet, quia ab ultimo et perfectissimo sumitur definitio. Ultimum autem et perfectissimum perfectorum mobilium inter ex se mota est motus localis, propter quod etiam ipse solus nihil mutat de esse mobilis, cum sit actio ultimo complens naturam.

Idem etiam apparet ex eo, quod est circularis, quia talis est prior alio motu, sive sit localis sive alterius generis natura, tempore et definitione.

5) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 22–23; Palazzo 14,300–15,333

34 inter *om. O*

Natura, quia simplex natura prius est composito; cum autem omnis motus localis sit vel rectus vel circularis vel gyrativus, solus inter eos motus circularis est simplex; gyrativus enim compositus est ex recto et circulari, cum sit super lineam curvam; similiter et rectus compositus est ex principio, medio et fine; nihil autem talium est in motu circulari.

Est etiam prior tempore, sicut, quod semper est, prius est eo, quia incipit et desinit esse in tempore, quia solus iste motus potest esse unus, continuus et perpetuus, quae in nullo alio concurrunt.

Est et prior substantia sive definitione, quia ipse solus est simpliciter perfectus et regularis et mensura omnium aliorum motuum.

Perfectus quidem est solus, secundum quod perfectum est, cui nihil est addibile; nihil enim potest addi ei, quod est infinitae potentiae, qualis est motus circularis, quia omne, quod semper fit, infinitam habet ipsius fieri potentiam per 85[6]).

Regularis est etiam ipse solus, cum sit semper eiusdem velocitatis.

Mensura autem est omnium aliorum motuum, quia omnia mensurantur primo et minimo.

Iste etiam motus est vita omnium viventium in mundo inferiori et specialiter eius, in quo est; et quia est circularis, necessario periodice revolvitur et ad eadem restituitur ab eisdem.

Et hoc de primo.

Verum cum omnis periodus sit restitutio eiusdem ad idem, necessarium est B illud, quod restituitur, aliter se habere nunc quam prius in toto decursu continue, si numquam pervenerit ad quietem, quale est illud, quod movetur circulariter secundum naturam, cum circulari motioni nihil sit contrarium per ultimam propositionem secundae partis *Elementationis physicae*[7]), vel si pervenit ad quietem, quale est illud, quod movetur motu recto, saltem in tempore decursus continue diversatur. Cum ergo motus essentialis ipsius animae, in quo est antokineta, per 14[8]), nec sit in se alteritas nec alteret animam, ut faciat eam nunc aliter se habere quam prius, utpote aeternalis existens et coessentialis substantiae ipsius animae, quae est aeternalis, per 191[9]), et per consequens quantumcumque esse potest, tantum iam est totum possidens sine deminutione et sine ordine in eadem mensura perfectionis stans et velut fixa secundum unum et eundem terminum immobiliter et intransmutabiliter per 52[10]), necessarium est periodum omnis animae non sic esse ipsius animae, quasi mensuret vel esse vel motum eius intrinsecum et essentialem, sed ut ab anima, inquantum mensurat motum eius localem circularem, quem imprimit suo mobili, qui est primus regularis et perfectus, ut iam supra dictum est[11]).

6) Procl., Elem. theol. 85; Dodds 78,12; Boese 44,1
7) Procl., Elem. phys. II 4; Boese 48,28
8) Procl., Elem. theol. 14; Dodds 16,9–12; Boese 10,1–4
9) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26; Boese 93,1–2
10) Procl., Elem. theol. 52; Dodds 50,10–14; Boese 28,4–8
11) cf. supra, prop. 200 A

72 compositus: componendus *O* 74 est[3] *om. O* 79 perfectum: perfectus *V* 86 periodice revolvitur: revolvitur periodice *O* 89 idem *coni.*: eadem *codd.* 95 in *om. O*

Et hoc quantum ad animam totalem.

Anima namque partialis, licet sit aeternalis substantiae, tamen, quia est transmutationis susceptiva ab intellectu ad non intellectum per 184[12]) et sequentem[13]) et pro diverso tempore est in diverso statu entis secundum auctorem (scilicet et generationis), ipsa utitur periodis propriae vitae et restitutionibus, ut supra praemissa expositum est[14]).

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis apparet, quod periodus, quae omni animae totali attribuitur, mensurat solum motum circularem corporis, qui ab anima est impressum.

»Verum sicut sunt gradus in motibus, ita etiam sunt gradus nobilitatis istarum totalium animarum. Cum enim ratio substantialis eius sit, quod sit principium motus circularis[15]), ut iam supra dictum est[16]), illa autem, cuius motus est nobilior ex ampliori simplicitate, regularitate et perfectione, est nobilior ea anima, cuius motus non est adeo nobilis.

Omnis autem anima privata praedicta nobilitate est et dicitur anima ignobilis[17]), sed tamen etiam ibi sunt gradus; excellentior enim est anima partialis, quae movet per intellectualem vel sensibilem apprehensionem[18]) appetibilis, et tamen etiam interdum movet per influentiam formarum caelestium in ipsam vel sub lumine intelligentiae, sicut dicit Aristoteles[19]) in dormientibus interdum fieri motus per visiones intellectuales certas, vel sub virtutibus caelestium figurarum, sicut idem dicit Aristoteles in libro *De bona fortuna*[20]) fieri motus somniorum per signa vera futurorum, non tamen necessaria[21]); et movet ad motum nobiliorem inter motus post circularem motum, qui est motus circularis processivus«[22]).

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo ostendam, quod omnis animae periodus mensuratur tempore, secundo, quod periodus aliarum animarum a prima mensuratur a quodam tempore, tertio, quod periodus prime animae inter totales animas a tempore mensuratas mensuratur toto tempore.

12) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
13) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,1–3; Boese 90,1–4
14) cf. supra, prop. 199 A sqq.
15) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 11; Fauser 74,33
16) cf. supra, prop. 200 A
17) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 12; Fauser 75,1
18) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 12; Fauser 75,3–4
19) Arist., De insomn. 1, 458b15–20 et 459a8–10
20) Arist., De div. per somn. 2, 463b22–25
21) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 12; Fauser 75,9–20
22) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 24; Palazzo 15,334–345

115 ratio substantialis: substantialis ratio *O* 131 quod: quia *V*

De primo sciendum, quod periodus, ut praedictum est[23]), est certa revolutio D
eiusdem rei secundum naturam circulariter mobilis ad idem ubi sive punctum, a quo incepit. Omnis autem revolutio, cum sit transpositio rei mobilis de ubi in ubi, est motus; omnis etiam motus, qui est actus mobilis, requirit motorem, unde et dicitur esse actus moventis et mobilis ita, quod secundum diversitatem motuum multiplicantur necessario et motores et hoc motuum, qui sunt actus mobilium, non continuorum, sed se contingentium, sive sint disparati sive etiam sub invicem ordinati.

Verbi gratia supponamus, quod sphaerae caelestes – sive sint novem[24]) sive decem[25]) secundum diversas opiniones – habeant diversos motus, quod etiam faciliter perpenditur ab eis, qui parum considerant: Evidenter apparebit, quod alius est motus primae et summae sphaerae secundum cursum aequinoctialem super polos mundi ab oriente in occidens et rursus in oriens, alius, inquam, a motu firmamenti seu sphaerae stellarum fixarum et totalitatis sphaerarum septem planetarum, qui est secundum cursum eclipticae super polos zodiaci immobilis ab occidente in oriens, ad oppositum videlicet primi motus, qui simpliciter est uniformis, simplex et velocissimus, et per consequens in genere motuum minimus, in quo etiam ipsum tempus, inquantum habet rationem mensurae, existit proprie mensurans ipsum utpote totalitati ipsius temporis secundum suam totalitatem coaequatum. Et licet omni die naturali revolvatur periodice revolvens secum omnes sphaeras caelestes inferiores seu intra primam sphaeram contentas, tamen totus motus secundum sui totalitatem, cum nullam habeat diversitatem, nec in longitudine nec in latitudine, secundum quamlibet qualitercumque unius temporis acceptionem, revolutionem dicitur, et est una periodus totalitati temporis coaequata. Alii autem motus totalitatis aliarum sphaerarum sunt difformes quoad longitudinem et latitudinem, licet, inquantum sunt circulares, sint uniformes. In motu enim circulari res, quae moventur eo motu, simul sunt in principio et fine seu terminis motus; et sic talis motus non requirit nisi simplicem et uniformem habitudinem et respectum motoris ad corpus motum, quod secundum naturam circulariter movetur.

Dico autem motus praedictos secundum longitudinem et latitudinem esse difformes et in se et in habitudine ad invicem.

In se, quia Ptolemaeus[26]) apprehendit diversari motum octavae sphaerae et consequenter aliarum septem inferiorum sphaerarum in centum annis solaribus uno gradu ita, quod stella, quae iam esset in primo minuto Arietis zodiaci fixi, post centum annos esset in primo minuto secundi gradus Arietis.

Albategni[27]) vero per certissima instrumenta invenit suo tempore minus tempus, quia circiter 80 annos.

23) cf. supra, prop. 198 D
24) cf. Theodor. de Vrib., De int. et mot. cael. 3 9; Sturlese 357,92–96
25) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 2 6; Palazzo 24,70–71; cf. etiam infra, prop. 203 F
26) Ptolem., Synt. mathem. I 8; Heiberg 26–30; VII 2; Heiberg 12–16; cf. etiam Al Battani, Opus astronomicum 52; Nallino 127,33–36
27) Al Battani, Opus astronomicum 51; Nallino 124,19–34; 52; Nallino 128,2–4

142 parum: partim *O* 143 aequinoctialem *coni.*: aequinoctialis *codd.* 159 simplicem: simplicitatem *V* 164 septem … sphaerarum: sphaerarum septem inferiorum *O*

Et ideo Thebit ben Chorat[28]) incessit alia via in dicti motus rectificatione, ut apparet in tractatu suo *De motu octavae sphaerae* et aliqualiter super 55[29]) est tactum.

Unde periodus octavae sphaerae secundum Ptolemaeum est in 36000 annorum solarium, secundum Thebit vero in quattuor milibus 71 annis solaribus.

Sed quis sic inconsideratus est, qui non videat alias esse periodos motuum excentricorum, ubi sunt mobiles, sicut in Mercurio et luna, alias epicyclorum inhabentibus epicyclos, alias astrorum erraticorum in epicyclis? Sed quia omnis ista diversitas motuum aut exigit alietatem motorum aut saltem distinctarum sphaerarum, ut inferius apparebit[30]), qui motores sunt animae caelorum, et cum omnis periodus restituat mobile ad idem, unde coepit mobile, aut non restituatur sine motu – omnis vero motus mensuratur tempore –, necessarium est omnis animae periodum tempore mensurari.

Et hoc de primo.

E Verum periodi aliarum animarum a prima – quae etiam est summitas intra ordinem animarum totalium et est motor primi mobilis, ut dictum est[31]), imprimens sibi motum maxime uniformem et velocissimum et minimum – cum sint in quodam tempore determinato, et sic ab eo excedantur quantum ad sui totalitatem – omne enim totum quantitativum est maius sua parte, quia omnis alia anima a prima in certis et finitis temporibus restituit suum mobile –, necessarium est omnem eius periodum parte aliqua temporis mensurari, et hoc sive maiore vel minore.

Nec tamen propter hoc fingenda est quies inter duas periodos propter motus continuitatem. In omni enim tali motu inveniuntur tria pertinentia ad motus unitatem numeralem et per consequens ad eius continuitatem, scilicet unitas essentialis mobilis et natura fluens in motu et tempus. Mobile quidem oportet esse unum per se, quia, cum motus sit actus mobilis, diversorum mobilium sunt diversi et non unus nec continuus motus. Naturam etiam, quae fluit seu variatur in motu, oportet esse unam specie et numero, quia aliter motus non esset continuus nec unus. Tempus quoque oportet esse unum numero, quia motus, qui sunt in diversis temporibus, necessario sunt tempore intercepti et ideo non sunt unus continuus motus.

Quod autem ista tria inveniantur in omnibus circulariter motis secundum naturam, patet, cum sit ibi unitas mobilis, spatii et temporis.

Et hoc de secundo.

F Licet autem periodi aliarum animarum citra primam mensurentur quodam tempore sive parte temporis, tamen periodus prime animae restituens motum primi mobilis uniformem, simplicissimum, velocissimum et minimum toto tempore mensuratur; coaequatur enim totalitati temporis, quia omne, quod secundum tempus subsistit, aut eo, quod semper tempore est, aut aliquando in parte tem-

[28]) Tabit ibn Qurra, Liber De motu octavae sphaerae; Vallicrosa 13 sqq.
[29]) cf. supra, prop. 55 C; Sannino 138,70–78
[30]) cf. infra, prop. 203 F
[31]) cf. supra, prop. 198 E

188 sive: sine *V* 193 oportet: debet *V* 202 citra: circa *V*

poris hypostasim habens per 55[32]). Cum ergo periodus primi motus, quam prima anima suo mobili imprimit, subsistat secundum tempus, necessario aut erit semper habens hypostasim tempore aut in parte temporis; sed subsistere et mensurari parte temporis competit periodis aliarum animarum, ut supra ostensum est[33]); igitur periodus prime animae subsistit semper tempore, quo etiam secundum sui totalitatem mensuratur, cum ipsum tempus, inquantum habet rationem mensurae, sit in tali motu sicut in subiecto, ut supra dictum est[34]). Et sic numerat seu mensurat ipsum sicut velocissimum, et ideo simplicissimum, et per ipsum mensurat omnes alios motus sive inferiorum sphaerarum sive inferioris mundi. Secundum motum enim ultimae sphaerae velocissimum et simplicissimum determinamus omni motui mensuram velocitatis et tarditatis durationis et alia similia.

Qua autem ratione tempus importet rationem et proprietatem mensurae et quomodo inveniatur in eo minimum habens rationem mensurae, minimum, inquam, non modo positione, sed re ipsa, quod etiam dicitur totum tempus, habetur super 55[35]).

Et sic apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim omnes motus habent prius et posterius, et periodi ergo; et propter hoc tempore mensurantur et mensurans omnes periodos animarum tempus est. At siquidem eaedem essent omnium periodi et circa eadem, et tempus utique esset omnium idem. Si autem aliae et aliorum restitutiones, et tempus periodicum aliud aliorum est restitutivum. Quae quidem igitur primitus a tempore mensuratur anima, toto tempore mensuratur, palam. Si enim tempus est mensura motus omnis, quod primitus movetur, erit omni tempore participans et ab omni mensuratum. Non enim primo participans mensurans omne tempus, neque aliud mensurabit secundum se totum se ipsum nullum. Quod autem et omnes aliae animae particularioribus omnis temporis mensurantur mensuris, manifestum ex his. Si enim particulariores animae non sunt primitus tempore participantes, neque tempore primo simul toti suas periodos adaptabunt, sed multae ipsarum restitutiones partes erunt unius periodi et restitutionis, quam quae tempore primitus participat, restituit. Minoris enim potentiae particularior participatio, maioris autem totalior. Totum ergo temporale metrum secundum unam vitam aliae animae suscipere non sunt natae, eius, quae primitus tempore mensuratur, inferiorem sortientes ordinem.

[32]) Procl., Elem. theol. 55; Dodds 52,15–16; Boese 30,1–2
[33]) cf. supra, prop. 200 D
[34]) cf. supra, prop. 200 A
[35]) cf. supra, prop. 55 A; Sannino 136,10–20

225 et mensurans *om. V* 227 est: *an* et *scrib. est?* | quidem *suppl.: om. codd.* 228 anima … mensuratur *om. O* 229 et *om. sed in marg. suppl. V* 233 suas: suos *V* 235 restituit *coni.:* restuit *codd.*

Probatio elementi quoad primam partem talis est.

Omne habens prius et posterius mensuratur tempore; sed omnis animae periodus est huiusmodi, quia, si motus omnes habent prius et posterius, et propter hoc tempore mensurantur, ergo et periodi; ergo omnis animae periodus tempore mensuratur, et sic mensurans omnes periodos animarum est tempus.

Circa istam rationem notandum, quod tempus est numerus seu mensura motus, inquantum secundum tempus seu partes temporis attenduntur partes motus, non accipiendo hanc et illam, sed secundum quod haec prior, haec posterior. Prius autem et posterius in proposito non important ordinem partium mobilis sive spatii, in quo fit motus, sed important quendam ordinem in duratione secundum accessionem et recessionem partium variationis in motu. Si igitur omnes motus habent prius et posterius importantia quendam ordinem in duratione, ut dictum est[36]), et periodi animarum similiter, cum non sint nisi ipsorum motuum, quibus sua mobilia restituuntur ab eisdem ad eadem.

At si quidem. Hic ostendit auctor tempus diversari secundum diversitatem periodorum dicens: At si pro certo eaedem essent periodi omnium animarum et circa eadem spatia propter identitatem mobilium, et utique idem esset tempus omnium periodorum; sed si (pro: quia) aliae sunt restitutiones aliarum et aliarum periodorum, necessarium est tempus periodicum restitutivum aliarum periodorum esse aliud et aliud.

Ubi notandum est, quod tempus acceptum secundum proprietatem suae substantiae, qua dicitur numerus, est in quolibet motu sicut in subiecto, et sic ipsum est aliud et aliud secundum diversitatem motuum. Si vero accipiatur, inquantum habet rationem mensurae, sic proprie est solum in primo motu, ut supra dictum est, qui est primi mobilis, et sic etiam acceptum est, inquantum habet unum omnium temporalium.

Quae quidem igitur. Hic auctor probat tertiam partem elementi sic: Omne, quod primitus mensuratur a tempore, mensuratur toto tempore; sed periodus prime animae primitus mensuratur a tempore; ergo mensuratur toto tempore.

Maior probatur, quia, si tempus est mensura omnis motus, illud, quod primitus movetur (scilicet primum mobile), erit per motum suum participans omni (sive toto tempore) et mensuratum ab omni (sive toto); totum enim omne et perfectum idem, quia, si totum tempus non est mensurans illud, quod est ipso primo seu primitus participans, tunc sequitur necessario, quia etiam ipsum tempus acceptum secundum totum se ipsum nullum aliud secundario participans se ipso mensurabit; semper enim illud, quod primo, est ante secundarium.

[36]) cf. supra, prop. 200 B

243 omnes *om.* *V* 253 at: ac *V* 256 aliarum[1]: aliorum *V* | aliarum[2]: aliorum *V* 259 tempus: tempore *V* 268 tempus: tempore *V* 271 illud: id *O*

Quod autem. Hic probatur secunda pars elementi sic: Omne particularius mensuratum a tempore mensuratur particulariori tempore quam totalius, et sic mensuratur quodam determinato tempore et non omni; sed omnis periodus aliarum animarum citra primam est particularior ipsa periodo, quae primitus toto tempore mensuratur; ergo periodus aliarum animarum a prima quodam et non omni tempore mensuratur.

Circa istam rationem sic proceditur, quia primo ponitur eius conclusio, secundo minoris probatio ibi: *Si enim*, tertio probatio maioris subiungitur ibi: *Minoris.*

Minorem vero deducit sic, quia, si particulariores animae non sunt primitus tempore participantes, tunc etiam neque adaptabunt suas periodos primo tempori simul toti; sed multae restitutiones ipsarum particularium animarum erunt partes unius periodi et restitutionis, quam (scilicet restitutionem) restituit ea anima, quae primitus tempore participat, ut supra ostensum est[37]).

Deinde ibi: *Minoris* vero. Deducitur maior principalis rationis, quia minoris potentiae est particularior participatio, sed maioris potentiae est maior participatio. Ista tamen pars potest continuari cum probatione minoris, et forte magis proprie, propter hoc, quod subinfertur ex praemissis, cum dicitur: Ergo aliae animae a prima non sunt natae suscipere totum temporale metrum secundum unam vitam, scilicet unius periodi sortientes seu adeptae inferiorem ordinem eius sive ab ea anima, quae primitus tempore mensuratur, vel eius vitae, quae primitus etc.

[37]) cf. supra, prop. 200 F

288 minoris *coni.*: minores *codd.* 294 etc. *om. sed suppl. m. post. V*

PROPOSITIO 201
OMNES DIVINAE ANIMAE TRIPLICES HABENT OPERATIONES: HAS QUIDEM UT ANIMAE, HAS AUTEM UT SUSCIPIENTES INTELLECTUM DIVINUM, HAS AUTEM UT DIIS EXTRAIUNCTAE. ET PROVIDENT TOTIS UT DII, COGNOSCUNT AUTEM OMNIA SECUNDUM INTELLECTUALEM VITAM, MOVENT AUTEM CORPORA SECUNDUM PER SE MOBILEM EXISTENTIAM.

Habita per 184[1]) distinctione animarum in divinas animas et quandoque intelligentes et semper intelligentes nunc auctor volens redire ad comparationem istarum animarum inter se praemittit unam proprietatem omni divinae animae inexistentem dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam animae divinae descriptionem, secundo eius inter intellectuales hypostases et naturam universalem mediationem, tertio ex hoc ipsius ad alias animas differentiae assignationem.

A De primo sciendum, quod anima divina a quibusdam sic describitur, quod est »ens divinum formatum intellectualitate, determinatum ad mobile circulariter«[2]).

Dicitur autem anima ens, quod est omnium divina proprietate participantium et deificatorum primum et supremum, per 138[3]), sed non qualecumque ens, sed divinum, quod inquantum huiusmodi essentiam habet bonitatem seu unitatem: Bonum enim uni idem per 13[4]); potentiam vero unialem, sed cognitionem occultam et incomprehensibilem omnibus simul secundis per 121[5]). Tale etiam ens divinum seu unum existens utrumque secundum posthabitionem formatum est intellectualitate, et sic determinatum est ad speciem, cum intellectus sit species. Non solum autem anima determinatur ad speciem, sed etiam ad individualem hypostasim per respectum essentialem ad circulariter mobile, cui etiam est principium motus, quem sibi inquantum per se mobile imprimit.

1) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
2) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 26; Palazzo 17,390–391; ex Alb., De caus. et proc. univ. II 1 13; Fauser 76,19–20
3) Procl., Elem. theol. 138; Dodds 122,7–8; Boese 69,1–2
4) Procl., Elem. theol. 13; Dodds 14,24–25; Boese 10,1–2
5) Procl., Elem. theol. 121; Dodds 106,10–12; Boese 60,1–3

11 etc. *om.* V

»Et ex hoc intelligitur, quod in *De causis*[6]) dicitur, quod prima causa creavit esse animae mediante vadich et alachir[7]), quod Arabice dictum Latine sonat intel-
30 ligentiam et circulum caelestem[8]), referendo singula singulis, non tamen ita, quod causa prima utatur caelo sive circulo caelesti pro medio, quia sic mobile esset causa motoris, sed, quod forma intelligentiae sit media in esse et definitione animae divinae et quod terminus completivus rationis animae sit proportio ad alachir«[9]), quia ex tali proportione et respectu individuatur ipsius animae hypostasis, ut iam supra dictum est.

Ex dicta descriptione colligitur omnem divinam animam habere tres partes formales intrinsecas et essentiales animae substantiam integrantes, scilicet unum, quod est divinum, et intellectum, quo specificatur, et animealitatem, qua quasi individuatur.

40 Sed ista inferius magis apparebunt[10]).

Et hoc de primo.

»Verum secundum hoc natura animae divinae inquantum huiusmodi media B
est inter intellectuales hypostases et naturam[11]) universalem, habens ad utrumque ipsorum habitudinem aliquam, sed diversimode.

Ad intellectuales enim hypostases se habet sicut participans ab ipsis intellectualiter formas seu species intellectuales, causales et operativas, quae perceptio est ex parte intellectualis hypostasis per influentiam causalem et per applicationem seu extraiunctionem ex parte animae[12]); et non est per generationem scientiae sicut in nobis, sed per talem participationem, ut exemplariter dicatur, sicut in rebus
50 humanis anima partialis secundum inferiorem partem – id est concupiscibilem et irascibilem – participat ratione, ut dicit Aristoteles[13]), sic et anima divina participat intellectualitate per intellectum, qui est una partium ipsius, sicut supra habitum est[14]) et inferius apparebit[15]). Nam in omnibus, quae de tali participatione dicuntur, licet loquamur de anima quasi de alia substantia, quam sit intellectus, quem

6) Lib. de caus. 3,n.32; Pattin 140,13–14
7) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 13; Fauser 76,24–25
8) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 1 13; Fauser 76,18–19
9) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 26; Palazzo 17,391–399; ex Alb., De caus. et proc. univ. II 1 13; Fauser 76,25–33
10) cf. infra, prop. 201 D
11) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 37; Fauser 131,30–31
12) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 37; Fauser 130,48–52
13) Arist., Eth. Nic. I 13, 1102b30–31
14) cf. supra, prop. 201 A
15) cf. infra, prop. 201 D

32 forma *coni.*: formae *codd.* 44 habitudinem *add.* ad *V*

participat, tamen non est intelligendum hoc nisi sic, ut Aristoteles[16]) loquens de anima humana vocat intellectum partem eius intrinsecam essentialem, ubi dicit: "De parte autem animae, qua" intelligit "et sapit", et sic intellectivum, sensitivum et vegetativum sunt secundum triplicem eius naturam, cum tamen sit una substantia.

Eodem modo proportionaliter est de partibus animae divinae.

Cum enim in ordine causarum sequens causa accipiat et esse et virtutem causandi a causaliori per 56 in commento[17]), patet etiam sic esse inter intellectuales hypostases et animam: Hoc autem convenit ei, inquantum est intellectualis, id est inquantum participat intellectu, a quo proxime subsistit, per 193[18]).

Sic etiam in nobis natura sensibilis participat ratione ex hoc, quod est in una substantia cum ratione, et hoc est continuans inter animam divinam et intellectuales hypostases, quia non vehitur forma de uno in aliud nisi per aliquod continuans, quod est in utroque. Ad naturam vero universalem se habet sicut influens ei formas seu species perceptas ab intellectuali hypostasi et praeparans ipsum corpus caeleste ad vitam intellectualem et ad motum intellectualem, qui est motus circularis[19]), quia species, quas prime bonum, quod est ex se deus et primus fons, habet in se ut simpliciter principium, sicut artificiata sunt in intellectu artificis[20]), illas ipsum prime bonum influit intellectuali hypostasi intellectualiter; unde et omnis talis intellectus est plenitudo ens specierum per 177[21]), et ulterius intellectualis hypostasis influit eas animae divinae animealiter, et sic omnis anima talis omnes habet species, quas intellectus habet prime, per 194[22]).

Dico autem animealiter ita, quod sint in ipsa anima species determinatae ad figuras et ad esse naturale diversum diversorum; et anima divina influit huiusmodi species naturae universali, quae consistit in caelis et virtutibus caelorum.

Hanc autem influentiam facit anima divina, inquantum est anima, id est inquantum extensione suae potentiae expanditur in corpus caeleste, ut ipsum totum comprehendat et terminando contineat. Sic enim omnis actus corporis penetrando id, cuius est actus, expansus est in ipsum[23]), et per hanc potestativam expansionem huius animae divinae in diversas sui mobilis partes, quae sunt ante et retro, dextrum et sinistrum, superius et inferius[24]), causatur extensio quantitativa in ipso

16) Arist., De an. III 4, 429a10 sqq.; transl. vetus: Stroick 177,73 sqq.
17) Procl., Elem. theol. 56 comm.; Dodds 54,7–22; Boese 30,4–31,18
18) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1
19) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 36; Fauser 129,72–75
20) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 35; Fauser 128,28–30
21) Procl., Elem. theol. 177; Dodds 156,1; Boese 87,1
22) Procl., Elem. theol. 194; Dodds 168,30; Boese 95,1
23) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 36; Fauser 129,11–13
24) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 37; Fauser 131,6–7; cf. etiam Arist., De cael. II 2, 284b21–22; transl. Gerardi: Opelt 109,83–84; 284b30–32; transl. Gerardi: Opelt 110,70–71

66 aliquod: aliud *V*

mobili, quia omnis diversitas, quae est in corpore subiecto et in partibus eius, est a diversitate potestatum formae[25]); cuius signum est in animalibus, ubi omnis diversitas organorum est a diversitate potestatum animae[26]).

Cum ergo corpus caeleste sit aptius ad huiusmodi formas recipiendas, quam aliquis spiritus corporalis esse possit[27]), patet, quod ipsum multo potius recipere potest huiusmodi formas quam talis spiritus; et cum talis expansio concernat hic et nunc, quae sunt contraria rationi intellectus[28]), manifestum est, quod hoc convenit huic animae, inquantum anima est et non secundum quod est divina vel intellectualis«[29]).

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet, quod »anima divina, cum sic sit medium inter intellectuales hypostases et universalem naturam, participat naturam extremorum ita, quod in ipsa sunt intellectualia et naturalia et sensibilia, sed diversimode; et hoc secundum se et absolute et in comparatione ad inferiores animas, quae sunt animae solum, quia intelligibiles formas recipit intellectualiter et iconice, formae autem sensibiles sunt in ipsa exemplariter, per 195[30]), et sic causaliter secundum causalitatem causae effectivae substantialis, quia, licet recipiat eas ab intellectualibus hypostasibus, ut dictum est[31]), non tamen recipit eas in forma patientis et quiescentis, sed in forma et virtute agentis[32]). C

Et ideo huiusmodi anima praeparativa est sui mobilis ad susceptionem huiusmodi formarum[33]) et per ipsum causat eas in materia generabilium et corruptibilium.

Est etiam secunda differentia, quod formae sensibiles sunt in anima divina, sicut in causa formali exemplari sunt exemplata[34]), quia ipsa se exemplificat in omnibus sensibilibus per motum sui mobilis, quod movetur sub diversitate figurarum[35]). Intelligibilia autem sunt in ipsa per illustrationes intellectualium hypostasum et non per doctrinam vel experimentum[36]) sicut in nobis.

25) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 38; Fauser 131,54–56
26) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 38; Fauser 131,69–72; ex Averr., De an. II comm. 9; Crawford 144,11–145,51
27) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 36; Fauser 130,14–16
28) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 36; Fauser 129,68–69
29) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 27–28; Palazzo 17,400–19,446
30) Procl., Elem. theol. 195; Dodds 170,4–5; Boese 95,1–2
31) cf. supra, prop. 201 B; cf. etiam Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 27; Palazzo 17,400–18,418
32) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 37; Fauser 130,40–44
33) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 37; Fauser 131,12–14
34) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 39; Fauser 133,10–11
35) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 39; Fauser 132,72–74
36) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 39; Fauser 133,13–16

110 hypostasum: hypostasim *V*

Tertia quoque differentia est, quia intelligibilia sunt in anima divina per modum quasi accidentalem, id est qui accidit intellectualibus hypostasibus[37]), inquantum huiusmodi sunt, quia, cum forma intellectualis in intellectu sit una et simplex, ipsa quasi componitur et multiplicatur in anima divina per potentialem expansionem eiusdem animae in suum mobile. E contrario autem formae sensibiles in ipsa simplificantur et uniuntur, quia, sicut dicitur in *De causis*[38]) commento 3 propositionis, haec "virtus corporea" (id est, quam imprimit in corpora) "est in anima" nobili. Sic enim vocat divinam incorporea et "spiritualis"[39]), cum sit in ea immaterialiter utpote separata et agens universaliter omnia sensibilia«[40]).

Apparet etiam ex praedictis omnem divinam animam esse triplicis virtutis (scilicet divinae, intellectualis et animealis) et quod hae virtutes reducuntur in tria, ex quibus et in quibus subsistit substantia ipsius animae divinae, scilicet unum, intellectum et animam secundum se inquantum huiusmodi consideratam.

Et hoc de primo principali.

Circa propositum tria faciam: Declarabo primo, quod omnis anima divina habet tres partes intrinsecas et essentiales et ex hoc tres denominationes, secundo, quod ex talibus partibus habet tres operationes, tertio ex praemissis, secundum quas proprietates tales sic differentes exserat actiones.

D De primo sciendum, quod, licet super 197[41]) ostensum sit omnem animam participabilem ex sex constare intentionibus formalibus tamquam principiis intrinsecis essentialibus, tamen sicut et ibi ad tria recollecta sunt, scilicet substantiam, vitam et cognitionem, sic et hic ad tria recolliguntur, scilicet unum, intellectum et animae residuam substantiam.

Quod ut clarius appareat, advertendum, quod, quamvis omnis anima sit impartibilis per 187[42]), utpote incorporea et separabilis a corpore per 186[43]), tamen nihilominus media existens impartibilium et specierum circa corpora partitarum per 190[44]) non est omnino impartibilis, sicut sunt intellectuales hypostases et eis superiora, nec quantitativae sive per se sive per accidens partibilis sicut inferiora ipsa anima.

Et sic necessario habet partes intrinsecas et essentiales, cum sit individua, de cuius ratione est habere partes, et hoc sive post totum sicut in quantitativis sive in toto ut in nullam habentibus omnino magnitudinem, qualis est anima, de qua agitur, quia principia formalia quamlibet animam, etiam divinam, constituentia

37) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 41; Fauser 135,4–5
38) Lib. de caus. 13(14),n.121; Pattin 165,33–166,34
39) cf. Alb., De caus. et proc. univ. II 2 40; Fauser 134,2–4
40) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 1 29; Palazzo 19,447–20,469
41) cf. supra, prop. 197 A
42) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
43) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
44) Procl., Elem. theol. 190; Dodds 166,1–2; Boese 92,1–2

123 intellectum: intellectivum *V* 126 faciam: fa *sed exp. O* 130 sit: est *O*

nec manent absolute in ratione et proprietate principiorum sicut in entibus secundum speciem, puta in intellectualibus hypostasibus et quae eis sunt superiora, quae etiam ex hoc sunt separata ab hic et nunc et omni proprietate individuali, nec etiam omnino determinantur in ulteriorem naturam, scilicet corporis, sed remanent medio modo inter ista extrema in animae constitutione.

Et ideo ipsae divinae animae, licet non sint partibiles et habentes partes post totum ut individua quantitativa, tamen, quia etiam non sunt simpliciter impartibiles et stantes solum in principiis formalibus et ante totum sicut entia secundum speciem, ut dictum est, necessario habent quandam alietatem et partibilitatem intrinsecam essentialem in partibus in toto, quae non ponunt in numerum sicut partes post totum, cum quaelibet talis pars dicat totam essentiam animae, licet non totaliter, hoc est secundum omnem modum.

Partes autem istae considerantur in omni anima divina ratione supremi in eis, quod coniungitur, et sic assimulatur diis – omnis enim copulatio fit per similitudinem –, et tale supremum dicitur et est unum ipsius animae divinae, sicut patet per auctorem libro *De fato et providentia*[45]) cap. 8; et ratione infimi, quo coniungitur corpori subiecto ipsum animans et vivificans et movens, et ibi ipsa anima dicitur et est per se mobilis existentia.

Inter ista autem duo, scilicet supremum et infimum animae, est necessario medium, puta intellectus, quo anima divina assurgit ad participationem divinae unitatis. Ratione primi seu supremi vocatur et est anima divina deus animealiter per 185[46]); ratione medii est intellectualis; ratione infimi est anima solum.

Et hoc de primo.

Verum quia parti, cum habeat quodammodo modum substantiae completae in divinis animabus, cuius proprium est agere et pati secundum Aristotelem[47]) vel universaliter operari, competit agere vel universaliter operari, ideo secundum trinitatem talium partium in omni divina anima inveniuntur tres virtutes ex triplici natura et proprietate, quam in ratione suae partibilitatis includit, et ex hoc tres operationes. E

Cum enim in ea sit unum, quod est quasi vestigium prime unius, quod est ex se deus, necessario tale consequitur virtus divina per participationem, et per illam habet operationem divinam, quae est providere totis: omnis enim deus in sua existentia totis habet providere et primitus providere in diis per 120[48]). Cum igitur divina anima sit deus animealiter, ipsius erit totis providere, sicut et dii provident.

Istam autem divinam operationem auctor *De causis*[49]) dicit consistere in hoc, quod ipsa anima nobilis praeparat naturam corporis caelestis ad susceptionem motus influendo ei formas suas per virtutem, quae est in ea a causa prima.

45) Procl., De prov. 8,n.31; Boese 140,6–7
46) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,1; Boese 90,1
47) Non inveni, sed cf. Averr., De cael. I comm. 63; Carmody–Arnzen 120,10–121,17
48) Procl., Elem. theol. 120; Dodds 104,31–32; Boese 60,1–2
49) Lib. de caus. 3,n.28; Pattin 139,1–3

151 ut: nec *O* 155 animae *om. V*

Est etiam in ea intellectus, qui est illustratio intellectualium hypostasum, et ex hoc est ibi virtus intellectualis, per quam elicit operationem intelligibilem, cognoscendo omnia secundum intellectualem vitam sicut et intellectus: Omnis enim intellectus omnia simul intelligit, sed qui quidem imparticipabilis, simpliciter omnia, eorum autem, qui post illum, unusquisque secundum unum omnia per 170[50]).

Istam etiam operationem dicit auctor *De causis*[51]) esse in eo, quod scit res per virtutem intelligentiae, quae est in ea.

Est etiam tertio per se mobilis existentia, et sic inest sibi virtus propria, scilicet movendi corpora, quoniam ipsa movet, ut dicit auctor *De causis*[52]), corpus primum et omnia corpora naturalia, quoniam ipsa est causa corporum et causa operationis naturae.

Ex dictis igitur colligitur, quod secundum triplices partes divinae animae sunt tres virtutes et totidem operationes.

Qualiter autem parti attribuatur operatio, manifestum erit ex dicendis.

Ubi sciendum, quod pars dicitur operari dupliciter: uno modo per modum instrumenti – et sic operari convenit toti per se, parti vero per accidens, sicut visio est oculi sicut instrumenti et per accidens, hominis autem per se –, alio modo intelligitur pars operari per se, et hoc dupliciter: uno modo, ut tantum ipsa pars agat sive operetur, ita videlicet, ut talis operatio non communicetur toti, et sic ipsa operatio convenit parti per se, toti vero per accidens, sicut manus infrigidata infrigidans aliquid, cui apponitur; alio modo, ut talis operatio partis communicetur toti, et tunc primo et per se convenit talis operatio parti, per se autem, sed non primo convenit ipsi toti.

Sic ergo istis partibus praeenumeratis, scilicet uni, intellectui et per se mobili existentiae, primo et per se convenit operari sive divine ut per unum sui diis extraiunctae, per quod providet totis, sive intellectualiter ut suscipientes intellectum divinum, quo cognoscunt omnia, sive animealiter, id est secundum quod est anima; sicut enim ipsa est principium motus, non est autem principium motus, nisi esse suum specificatum intellectualitate aliqua parte determinetur et individuetur, et sic inclinetur et proportionetur ad mobile circulariter. Ex hoc enim habet naturam animae et virtutem animealem, per quam etiam habet operationem animealem corpus movendo, ut dictum est.

Toti autem animae conveniunt tales operationes per se, sed non primo.

Et hoc de secundo.

50) Procl., Elem. theol. 170; Dodds 148,4–5; Boese 83,1–3
51) Lib. de caus. 3,n.29; Pattin 139,4–6
52) Lib. de caus. 3,n.30; Pattin 140,7–10

189 inest: est *V* 203 talis ... (204) convenit *om. V* 207 providet *coni.*: providet *codd.*
209 sicut: sic *V*

Ex praemissis sequitur tertium, quod divinae animae per unum sui provident, F
quo habent universalem providentiam et causalitatem sicut dii, qui sunt unitates per se perfectae, per 114[53]), et cognoscunt omnia secundum intellectivam vitam quantum ad intellectum, qui in eis est separatus, impassibilis, immixtus et substan-
220 tia actu ens[54]). Movent autem corpora secundum proprietatem, qua sunt animae, scilicet secundum per se mobilem existentiam, qua etiam ad corpora inclinantur, quibus essentialiter uniuntur.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Quia enim naturaliter participant supra positis et sunt non animae simpliciter, sed divinae animae proportionalem diis ordinem in animarum latitudine statuentes, operantur non animealiter solum, sed et divine, summitatem suae essentiae indivinatam sortitae. Et quia individualem hypostasim habent, propter quam et substratae intellectualibus substantiis sortiuntur, operantur igitur non divine solum, sed et intellectualiter, hanc quidem
230 *secundum unum, quod est in ipsis, hanc autem secundum intellectum locantes operationem. Tertia autem ipsis adest, quae secundum propriam existentiam operatio, motiva quidem existens eorum, quae natura ab altero moventur, vivificativa autem superadductam habentium vitam. Omnis enim animae hic est proprius effectus, alia autem secundum participationem ut intelligere et providere.*

Probatio elementi talis est.

Omne statuens in latitudine animarum proportionalem ordinem ipsis diis, et sic sortitum summitatem suae essentiae indivinatam, et quia individualem hypostasim habet, propter quam substratum sortitur intellectualibus substantiis eorum (scilicet virtutem) participando, omne, inquam, tale habet triplices operationes:
240 has quidem ut anima solum, has autem ut suscipiens divinum intellectum, has autem ut diis extra per similitudinem iunctum; sed omnes divinae animae sunt huiusmodi.

Istius rationis primo ponitur minor et deinde conclusio ibi: *operantur igitur* etc.

Minorem autem sic deducit, quia divinae animae, cum sint primae in ordine animarum, naturaliter participant supra positis: Omnis enim ordinis prima formam seu proprietatem habent eorum, quae ante ipsa per 112[55]); supra vero animam divinam sunt intellectus et unum per 129[56]); igitur non sunt animae solum, sed divinae animae statuentes in latitudine diffusionis et multiplicatis animarum pro-

53) Procl., Elem. theol. 114; Dodds 100,16–17; Boese 57,1–2
54) cf. Arist., De an. III 5, 430a17–18
55) Procl., Elem. theol. 112; Dodds 98,33–34; Boese 56,1
56) Procl., Elem. theol. 129; Dodds 114,12–15; Boese 65,1–5

244 divinae animae: animae divinae *O*

portionalem ordinem ipsis diis. Sunt enim dii animealiter per 185[57]), et per consequens operantur non solum animealiter, scilicet secundum propriam existentiam, sed et divine sicut sortitae summitatem suae essentiae indivinatam per assimulationem et unionem sui ad deos per supremum sui, scilicet unum.

Sic ergo habemus duas partes minoris.

Et quia ipsae divinae animae habent individualem hypostasim (vel ut dicit alius textus: indivisibilem hypostasim), propter quam etiam sunt substratae sive immediate sublocatae intellectualibus substantiis, quarum proprietatem et virtutem sortiuntur; omnium enim, quae secundum unamquamque seyram disponuntur, prima quidem et monadi suae coniuncta participare possunt locatis in supra posita proxime seyra per analogiam per primam partem 110[58]).

Operantur ergo etc. Hic infertur conclusio ex praemisso medio, quia animae divinae sunt et animae et divinae et intellectuales, ergo operantur non solum divine, sed et intellectualiter, hanc quidem (scilicet divinam operationem) habent secundum unum, quod est in ipsis supremum, hanc autem (scilicet intellectualem operationem) locantes secundum intellectum, qui est media pars inter extrema; sed tertia operatio adest ipsis animabus divinis, quae est secundum propriam existentiam (scilicet inquantum anima), quia pro certo ipsa est existens motiva eorum, quae naturaliter ab altero moventur (scilicet corporum), sed et est vivificativa habentium vitam superadductam (scilicet quae non vivunt per se), quia hic est proprius effectus omnis animae (scilicet movere et vivificare); sed alia duo, ut intelligere et providere, insunt animae non per essentiam, sed secundum participationem.

57) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,1; Boese 90,1
58) Procl., Elem. theol. 110; Dodds 98,1–3; Boese 55,1–3

254 vel ... (255) hypostasim *om. sed suppl. m. post. V* 257 seyram: seyra *V* syram *O*

PROPOSITIO 202
OMNES ANIMAE DEORUM CONTEMPLATRICES ET SEMPER ASSEQUENTES DIIS INFERIORES QUIDEM SUNT DIVINIS, SUPEREXPANSAE SUNT AUTEM PARTIALIBUS ANIMABUS

Ostensa proprietate divinarum animarum nunc auctor comparat intellectuales animas divinis et humanis quoad inferioritatem et superioritatem dicens: OMNES etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam contemplationis descriptionem et divisionem, secundo contemplationis intentae consecutionem et tertio ex praemissis suppositi intentionem.

De primo sciendum, quod contemplatio secundum quid nominis est totalis A templatio sive visio, sed secundum quid rei est "verus certusque intuitus animi de quacumque re sive apprehensio rei non dubia"[1]); vel sic: Contemplatio est "consideratio se in se recolligens et inquantum divinitus" adunatur, se a "rebus humanis eximens"[2]). Haec Bernardus.

Vel sic secundum Richardum libro I *De vita contemplativa*[3]) cap. 3: "Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiae spectacula cum admiratione suspensa".

Vel sic: "Contemplatio est perspicax et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus"[4]).

Posset tamen et sic describi: Contemplatio est substantiae intellectualis se ipsam et omnia existentia et non existentia excedentis irretentibiliter, firma et indeclinabilis ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium, sicut decet, extensio.

In ista descriptione extracta a divino Dionysio contemplatio substantiae intellectualis ponitur pro genere, quae vero sequuntur, sunt loco differentiarum, quorum primum est se ipsam excedentis etc. Istam condicionem tangit ipse Dionysius in *Mystica theologia*[5]) I cap. in principio post orationem dicens: "Tu autem, amice Thimotee, circa mysticas visiones (alia translatio[6]): circa mysticos intellec-

[1]) Bern., De consider. II 2 5; Leclercq–Rochais 414,6–7
[2]) Bern., De consider. V 2 4; Leclercq–Rochais 469,16–17
[3]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. I 4; Aris 9,25–26
[4]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. I 4; Aris 9,27–28
[5]) Dion., De myst. theol. 1 1; PG 3,997B–1000A; Ritter 142,5–11; Simon 457,66–70; Dionysiaca 567B–569A
[6]) Non inveni

6 omnes etc.: omnis *V* 9 descriptionem ... (10) contemplationis *om. O* 13 templatio: contemplatio *sic corr. m. post. V* 15 in se recolligens: in re colligens *V* | adunatur: adiuvatur *O* | se a rebus: a rebus se *O* 29 Thimotee: thymiothee *O*

tus) forti contritione (sive: corroborato itinere, secundum aliam translationem[7])) et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia et omnia existentia et non existentia, et sicut est possibile, ignote consurge ad eius unitionem, qui est super omnem substantiam et cognitionem. Et enim excessu tui ipsius et omnium irretentibili absolute, et munde ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium, cuncta auferens et a cunctis absolutus sursum" agens.

Et infra[8]): "Et" solum "non velate et vere apparet his, qui immunda et munda transeunt, et omnem" sanctum "extremitatum ascensum supereveniunt, et omnia divina lumina et sonos et sermones caelestes derelinquunt et ad caliginem introeunt:" Ibi enim "est, sicut Eloquia dicunt, qui est super omnia".

Et infra[9]): "Et tunc ab ipsis absolvitur visis et videntibus et ad caliginem ignorantiae intrat" etc.; quae invenies signata super 123 ante finem[10]).

Subiungitur autem in dicta descriptione firma etc., quia, sicut idem Dionysius dicit I cap. *De divinis nominibus*[11]) loquens de supersubstantiali et occulta deitate: "Ipsius quidem, quod quid est scientia et contemplatio omnibus est invia existentibus etc., et ad possibilem ipsius contemplationem et communionem et assimulationem extendit sanctas mentes: quae ipsi, sicut est fas et decet sanctos, se immittunt, et neque ad superius, quam convenienter data" sit "Dei" apparitio, "superbe praesumunt, neque ad inferius ex subiectione ad peius prolabuntur; sed firme et indeclinabiliter ad radium ipsius supersplendentem extenduntur, et cum mensurato amore convenientium illuminationum, cum reverentia sancta, et caste, et sancte alias elevantur".

Haec Dionysius.

Est autem duplex contemplatio, scilicet viae et patriae, sive vitae praesentis et futurae, sicut innuit ipse Dionysius ubi iam supra[12]).

Quarum prima adhuc habet sex genera, sicut declarat Richardus libro I *De vita contemplativa*[13]) cap. 6 in haec verba: "Sex autem sunt contemplationum genera a se et inter se omnino diversa. Primum itaque est in imaginatione et secundum solam imaginationem, secundum est in imaginatione secundum rationem, tertium est in ratione secundum imaginationem, quartum est in ratione et secundum rationem, quintum est supra rationem, sed non praeter rationem, sextum est supra rationem et videtur esse praeter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia".

Et hoc de primo.

7) transl. Eriugenae: Dionysiaca 567C
8) Dion., De myst. theol. 1 3; PG 3, 1000C; Ritter 143,13–17; Simon 459,82–84; Dionysiaca 573C–574B
9) Dion., De myst. theol. 1 3; PG 3, 1001A; Ritter 144,9–10; Simon 461,84; Dionysiaca 577A–B
10) cf. supra, prop. 123 L; Retucci 134,323–328
11) Dion., De div. nom. 1 2; PG 3, 588C et 588D–589A; Suchla 110,5–6 et 110,13–111,2; Dionysiaca 13C–D et 15C–17A; transl. Sarraceni: Simon 9,78 et 14,78–82
12) Dion., De myst. theol. 1 3; PG 3, 1000C; Ritter 144,3–9; Simon 461,81–84; Dionysiaca 575C–577A

30 corroborato: roborato *V* 31 et[3] *om. V* 34 irretentibili: irretentibiliter *V* 35 absolutus: absolutis *O* 53 viae: vitae *O* 60 sextum ... (61) rationem[2] *om. V*

De secundo notandum, quod secundum Richardum[14]) V libro 2 cap. "tribus" B "modis" "contemplationis qualitas", quam aliquis in via consequitur, "variatur: Modo enim agitur mentis dilatatione, modo mentis sublevatione, aliquando autem mentis alienatione".

"Ille autem modus contemplationis, qui fit mentis dilatatione", ut subiungit in 3 cap.[15]), "tribus solet gradibus excrescere": traditione, "exercitatione et attentione". "Nihilominus autem" – ut dicit 4 cap.[16]) – "ille contemplandi modus, qui mentis sublevatione accidit, tribus gradibus accrescit: intelligentia namque humana divinitus inspirata et illo caelesti lumine irradiata aliquando sublevatur supra scientiam, aliquando etiam supra industriam, aliquando autem etiam supra naturam". "Tribus autem de causis, ut mihi videtur, in mentis alienationem adducimur" – ut dicit 5 cap.[17]) –. "Nam modo prae magnitudine devotionis, modo prae magnitudine admirationis, modo prae magnitudine exultationis". "Fit etiam" – ut dicit 8 cap.[18]) – "aliquando eiusmodi mentis alienatio occurrentibus sibi invicem hinc aestuantis animae desiderio, illinc mirando aliquo divinae revelationis spectaculo" ... "saepe enim in mente humana agitur, ut, dum nimio caelestis desiderii incendio uritur, aliquid ex divina revelatione videre mereatur, unde ad illos theoricos excessus adiuvetur".

Et infra 9 cap. [19]): "Quis autem nesciat inde fieri admirationem, cum aliquid cernimus praeter spem et supra aestimationem? Novitas itaque visionis et rei vix credibilis adducere solet admirationem mentis, quando aliquid incipit videri, quod vix posset credi".

Et infra[20]): "Crescit itaque ex admiratione attentio et ex attentione cognitio".

Et infra[21]): "Sed in eiusmodi sublevatione dum mens humana semper ad altiora crescit, dum diu crescendo tandem aliquando humanae capacitatis metas" excedit.

Et infra 14 cap.[22]): "Quamvis enim contemplatio et speculatio pro invicem poni soleant" ... "aptius tamen et expressius speculationem dicimus, quando per speculum cernimus; contemplationem vero, quando veritatem sine aliquo involucro umbrarumque velamine in sui puritate videmus".

[13]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. I 6; Aris 12,13–18
[14]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 2; Aris 124,18–20
[15]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 3; Aris 126,15–16
[16]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 4; Aris 127,26–29
[17]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 5; Aris 129,3–5
[18]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 8; Aris 131,33–34 et 133,11–13
[19]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 9; Aris 133,18–20
[20]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 9; Aris 133,29
[21]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 9; Aris 134,5–7
[22]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 14; Aris 143,18–19 et 143,20–23

69 traditione *an* arte *scrib. est?* 73 autem *om. O* 78 spectaculo *an* speculo *scrib. est?*
85 posset *an* possit *scrib. est?*

Et infra 15 cap.[23]): "Nemo autem tantam cordis exultationem vel sublevationem de suis viribus praesumat vel suis meritis ascribat. Constat hoc sane non meriti humani, sed muneris esse divini".

Haec Richardus de contemplatione viae.

Sed Dionysius 4 cap. *De divinis nominibus*[24]) brevius se expedit, ubi loquitur de motu contemplativo animarum, dicens: "Animae autem motus circularis quidem ad se ipsam introitus ab exterioribus, et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio sicut in quodam circulo, non errare ipsi largiens, in multis exterioribus ipsam" etiam "congregans" prius "ad se ipsam, deinde sicut" informem "factam uniens unitive unitis virtutibus, et ita ad pulchrum et bonum manuducens, quod est super omnia existentia et unum et idem et sine principio et interminabile".

Haec Dionysius.

Qualiter autem congregetur ad se ipsam et bono prime uniatur, explicat post 7 cap.[25]) dicens: "Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit; unitionem autem excedentem mentis naturam (alia translatio[26]): unitatemque superexaltatam), per quam coniungitur ad ea, quae sunt supra ipsam. Secundum hanc igitur divina oportet intelligere, non secundum nos, sed totos nos ipsos extra totos nos ipsos statutos et totos deifactos".

Et infra[27]): "Propter divinam sapientiam et animae rationale habent, diffusive quidem et circulo circa existentium veritatem circueuntes: et divisibili et largissimo varietatis, deficientes ab unitivis mentibus; multorum autem ad unum convolutione, et intellectibus aequalibus angelis – inquantum animabus est proprium et possibile dignae" Deo "habitae".

Haec Dionysius de contemplatione viae.

Sed contemplatio patriae est earum animarum, quae "simplices et beatos habent intellectus: non indivisibilibus aut divisibilibus aut sensibus aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem, neque ab aliquo communi ad ista simul actae; ab omni autem materiali multitudine mundae existentes, intellectuali-

[23]) Richard. de S. Vict., Beniam. mai. V 15; Aris 143,31–33

[24]) Dion., De div. nom. 4 9; PG 3, 705A; Suchla 153,10–16; Dionysiaca 190C–192A; transl. Sarraceni; Simon 202,79–82

[25]) Dion., De div. nom. 7 1; PG 3, 865C–868A; Suchla 194,10–14; Dionysiaca 385A–386A; transl. Sarraceni: Simon 337,71–74

[26]) transl. Eriugenae: Dionysiaca 385C

[27]) Dion., De div. nom. 7 2; PG 3, 868B–C; Suchla 195,12–16; Dionysiaca 390C–391D; transl. Sarraceni: Simon 345,72–74

96 viae: vitae *O* 99 ipsam: ipsum *V* 116 possibile *suppl.*: *om. codd.* 121 actae *coni.*: acta *codd.*

ter, immaterialiter, uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt. Et est ipsis intellectualis virtus et operatio, munda et immaculata puritate resplendens, conspicaci divinorum intellectuum simplicitate et immaterialitate, et divinitus" unitivo et conformiter et uniformiter ad prime unum – "sicut est possibile – figurata".

Haec Dionysius[28]) de contemplatione angelorum.

Quae pro tanto adduxi de animabus sive totalibus sive humanis, deorum, immo prime Dei contemplatrices, quia secundum eundem, I cap.[29]), "quando incorruptibiles et immortales erimus et christiformem et beatissimum consequemur finem", "visibili ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa divinissima transformatione; intelligibili autem luminis datione ipsius", "impassibli et immateriali mente participantes et super mentem unitione", in "ignotis et beatis immissionibus superclarorum radiorum, in diviniore imitatione supercaelestium mentium. Nam aequales erimus angelis, ut veritas dicit Eloquiorum, et filii Dei, resurrectionis filii existentes[30])".

Haec Dionysius de cognitione patriae.

Quibus immediate de contemplatione viae subiungit[31]) dicens: "Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, et ex istis rursus ad simplicem et unitam intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extendimur; et post omnem secundum nos deiformem unitionem (alia translatio[32]): sedantes nostras intellectuales operationes) ad supersubstantialem radium, secundum quod est fas, nos immittimus: in quo omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter praeextiterunt".

Haec Dionysius de utraque contemplatione.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet tertium, scilicet quod solae animae beatae, quae sunt in statu omnium bonorum aggregatione perfecto adeptae summam beatitudinem, quae est idem divinitati, ut ostendit Boethius III libro *De consolatione*[33]) prosa 10, unde et infert: "Omnis igitur beatus Deus"; solae, inquam, beatae animae et deificatae sunt incessanter contemplatrices deorum. C

[28]) Dion., De div. nom. 7 2; PG 3, 868B; Suchla 195,3–11; Dionysiaca 388B–390C; transl. Sarraceni: Simon 343,79–84

[29]) Dion., De div. nom. 1 4; PG 3, 592B–C; Suchla 114,7–115,5; Dionysiaca 29C–31D; transl. Sarraceni: Simon 24,61–67

[30]) cf. Lc. 20,36

[31]) Dion., De div. nom. 1 4; PG 3, 592C–D; Suchla 115,6–11; Dionysiaca 31D–33A; transl. Sarraceni: Simon 24,67–25,68

[32]) non alia transl. esse videtur, sed textus transl. Sarraceni: Dionysiaca 32C–D; Simon 24,69

[33]) Boeth., Philos. cons. III 10; Moreschini 83,80–84,85

130 manifestissimis *coni.*: manifestissima *codd.* 138 viae *om. V* 141 omnem *coni.*: omnium *codd.* | deiformem *coni.*: deiformium *codd.* | unitionem: unitionum *V*

Hae enim non recurrunt aliquando ad ipsam summam ipsarum intelligentiam, sed firme et indeclinabiliter secundum statum suum perpetuum in ipsa stant, per quam, ut dicit auctor loquens de una et singulari anima libro *De fato et providentia*[34]) cap. 6 in fine, "videt quidem sorores ipsius in mundo animas caelumque et totam generationem secundum patris voluntatem sortitas, quarum et ipsa pars quaedam ens, illarum speculationem desiderat; videt autem supra omnes animas intellectuales substantias et ordines; supra omnem enim animam residet intellectus deiformis, qui et animae dat intellectualem inhabitum; videt autem rursus et ante haec eas, quae supra intellectum deorum ipsorum monades, a quibus intellectuales multitudines suscipiunt uniones".

Haec auctor, qui licet loquatur de contemplatione possibili animae in vita praesenti, tamen nihilominus verum est de contemplatione aeternali, prout talis contemplatio stat fixa immobiliter secundum unum et idem obiectum.

Talis enim anima simplicem et beatum adepta intellectum sive in sui in esse constitutione, sicut omnis anima totalis se habet, sive sui ab hoc ergastulo liberatione operans contemplatione divinissima, qualis est anima humana beata, omnis, inquam, talis anima non est quietans se ipsam ab exterioribus motibus vel interioribus, qui nulli ibi sunt, sed deus facta, ut animae possibile, cognoscet solum, qualiter dii omnia indicibiliter cognoscunt singuli secundum le unum, quod sui ipsorum. Sic enim tales animae semper assequentes sunt diis.

Et hoc de primo principali.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de animarum omnium communitate seu communi proprietate, secundo de intellectuum adeptorum et deos contemplantium ad divinas animas inferioritate, tertio de earundem ad partiales animas superioritate.

D De primo sciendum, quod, ut colligi potest ex praemissis, omnes animae participabiles conveniunt communiter in incorporeitate et a corpore separabilitate, impartibilitate, incorruptibilitate, per se vitalitate et ut sit media in impartibilitate et partibilitate, in substantiae aeternalitate et operationis temporalitate, in essentiali totalitate et nihilominus in essentiali intrinseca partibilitate et huiusmodi proprietatibus supra enumeratis, tamen, quia istae condiciones conveniunt analogice non solum in respectu ad imparticipabilem animam, sed etiam in ordine ad primas intra ordinem animealem, necessario in omnibus talibus proprietatibus perfectio-

34) Procl., De prov. 6,n.19; Boese 126,3–10

152 hae *coni.*: haec *codd.* 153 statum *coni.*: totum *codd.* 165 simplicem: simplicitatem *V* | in^2 *om. O* 167 humana beata: beata humana *O* 174 intellectuum: intellectu *V*

nem importantibus primae eminent mediis et hae extremis. Omnis enim divini ordinis prima maiori modo exempta sunt a proxime sub ipsis ordinatis quam haec a consequentibus, etc., per 130[35]), quia omnium eorum, quae secundum processum multiplicantur, prima sunt perfectiora secundis et secunda his, quae post ipsa, et consequenter eodem modo per 36[36]).

Et hoc de primo.

Verum ut hoc in proposito evidentius appareat, sciendum, quod partes intrinsecae et essentiales aliter se habent in primis quam in mediis et in his aliter quam extremis. E

Primae enim animae et ex hoc divinae, quia omnis ordinis prima formam habent eorum, quae ante ipsa, per 112[37]), in hoc eminent omnibus aliis animabus, quod unum utpote suprema pars ipsarum semper "habet divinum lumen desuper irradians" per commentum 185[38]), et sic producens ipsam totam animam ad esse et cognoscere secundum proprietatem unialem, inquantum operatio partis communicatur toti animae, ut existens deus animealiter habeat universalem providentiam et causalitatem super omnia, non solum inferiora quantum ad esse divinum sive specificum causandum et conservandum in eis per generationis continuitatem, sed et super animas medias et extremas, ad quas ut unitissimam habens potentiam in omnes transmittit unionem et unit totum ordinem animarum desuper manens in se ipsa. Et sic etiam cognoscit omnia unialiter modo divino, impartibiliter et superaeternaliter esse quidem aeternaliter entia, fieri autem temporaliter, quae fiunt neque tempore neque aeterno ente in le uno.

Ab ista autem excellenti eminentia deficit quodammodo unum animae intellectualis, quod, licet omnia sit unialiter et cognoscat, tamen minoratur ab uno animae divinae et consequenter intellectu et residua substantia ipsius propter naturalem, ut dictum est, eminentiam animae divinae ad intellectuales lumine intellectuali incessanter desuper illustratas, quae licet contemplentur semper deos per secundam partem 185[39]) utpote stantes consequenter diis et secundum intellectum perfectum semper operantes, tamen non sunt proprie loquendo dii animealiter, sed magis intellectus animealiter propter earum a divinis dependentiam animabus.

Et hoc de secundo.

Verum licet sint inferiores divinis animabus, tamen superexpansae sunt partialibus, quae, licet participent intellectu per intellectualem operationem, non potentes intellectu proxime participare seu intellectuali essentia, cuius adeptione ita, quod sit eis forma, carent, quamdiu sunt in generatione, quia alias non deciderent ab intellectuali operatione – operans enim per essentiam semper operatur, sicut F

35) Procl., Elem. theol. 130; Dodds 116,1–2; Boese 65,1–2
36) Procl., Elem. theol. 36; Dodds 38,30–32; Boese 22,1–3
37) Procl., Elem. theol. 112; Dodds 98,33–34; Boese 56,1
38) Procl., Elem. theol. 185 comm.; Dodds 162,4; Boese 90,5
39) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,2–3; Boese 90,3–4

185 hae *coni.*: haec *codd.* 192 et^2 *add.* iam *V* 202 potentiam *coni.*: positionem *codd.*

faciunt animae intellectum essentialem adeptae, propter quod et magis vocantur rationales quam intellectuales –, tamen dono Dei aliquando etiam in hac mortali vita, non iam suo intellectuali, sed etiam suo uniali seu uno altitudine contemplationis elevantur in visionem non solum deorum, quos posuit prime Deus suum latibulum, sed etiam eius, qui est Deus magnus dominus et rex magnus super omnes deos.

Sed post hanc vitam bene meritae animae Dei gratia (scilicet lumine gloriae) habebunt sibi proprios intellectus formaliter unitos, et sic complebitur eorum visio beata, inquantum videbunt Deum deorum dominum facie ad faciem specula in aeterna[40]).

Tali autem unione non carent intellectuales animae, verum semper habent eam dono prime Dei.

Et hoc etiam vocat auctor participationem intellectus per essentiam.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Divinae quidem enim et intellectu participant et divinitate, propter quod intellectuales sunt simul et divinae, et alias animas praecedunt secundum quod et dii entia omnia. Partiales autem animae et dependentiae ad intellectum attolluntur, non potentes proxime intellectuali essentia participare. Neque enim utique ab intellectuali operatione deciderent secundum essentiam participantes intellectu, sicut ostensum est prius. Mediae ergo sunt, quae semper diis assequuntur animae, intellectum quidem suscipientes perfectum, et hac partialibus superlatae; non adhuc autem et divinis unitatibus extraiunctae. Non enim divinus erat, qui participatur ab ipsis intellectus.

Probatio elementi talis est.

Omnes animae habentes medium ordinem inter divinas animas et partiales, inferiores quidem sunt divinis, sed sunt superexpansae partialibus animabus per 184[41]); sed omnes animae deorum contemplatrices et semper assequentes diis sunt huiusmodi; ergo omnes animae etc.

Minor istius rationis sic probatur: Illae autem animae, quas praecedunt animae divinae et quae superferuntur partialibus animabus, sunt habentes medium ordinem inter divinas animas et partiales; sed omnes animae deorum contemplatrices et semper assequentes diis sunt huiusmodi, quia pro certo divinae animae participant intellectu et divinitate, propter quod et sunt simul et intellectuales et divinae, et ex hoc praecedunt omnes alias animas, secundum quod et dii prae-

40) cf. I Cor. 13,12

41) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3

235 elementi *om. V* 237 divinitate *an* deitate *scrib. est?* 243 divinus *coni.*: divinis *codd.*
250 autem *om. V* 254 sunt *iter. O*

cedunt omnia entia, cum subsistant secundum supersubstantialem bonitatem per 119[42]). Sed et partiales animae attolluntur ipsi dependentiae ad intellectum, id est aliquando elevantur, ut dependeant ab intellectu intellectualiter, non solum secundum subsistere – omnis enim anima proxime ab intellectu subsistit per 193[43]) –, sed etiam secundum intelligere, quia sunt transmutantes ab intellectu ad non intellectum et e converso per 184[44]); et sic ipsae partiales animae non sunt potentes participare proxime intellectuali essentia, quia participantes secundum essentiam intellectu ita, quod sit eis forma[45]) per adeptionem neque deciderent ab intellectuali operatione, sicut ostensum est prius, per 175[46]). Ergo animae deorum contemplatrices et quae semper assequuntur ipsis diis, sunt mediae suscipientes pro certo perfectum intellectum, licet solum intellectualem per 183[47]), et hac sunt superlatae partialibus animabus, sed non sunt adhuc ex talis intellectus susceptione divinis unitatibus extraiunctae, quia intellectus, qui ab ipsis participatur, non erat divinus: omnis enim divinus intellectus participatus ab animabus divinis participatur per 182[48]).

42) Procl., Elem. theol. 119; Dodds 104,16; Boese 59,1
43) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1
44) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
45) cf. Alb., De caus. et proc. univ. I 3 4; Fauser 39,57–59
46) cf. supra, prop. 175 C; Jeck–Tautz–Bray 151,162–167
47) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3
48) Procl., Elem. theol. 182; Dodds 160,5–6; Boese 89,1–2

PROPOSITIO 203
OMNIS ANIMARUM MULTITUDINIS DIVINAE QUIDEM ANIMAE POTENTIA MAIORES EXISTENTES ALIIS CONTOLLUNTUR SECUNDUM NUMERUM; QUAE AUTEM SEMPER SIBI IPSIS ASSEQUUNTUR ET POTENTIA ET QUANTITATE MEDIUM HABENT IN OMNIBUS ORDINEM; PARTIALES AUTEM POTENTIA QUIDEM INFERIORES ALIIS SUNT, IN NUMERUM AUTEM PLUREM PROVENERUNT

Comparatis animabus intellectualibus ad divinas quoad inferioritatem et partiales quoad superioritatem nunc auctor comparat eas ad invicem quoad numerum et virtutem dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum scilicet et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo dicam de animabus in generali, secundo de earum multitudine duplici in speciali, tertio ex praemissis de supposito in universo animeali.

A De primo sciendum, quod omnipotentia prime boni in duobus est manifesta: in actionis videlicet et virtutis efficacia, et omnium simpliciter oboedientia.

Virtutis autem vel actionis eius efficacia est in omnium ad esse deductione, et hoc sive diffusione et omnium penetratione et in omnium actionum largitione.

Nam secundum Avencebrol[1]) libro III cap. 16 "virtus factoris primi", cuius "excelsum nomen" est, "omnibus se infundit et omnia per totum penetrat, quia ipse est in omnibus, quae sunt, et nihil sine eo esse potest; unde et substantiae simplices et omnino omnes substantiae agentes, quidquid faciunt, propter affectionem primam, quae totum movet et totum penetrat, faciunt", et sic est "diffusio virtutis primae et actionis primae in omnibus, quae sunt" sine tempore et motu.

Oboedientiam vero creaturarum ad simpliciter primum declarat Avencebrol[2]) libro III cap. ultimo dicens, quod inferiores substantiae serviunt superiori earum et motus inferiorum est propter motum superiorum et servitus earum et oboedientia ad illas, "donec motus perveniat ad substantiam altiorem", scilicet Deum.

Ex talis autem virtutis efficacia et omnium oboedientia colligit et concludit Plato[3]) omnia simul creata esse. Et specialiter hoc expressit de animabus, sci-

[1]) Avenc., Fons vitae III 16; Baeumker 113,26–114,6
[2]) Avenc., Fons vitae III 58; Baeumker 208,19–22
[3]) Plat., Tim. 41a7 sqq.; Waszink 35,5 sqq.; cf. etiam infra, prop. 204 A

5 assequuntur *om. V* 11 etc. *om. V* 12 scilicet *om. V*

licet quod sunt simul creatae, non solum totales (et hoc sive divinae et intellectuales), sed etiam partiales; de totalibus enim nulli dubitant, sed de partialibus quidam sentiunt, quod infundendo creantur et creando infunduntur[4]), et sic non concreantur, et per consequens non sunt in aliquo certo numero sicut secundum Platonicos.

Qui ponunt omnes esse simul creatas, necessario habent eas etiam ponere in aliquo certo numero et finito, cum non sit dare infinitum in actu, nec secundum magnitudinem nec secundum multitudinem, sed secundum potentiam solam per 93[5]).

Et hoc de primo.

»Verum quia multitudo finita aut habet in suis partibus habitudinem superpositionis et suppositionis, et hoc sive secundum ordinem providentiae voluntariae vel naturalis, aut habet habitudinem aequiparantiae, prima multitudo in utraque providentia est ordinata inter summum ex una et infimum ex parte altera, ex quibus dependet gradus et ordo uniuscuiusque eorum, quae locantur in mediis, secundum approximationem seu distantiam ab huiusmodi extremis. B

Et sic Dionysius[6]) distinguit universitatem angelorum, qui sunt de providentia voluntaria, quantum ad ordinis sui dispositionem in suprema, media et infima.

Quae tripartita distinctio quantum ad generales modos et gradus ipsorum angelorum ulteriorem adhuc recipit sectionem, ita videlicet, ut in quolibet dictorum trium inveniantur supremi, medii et infimi, nec vadit hoc in infinitum, sed necessario est status ad duo extrema, ut dictum est, licet in eis non sit ordo essentialis, si proprie ratio ordinis compensetur.

De ordinatis vero in providentia naturali, quod habeant summum et infimum et sic sint finitae multitudinis, ex frequenter declaratis in superioribus planum exstat«[7]).

Sane secunda multitudo eorum, quae concluduntur sub habitudine aequiparantiae, bene admittit, quantum est in se, infinitatem, dummodo infinitas talis esset possibilis in natura. Constituentia enim talem multitudinem sunt eiusdem speciei, et per consequens nullum eorum sic colligit ea, quae sunt de propria ratione sui, in unitatem talem, quin aliud eiusdem multitudinis possit et in tali gradu communicare.

Et hoc dico quoad essentialia: In accidentalibus enim possunt diversificari, et sic nec est in eis supremum nec infimum et ex hoc nec medium, secundum quod omnis divinus ordo sibi ipsi counitus est tripliciter: a summitate sui ipsius et a medietate et a fine per 148[8]). Quis enim fingat in tali multitudine aliquod

4) cf. Genn. Massil., De eccl. dogm. 14 et 18; PL 42, 1216
5) Procl., Elem. theol. 93; Dodds 84,1–2; Boese 47,1–2
6) Dion., De cael. hier. 4 3; PG 3, 181A; Heil 22,14–22; Simon–Kübel 71,81–85; 10 3; PG 3, 273B; Heil 40,17–19; Simon–Kübel 164,82–83
7) cf. Theodor. de Vrib., De vis. beat. prooem. 1; Mojsisch 13,2–10
8) Procl., Elem. theol. 148; Dodds 130,4–5; Boese 73,1–2

33 et[1] ... (34) partiales *om. sed suppl. m. post. V* 35 et[1] ... (36) concreantur *om. O*
39 nec: neque *V* 51 generales: genera *O*

summum, quod unitissimam habens potentiam transmittat unionem in omnia se sequentia et desuper maneat in se ipso; haec namque comparatio habitudinis aequiparantiae non admittit; et si non est ibi summum per consequens nec infimum, eadem ratione nec medium. Constituta enim in tali multitudine non sunt gradatim distributa sub una intentione, cum omnia sint eiusdem gradus: quia, licet omnia participent unam intentionem speciei, tamen talis intentio non inexistit omnibus primo, sed quibusdam per prius, aliis vero posterius; et sic etiam non invenitur in eis maior vel minor absolutio intra eandem intentionem et ad se invicem et ad aliquod, quod sit causale principium talis multitudinis.

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis apparet, quare non dicatur in praesenti elemento 'ordinis', sed 'multitudinis'; licet enim universitas animarum sit colligatio terminata quoad summum ex parte superiori et ultimum ex parte inferiori secundum intentionem Platonicorum ponentium animas omnes concreari, tamen, quia in omnibus animabus non est habitudo superpositionis et suppositionis, sed in quibusdam solum (puta divinis et intellectualibus), non autem in partialibus, necessarium est totalem universitatem animarum sub legibus essentialis ordinis nullatenus coartari.

»Animae enim divinae et intellectuales, cum sint motrices orbium caelestium, necessario proportionantur suis mobilibus in essentia et virtute.

In essentia quidem ita, quod, sicut hoc mobile differt specie ab omni alio mobili, ita sua anima, quae est suus motor, specie differat a quacumque alia anima seu alio motore, et ita una anima non potest animare nec movere nisi suum mobile[9]).

In virtute vero ita, quod, sicut dicit Averroes[10]), si caelum octavum haberet plus una stella, non posset ipsum movere suus motor«[11]).

Cum igitur animae – tam divinae quam intellectuales – differant specifice, ut iam ostensum est, quaelibet earum colligit ea, quae sunt de sui propria ratione, in talem unitatem, ut nulla alia possit ei in tali gradu communicare; et sic habent ad invicem habitudinem superpositionis et suppositionis, et sic etiam sunt essentialiter ordinatae.

Animae vero partiales, cum sint eiusdem speciei, nullo modo, nec inter se nec ad intellectuales animas, essentialiter ordinantur. Et ideo auctor significanter dicit OMNIS ANIMARUM MULTITUDINIS, non 'ordinis'.

Et haec de supposito sufficiant.

Circa propositum tria faciam secundum tres partes, circa quarum partium primam adhuc tria faciam, quia primo dicam de animarum divinarum potentiae maioritate, secundo de numeri earum finitate et tertio de ipsius numeri quotitate.

9) cf. Alb., Metaph. XI 2 32; Geyer 524,77–81

10) Averr., De cael. II comm. 71; Carmody–Arnzen 407,9–408,14; cf. etiam Metaph. XII comm. 41; Venetiis 1562, 324vG; De subst. orb. 3; Venetiis 1562, 9rE–F; 4; Venetiis 1562, 10vH

11) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 2 1; Palazzo 21,4–22,13

72 non *om. O* 82 omnes *add.* animas *V* 88 hoc *om. O* 101 haec: hoc *V* | sufficiant: sufficiat *V*

De primo sciendum, quod omnis multitudo propinquius uni ens quantitate D
quidem est remotioribus minor, virtute autem maior per 62[12]); sed divinarum animarum multitudo est propinquius locata prime uni et semper assequentibus diis et suscipientibus quandoque hunc ordinem; ergo est minor quantitate remotioribus, maior autem virtute sive potentia.

Talis autem maioritas apparet ex earum in comparatione intellectualium et partialium animarum secundum gradum naturae eminentia et ex hoc omnium generabilium et corruptibilium efficientia et generali providentia; eminent enim inter animas utpote, quae participant divino intellectu, per 182[13]), et ex hoc etiam sunt et dicuntur divinae, et sunt dii animealiter per 185[14]), et per consequens habent triplices operationes per 201[15]), ubi etiam dicitur, quod provident totis sicut dii, etc. Non provident autem nisi sibi subiectis, respectu quorum habent rationem causae efficientis, et hoc vel simpliciter vel concausae.

Et hoc de primo.

Verum quia in animabus divinis, ut dictum est[16]), invenitur habitudo superpo- E
sitionis et suppositionis et per consequens ordo essentialis, ideo necessario earum multitudo secundum talis ordinis exigentiam et superius et inferius terminatur, in summa videlicet anima et in ima; et sic earum numerus est finitus.

Et hoc de secundo.

Sane circa numerum animarum divinarum, quotus sit, duplici via procedi F
potest: aut ex motuum diversitate aut ex ordinis essentialis proprietate.

Quantum »autem ad primam viam rationabile est unicuique motui distincto tribuere singulos motores.

Sed de motoribus distinguendum est, quia singulos motores dicere possumus singulas substantias praesidentes singulis partibus uniuscuiusque sphaerae caelestis in movendo sphaeras ipsas; et secundum hoc necessarium erit dicere singulas partes sic motas esse animatas, unamquamque propria anima«[17]): et sic procedit Aristoteles in XII *Metaphysicae*[18]) nostrae translationis[19]). »Postquam enim probavit numerum motorum esse secundum numerum mobilium et motuum, non proces-

[12]) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1–2
[13]) Procl., Elem. theol. 182; Dodds 160,5–6; Boese 89,1–2
[14]) Procl., Elem. theol. 185; Dodds 162,1–3; Boese 90,1–4
[15]) Procl., Elem. theol. 201; Dodds 176,1–5; Boese 98,1–5
[16]) cf. supra, prop. 203 B
[17]) cf. Theodor. de Vrib., De int. et mot. cael. 5 2; Sturlese 358,37–41
[18]) Arist., Metaph. XII 8, 1073a28–38 et 1074a14–16
[19]) transl. Guillelmi: Vuillemin-Diem 260,321–261,333

108 quantitate *add.* in *O* 114 consequens *add.* non *O* 128 sed ... motores *om.* *O*
130 sphaeras *om.* *V*

sit ad certificandum numerum mobilium et motuum vel motorum, sed super hoc recitavit opiniones antiquorum astronomorum, scilicet Eudoxi[20]) et Calippi[21]), quorum primus 26 sphaeras ponit distinctorum motuum – et sic secundum eum erunt 26 motores immediati, quos animas divinas dicimus –, secundum vero posuit 47 sphaeras, et secundum hoc totidem sunt motores«[22]).

»Alio modo possumus dicere motores dictarum partium, puta orbis solis et ita de unaquaque aliarum sphaerarum, quoad partes suas distincte motas virtutes influxas et quasdam qualitativas dispositiones impressas ab una principali substantia, quam animam talis caeli dicimus, sicut in aliis animatis videmus, quod una sola anima animantur, quae influit singulis partibus proprios motus, quibus moventur, sicut videmus de motu cordis et arteriarum et aliorum membrorum corporis, quae propriis motibus moventur; quorum omnium unum est principium, una videlicet anima.

Ita etiam dicunt quidam de singulis orbibus caelestibus, videlicet quod unusquisque orbis animatus sit una sola anima, quae virtute sua influxa singulis partibus illius orbis moveat eas propriis motibus competentibus sibi; et secundum istos unus motor secundum substantiam loco animae respondet toti tali sphaerae (puta sphaerae solis et sphaerae lunae) et sic sigillatim singulis novem vel decem sphaeris caelestibus unicuique sua propria anima. Hac enim secundum eos influitur in singulas partes cuiuscumque talis orbis virtus et dispositio ad motum proprium unicuique tali parti uno manente principio formali communi totali substantiae talis orbis«; »quod principium est anima, quod etiam primo et principaliter diffundit se secundum suam substantiam in substantiam stellae, quae movetur per talem orbem, puta in substantiam solis, et ab illo sole in totum suum orbem quoad omnes partes eius, quas movet propriis motibus sub diversis respectibus, puta concentricum, sic excentricum, taliter epicyclum in aliis sphaeris alio modo.

Et sic stella, quae movetur in suo orbe, vicem cordis habet respectu sui orbis, ut dicunt«[23]).

Et sic tales non ponunt nisi vel novem vel decem animas secundum numerum sphaerarum, licet virtutes earum multiplicentur secundum numerum motuum[24]).

»Verum quia hic non agitur de numero virtutum ipsarum animarum, quae virtutes et secundum diversas operationes divinarum animarum et secundum diversitatem motuum multiplicantur, sed de numero divinarum animarum, quas Aristoteles enumerat secundum numerum motuum orbium caelestium, licet ipsum

[20]) cf. Arist., Metaph. XII 8, 1073b17–32; Alb., Metaph. XI 2 22; Geyer 510,39–512,37
[21]) cf. Arist., Metaph. XII 8, 1073b32–1074a14; Alb., Metaph. XI 2 23; Geyer 512,38–513,90
[22]) cf. Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 2 5; Palazzo 23,62–67
[23]) cf. Theodor. de Vrib., De int. et mot. cael. 5 3–4 et 10; Sturlese 358,44–55 et 360,92–99; 6 1–2; Sturlese 360,5–12
[24]) cf. etiam Ulric. de Arg., De summo bono IV 3 2 2; Palazzo 22,24–29

159 sic: sit *O* 164 ipsarum *om. V*

numerum motuum supponat ex positione astronomorum, ut iam supra dictum est[25]), – unde, postquam dixerat numerum motuum ex opinione eorum diversum, subinfert dicens: Necesse est igitur reputare, quod principia immobilia et sensibilia sunt huius numeri; quod autem est necessarium (scilicet circa veritatem numeri ipsorum motuum), "dimittendum est fortioribus"[26]) –; quapropter ponentes tantum novem vel decem animas caelorum discordant ab Aristotele. Sed nec similitudo eorum de animatis apud nos concludit, cum in eis omnes partes distinctorum motuum sint continuae. Non sic autem in sphaeris caelestibus, ubi distinctae partes sunt contiguae tantum«[27]).

Discordat etiam talis positio ab integritate ordinis universi; si enim multitudo prima constat ex senario, impossibile est sextam multitudinem ex novenario vel denario constare, quia omnis multitudo propinquius uni ens quantitate quidem remotioribus minor, virtute autem maior per 62[28]).

Igitur dimittentes primam viam ingrediamur secundam considerantes numerum divinarum et totalium animarum ex proprietate ordinis essentialis totius universi, ubi pro directorio utamur iam inducta regula, scilicet quod 'omnis multitudo' etc.

Ex qua deducitur, quod, si prima multitudo (scilicet unitatum), quam necessarium est esse minimam quantitate et maximam virtute, ut in ea salvetur ratio ordinis essentialis concernentis primum, medium et ultimum et quod medium quantitate excedat primum et excedatur ab ultimo, si, inquam, talis multitudo constat ex senario, qui est primus perfectus, cuius partes aliquotae sunt 1, 2, 3[29]), consequenter apparet, quod sexta multitudo, quae est ipsarum divinarum et totalium animarum, sit sextupla ad multitudinem primam in quantitate. Nullus autem numerus est sextuplus ad 6 nisi 36. Igitur animae divinae et totales videntur esse istius numeri ita, quod prima in eis, scilicet divinae animae, sint 6, secunda 12, tertia seu ultima 18: quae simul collecta faciunt 36. Et iste numerus est quasi medius inter positionem Eudoxi et Callippi, cum unus ponat 26, alius vero 47 motuum caelestium diversitates, ut supra dictum est[30]).

Et hoc de tertio primae partis.

Circa secundam vero partem tria faciam, quia primo dicam de medii diversa acceptione, secundo de ipsius, ut in proposito accipitur, condicione, tertio ex praemissis propositae partis intentione.

[25]) cf. supra, prop. 203 F
[26]) Arist., Metaph. XII 8, 1074a15–17
[27]) cf. Theodor. de Vrib., De int. et mot. cael. 5 5–7; Sturlese 359,56–66
[28]) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1–2
[29]) cf. Aug., De Gen. ad litt. IV 2; Zycha 94,11–12 et 98,1–4; Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 6; Willis 20,22 sqq.; Boeth., De arithm. I 20; Oosthout–Schilling 51,7–13 et 52,30–36
[30]) cf. supra, prop. 203 F

176 contiguae: continuae *V* 192 et *om. O* 199 ut *om. O*

G De primo sciendum, quod, ut superius tactum est[31]), multiplex est medium, scilicet per aequidistantiam extremorum et per compositionem extremorum et per participationem et abnegationem extremorum. Est etiam medium non substantiarum vel extremorum, sed potius, quo aliquid agit in aliud; et sic instrumentum est medium inter agens et effectum suum.

Et hoc de primo.

H Verum in proposito medium accipitur per participationem et abnegationem extremorum, non autem per aequidistantiam, quale est in situ, non per compositionem, quale est in coloribus, saporibus, odoribus et huiusmodi, sed nec etiam quo superius agit in inferius sicut per instrumentum, cum in essentialiter ordinatis media non sint instrumenta, quibus superiora agunt in inferiora, si proprie loquamur, sed traducunt donationes superiorum ad inferiora et extendunt inferiora in superiora, et sic ad ambo extrema media sunt porrecta.

Et hoc de secundo.

I Ex praemissis apparet, quod animae intellectuales habent medium ordinem in omnibus inter duo extrema, scilicet animas divinas et partiales, per participationem, quia, sicut se habent divinae animae ad intellectuales, sic se videntur habere intellectuales ad partiales; participant enim essentialiter intellectualitate, unde et semper assequuntur deorum contemplationem sicut et divinae, et nihilominus movent sua corpora, quae animant, sicut partiales.

Per abnegationem vero sunt mediae, quia non sunt eiusdem quantitatis, sed maioris et minoris virtutis cum superioribus, amplioris autem virtutis inferioribus, a quibus etiam numero exceduntur.

Et hoc de secunda parte.

Circa tertiam vero partem tria faciam, quia primo ponam animarum partialium condicionem, secundo ostendam eas respectu divinarum habere extremam proportionem, tertio ex praemissis subiungam propositi intentionem.

K De primo sciendum, quod, sicut homo inter omnes naturas totius universitatis rerum est compositissimus et per consequens horizon inter simplicia, quorum simplicitas est melior omni compositione, et simplicia, quorum simplicitas est deterior compositis – omne enim simplex secundum substantiam aut est melius aut deterius compositis per 59[32]) –, ita etiam anima partialis sive humana inter omnes substantias immateriales est compositissima compositione, quae est deterior simplicitate superiorum et melior simplicitate inferiorum.

In ascensu enim itur ad simplicitatem per diversos gradus simplicitatis et compositionis nobilissimam, quae est prime unius; in descensu vero itur ad simplicitatem ignobilissimam, quae est vel materiae primae, quae est simplicissima sicut primum, vel primae formae primam materiam primitus informantis.

[31]) cf. supra, prop. 190 F

[32]) Procl., Elem. theol. 59; Dodds 56,28–29; Boese 32,1–2

213 media *om. O* 220 partiales: participales *V* 222 amplioris … inferioribus *om. V*

Inter ista extrema simplicissima anima rationalis sive partialis est compositissima non solum quoad principia generalia formalia intrinsecus eam sicut et omnem animam essentialiter componentia, sed etiam quoad principia specialia, ex quibus oriuntur et in quibus fundantur accidentia, et hoc sive partem intellectivam sive sensitivam sive germinativam sive etiam motivam consequentia, sive talia sint vires animae sive habitus ipsarum virium; et hoc quantum ad virtutes politicas, purgatorias sive purgati animi aut heroicas, intellectuales et morales[33]).

Praeter haec omnia ipsa anima quodammodo est omnia, per intellectum intelligibilia et per sensum sensibilia, ex quibus ipsius compositio est omnibus satis nota[34]).

Et hoc de primo.

Ex quo statim apparet ipsam animam partialem habere rationem extremi ad L
divinam animam, quae est divina, intellectualis et animealis, exclusis partibus sensitivis et germinativis et earum appendiciis.

Partialis autem inquantum huiusmodi nec est divina nec semper actu intelligens, et sic est intellectualis potentia, non in actu, licet semper animet et sit actu anima per 196[35]), existens cum hoc sensitiva et germinativa; et ratione talis intellectualitatis ipsa est "illuminationum, quae sunt a" prime bono per medios ordines descendentes "relatione ultima perceptiva"[36]).

Et hoc de secundo.

Ex praemissis apparet, quod anima partialis deficit non solum a potentia divi- M
narum animarum, sed etiam intellectualium, cum participent intellectu solum secundum operationem, propter quod etiam ab intellectu transcidunt in non intellectum et per consequens proveniunt in multitudinem ampliorem.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Hae quidem enim sunt uni magis vicinae propter existentiam divinam entem, hae autem mediae propter intellectus participationem, hae autem extremae secundum ordinem, dissimilis formae secundum existentiam mediis et primis. Quae autem propinquiora uni in perpetuis remotioribus numero magis unita sunt et counita secundum multitudinem, quae autem remotiora multiplicantur magis. Potentiae igitur superiorum maiores, et hanc habent rationem ad secundas, quam divinum ad intellectuale et hoc ad animeale; et quantitates inferiorum ampliores. Quod enim remotius ab uno, multitudo magis est et propinquius minus.

33) cf. Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 8,n.5; Willis 37,23–28
34) cf. Arist., De an. III 8, 431b21–23
35) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
36) Alfredus Anglicus, De motu cordis prol.; Baeumker 2,7–9

240 generalia formalia: formalia generalia *V* 241 etiam *om. V* 250 rationem *om. sed suppl. m. post. V* 254 est *om. O*

Probatio primae partis ipsius elementi talis est.

Omnia magis vicinia prime uni sunt maiora potentia et contolluntur aliis (scilicet inferioribus) secundum numerum, id est sunt minora quantitate – haec apparet per 61[37]) et sequentem[38]) ac 95[39]) –; sed omnis multitudinis animarum divinae animae sunt magis vicinae uni propter existentiam, quae est divina secundum participationem, et ex hoc aliis eminentem; ergo omnis multitudinis divinae animae pro certo sunt existentes maiores potentia seu virtute aliis et contolluntur (sive constringuntur) secundum numerum.

Hae autem. Hic probatur secunda pars elementi sic: Omnes animae, quae sem- 280
per assequuntur se ipsis, contemplationem deorum habent et potentia et virtute et quantitate seu numero in omnibus (scilicet animabus), id est inter omnes animas, divinas videlicet et partiales, medium ordinem; sed intellectuales animae sunt huiusmodi propter intellectus participationem; ergo intellectuales animae, id est quae semper sibi ipsis assequuntur, deorum contemplationem habent et potentia et numero seu quantitate inter omnes animas medium ordinem.

Hae autem extremae. Hic probatur tertia pars elementi sic: Omnes animae, quae secundum existentiam sunt dissimilis formae seu proprietatis et mediis et primis, utpote extremae, sunt potentia pro certo inferiores aliis, sed pervenerunt in plurem (id est ampliorem) numerum; sed omnes animae partiales respectu intellec- 290
tualium et divinarum animarum sunt huiusmodi; ergo omnes animae partiales potentia etc.

Quae autem propinquiora. Hic ponitur medium, super quo fundatae sunt praemissae rationes, cum dicitur; sed quae in perpetuis (id est exemptis a tempore), qualis est omnis anima, de qua agitur secundum substantiam, licet habeat operationem secundum tempus per 191[40]), sunt propinquiora prime uni, sunt magis unita et sic impartibiliora et per consequens maioris potentiae. Omnis enim potentia impartibilis manens maior est, partita vero minor per 61[41]); et talia propinquiora prime uni counita sunt secundum multitudinem, id est sunt minoris multitudinis, quia omnis multitudo propinquius uni ens etc. per 62[42]); quae vero remotiora sunt 300

37) Procl., Elem. theol. 61; Dodds 58,16–17; Boese 33,1–2
38) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1–2
39) Procl., Elem. theol. 95; Dodds 84,28–29; Boese 48,1
40) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
41) Procl., Elem. theol. 61; Dodds 58,16–17; Boese 33,1–2
42) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1

272 primae … elementi: elementi primae partis *V* 277 hoc: his *V*

a prime uno, multiplicantur magis numero et minorantur potentiis per oppositum ipsius 62[43]). Igitur potentiae superiorum sunt maiores et quantitates inferiorum sunt ampliores et superiores, sive prime animae (id est divinae) habent hanc rationem sive proportionem ad secundas (scilicet medias), quam proportionem habet divinum per essentiam ad intellectuale per essentiam et hoc, scilicet intellectuale, ad animeale, quia, quod remotius ab uno, magis est multitudo per oppositum 62[44]), et quod propinquius uni, minus est multitudo.

[43]) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1–2
[44]) Procl., Elem. theol. 62; Dodds 58,22–23; Boese 33,1–2

PROPOSITIO 204
OMNIS DIVINA ANIMA MULTAS QUIDEM PRAECEDIT ANIMAS SEMPER DIIS ASSEQUENTES, PLURES AUTEM AMPLIUS SUSCIPIENTES ALIQUANDO HUNC ORDINEM

Comparatis animabus multipliciter inter se quoad diversas earum proprietates et modos nunc ostendit auctor singillatim divinarum animarum praeeminentiam ad intellectuales et partiales quoad ipsarum intellectualium et processionem ac consequentem multiplicationem et antarchicorum actuum in eis operationem dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam et naturam animarum tangentem duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa suppositum tria faciam, quia primo dicam secundum intentionem Platonis de animarum multitudinis concreatione, secundo de modi ipsius concreationis aliquali explanatione et tertio de multiplicis habitudinis earum ad invicem enumeratione.

A De primo sciendum, quod Plato in II *Timaei*[1]), postquam ostenderat creationem universalis animae, loquens de concreatione omnium aliarum animarum inducit creatorem omnium ad deos, qui sunt primordiales omnium causae, sic dicentem: "O dii deorum, quorum opifex idemque pater ego. Opera siquidem vos mea"[2]).

Et infra[3]): "Imitantes ergo meam iuxta effectum vestrum sollertiam ita instituite atque extricate mortalia, ut, quibus consortium divinitatis et appellationis parilitas competit, divina praeditum firmitate fingatis. Erit vero tale, quod vobis obsequi iustitiamque colere perspexeritis; huius ergo universi generis sementem faciam vobisque tradam; vos cetera exsequi par est ita, ut immortalem caelestemque naturam mortali textu extrinsecus ambiatis".

Et infra[4]): "Haec dixit et demum reliquias prioris contextionis, ex qua mundi animam commiscuerat, in eiusdem crateris sinum refundens eodem propemodum genere atque eadem ratione miscebat, nec tamen eadem exoriebatur puritas serenitasque proventuum nec tam immutabilis perseverantiae, sed secundae ac tertiae

[1]) Plat., Tim. 35a sqq.; Waszink 27,6 sqq.
[2]) Plat., Tim. 41a7–8; Waszink 35,9–10
[3]) Plat., Tim. 41c6–d2; Waszink 36,5–11
[4]) Plat., Tim. 41d4–e3; Waszink 36,14–21

22 mortalia: immortalia *O*

dignitatis; coaugmentataque mox universae rei machina, delegit animas stellarum numero pares singulasque singulis comparavit. Easdemque vehiculis competentibus superimpositas universae rei naturam spectare iussit legesque immutabiles decreti docuit".

Haec Plato.

Cuius sententiam de omnium animarum, quae sunt triplicis naturae, concreatione summatim perstringens Boethius III *De consolatione*[5]) metro 9 sic canit:

"Tu triplicis mediam naturae cuncta moventem
connectens animam per consona membra resolvis;
quae cum secta duos motum glomeravit in orbes,
in semet reditura meat mentemque profundam
circuit et simili convertit imagine caelum.
Tu causis animas paribus vitasque minores
provehis et levibus sublimes curribus aptans
in caelum terramque seris: quas lege benigna
ad te conversas reduci facis igne reverti".

Haec Boethius.

Ex praedictis tam ex Platone quam etiam ex Boethio colligitur omnes animas, quae sunt triplicis naturae (scilicet divinae, intellectualis et animealis) esse concreatas iussu summi Dei tradentis sementem ipsarum animarum ipsis diis deorum sicut primordialibus omnium causis.

Ubi etiam expresse ponitur numerus partialium animarum secundum numerum stellarum, cum dicitur: delegit animas stellarum numero pares.

Huic sententiae quoad concreationem animarum videtur concordare Gregorius Nyssenus libro *De homine*[6]) cap. 2, ubi disputans contra Eunemium haereticum, qui posuit animam in corpore creatam, nititur istam sententiam pluribus rationibus comprobare, et prima ratio sua est haec: "Omne, quod habet generationem corporalem simul et temporalem, corruptibile est et mortale". Si igitur anima creationem habet in corpore, mortalis erit.

Item ex verbis Mosis sic arguit[7]): "Concordant autem his et ea, quae sunt Mosis. Sensibilium enim genesim, id est generationem, subscribens non in ea et eam, quae intelligibilium est, expressim dixit substitui naturam, sed convenientes quidam hoc opinantur" et est sensus, quod inter corpora. Propter hoc animam et angelos Moses non dixit, ut intelligantur ante corpora creata.

5) Boeth., Philos. cons. III m.9; Moreschini 80,13–21
6) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 30,18–23; Verbeke–Moncho 40,87–41,93
7) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 30,23–31,1; Verbeke–Moncho 41,93–96

51 omnium: omnibus *O* 59 erit *om. O* 60 concordant: concordat *V*

Item tertio sic[8]): "Si autem quis ex eo, quod post plasmationem corporis immissa est anima, aestimaverit post corpus genitam eam esse, excidit a veritate. Neque enim Moses tunc eam creatam esse dicit, quando in corpus immittebatur, neque secundum rationem ita se habet".

Quarta eius ratio est haec[9]): "Creationis hoc principalissimum est opus ex non entibus facere. Si igitur ex ad invicem generatione animae fiunt, ratione providentiae fiunt et corruptibiles sunt, quemadmodum alia, quae ex successione generis fiunt. Si autem ex non entibus deducuntur, creatio est, quod fit, et non est verum illud Mosis[10]): "Requievit Deus ab omnibus operibus suis". Inconvenientia vero sunt utraque. Quod enim dicit[11]): "Pater meus usque modo operatur", non de creando, sed de providendo dictum esse bene ei videtur".

In idem consentit Damascenus[12]) II libro cap. 3 circa finem, ubi sic dicit: "Ego autem theologo Gregorio consentio. Dicebat enim primum intellectualem substantiam creari et ita sensibilem, et tunc, quod ex utroque (scilicet hominem)".

Ad idem videtur consentire Augustinus[13]) VII *Super Genesim ad litteram*, ubi dicit: "Illud ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanae opinioni tollerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quae simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse".

Et infra[14]): "Credatur ergo, si nulla scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexta die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero iam ipsa crearetur".

Et infra[15]): "Si autem aliquis non vult eam existimare factam, nisi cum iam formato corpori est inspirata, videat, quid respondeat, cum quaeritur, unde facta sit. Aut enim ex nihilo dicturus est Deum aliquid fecisse vel facere post illam consumationem operum suorum et debet intueri, quomodo explicet sexto die factum hominem ad imaginem Dei, quod nisi secundum animam recte intelligi non potest, id est, in qua natura causalis ratio facta fuerit eius rei, quae nondum fuit; aut non de nihilo, sed de aliquo existente factam dicet animam: et laborabit in quaerendo, quaenam sit illa natura, utrum corporalis an spiritualis".

8) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 31,1–5; Verbeke–Moncho 41,96–00
9) Nemes. Emes., De nat. hom. 2; Morani 31,23–32,2; Verbeke–Moncho 42,20–27
10) cf. Exod. 20,11 et 31,17; Gen. 2,2
11) Ioh. 5,17
12) Ioann. Damasc., De fide orth. II 3; Kotter 48,79–81; Buytaert 74,98–101
13) Aug., De Gen. ad litt. VII 24; Zycha 222,20–23
14) Aug., De Gen. ad litt. VII 24; Zycha 223,3–6
15) Aug., De Gen. ad litt. VII 28; Zycha 225,13–23

70 generatione *an* germinatione *scrib. est?*

Et infra[16]): "His omnibus divinae scripturae testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius, ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio saeculi primum simul omnia creasse, quaedam praeconditis iam ipsis naturis, quaedam praeconditis causis; sicut non solum praesentia, verum etiam futura fecit, omnia potens, et ab eis factis requievit".

Haec Augustinus.

Sanctus vero Thomas *Quaestionibus de potentia*[17]) art. III quaest. 9, ubi quaeritur "Utrum anima rationalis producatur in esse per creationem vel per seminis traductionem", sic dicit in positione: "Circa hanc quaestionem antiquitus diversa dicebantur a diversis: Quidam namque dicebant animam filii ex parentis anima propagari, sicut et corpus propagatur ex corpore; alii vero dicebant omnes animas seorsum creari, et ponebant eas a principio extra corpora fuisse creatas simul, et postmodum corporibus seminatis coniungebantur vel proprio motu vel Deo mandante et faciente secundum alios; alii vero dicebant animas simul, cum creantur, corporibus infundi. Quae quidem opiniones, quamvis aliquo tempore sustinerentur et, quae earum esset melior, in dubium verteretur, ut patet per Augustinum X *Super Genesim ad litteram*[18]) et in *De origine animae*, tamen primae duae postmodum iudicio ecclesiae sunt damnatae et tertia approbata; unde dicitur in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*[19]): Animas hominum non esse ab initio inter ceteras intellectuales naturas nec simul creatas credimus, sicut Origenes fingit, neque in corporibus per coitum seminantur, sicut Luciferiani et Cyrillus et quidam Latinorum praesumptores assertunt, sed dicimus corpus tantum per coniugii copulam seminari ac formato iam corpore animam creari et infundi".

Haec ille. Et sufficiant de primo.

Verum circa modum concreationis multitudinis animarum sunt Platonici, qui B non solum prime Deum mediantibus diis deorum, ut supra habitum est ex *Timaeo* Platonis[20]), sed etiam mediante intelligentia dicunt animas creasse.

Auctor enim *De causis*[21]) expresse dicit, quod causa prima creavit esse animae mediante vadich, id est intelligentia, etc., in commento 3 propositionis.

Huic etiam alludit Isaac in suis *Definitionibus*[22]), ubi dicit animam creatam esse in umbra intelligentiae. Unde etiam in 193[23]) habetur, quod omnis anima proxime ab intellectu subsistit.

16) Aug., De Gen. ad litt. VII 28; Zycha 227,16–22
17) pot. Thom., Quaest. disp. de pot. III 9 resp.; Pession 65a–b
18) Aug., De Gen. ad litt. X 21–22; Zycha 324,24–326,10
19) Genn. Massil., De eccl. dogm. 14; PL 42, 1216
20) cf. supra, prop. 204 A
21) Lib. de caus. 3,n.32; Pattin 140,13–14
22) Isaac Isr., Lib. de defin., alia transl., Mückle 313,26–27
23) Procl., Elem. theol. 193; Dodds 168,20; Boese 94,1

97 iam ... praeconditis *om. O* 98 etiam: et *O*

Si igitur anima subsistit causaliter et a diis et ab intellectu, sequitur necessario, quod etiam ab omnibus intermediis capiat suum esse. Omne enim, quod a secundis producitur, etc., per 56[24]), et per consequens anima est compositissima inter incorporalia; omne enim, quod a pluribus causis producitur, compositius est eo, quod a paucioribus producitur, per 58[25]).

Et hoc de secundo.

C Ex praemissis consequens est, quod inter animas sic concreatas secundum opinionem Platonicorum, cum sint substantialis essentiae, ut etiam sint et dicantur antipostatice ad exclusionem earum animarum, quae tantum sunt idola quaedam verarum animarum dependentes secundum esse et operari a suis corporibus, quorum sunt actus et dispositiones, inter tales, inquam, animas, licet in omnibus eis non sit ordo essentialis, sunt "unitiones, discretiones, identitates, similitudines, communiones contrariarum, incommixtiones unitarum, providentiae superiorum, alternae habitudines coordinatarum, conversiones minus habentium, omnium earundem conservativae et intransmutabiles mansiones et collocationes, et rursum omnium in omnibus iuxta proprietatem uniuscuiusque communiones et adaptationes et inconfusae amicitiae et harmoniae" totius seyrae animarum[26]).

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo ostendam partium multitudinis animarum ad invicem praesuppositionem, secundo praesuppositarum modum et condicionem, tertio ex praemissis propositi intentionem.

D De primo sciendum, quod, licet tota universitas animarum non sit essentialiter, immo nec causaliter in singulis suis partibus ordinata, ut partim patuit supra praemissa, partim etiam ex hoc claret, quod animae partiales non sunt sibi mutuo causae, tamen ipsa universitas animarum habet nihilominus multas proprietates saltem ordinis causalis, quia omnis essentialis ordo est causalis, sed non omnis causalis ordo est essentialis. Sicut enim in omni ordine causali ultimum praesupponit medium et hoc supremum, sic etiam in universitate animarum est suo modo. Partiales enim animae utpote extremae et sic dissimilis formae seu proprietatis ad se nobiliores praesupponunt intellectuales, tum quia omne quandoque intelligens et quandoque non praesupponit in eodem genere semper intelligens, tum quia omne producens producit sibi similia ad se ipsum ante dissimilia per 28[27]), tum quia ab extremo non pervenitur ad extremum sine medio, tum etiam quia medium habet traducere donationes superiorum in inferiora et reducere lege divinitatis inferiora in superiora.

24) Procl., Elem. theol. 56; Dodds 54,4; Boese 30,1
25) Procl., Elem. theol. 58; Dodds 56,17–18; Boese 32,1–2
26) Dion., De div. nom. 4 7; PG 3, 704B–C; Suchla 152,12–20; Dionysiaca 186B–188A
27) Procl., Elem. theol. 28; Dodds 32,10–11; Boese 19,1

129 compositius ... (130) producitur *om. O*

Eodem modo et quasi eisdem motivis intellectuales animae praesupponunt divinas, cum sint deminutae et inconsummatae respectu earum. "Neque enim – secundum Boethium III *De consolatione*[28]) prosa 10 – a deminutis inconsummatisque natura rerum coepit exordium, sed ab integris absolutisque procedens in haec extrema atque effeta dilabitur".

Et sicut hoc est in totali rerum universitate, ita etiam est in qualibet partiali.

Et hoc de primo.

De secundo sciendum, quod illud, quod ab omni et in omni multitudine praesupponitur, praecedit ipsam multitudinem talem quantum ad duo. E

Quorum unum est, quod aliquid praeeminentiae et dignitatis sit in ipso, quod sit ei prae omnibus aliis ipsius multitudinis, quam praecedit proprium, videlicet quod sit absolutius, efficacius, quia unius, et ex hoc nobilius et divinius adeo, quod tota multitudo sequens possit ab ipso dependere sicut praestante secundum omnes divinas dispositiones.

Et sic animae divinae et quoad earum totalitatem et quoad cuiuslibet earum eminentem singularitatem praecedunt ordine naturae propter sui ipsarum absolutionem et efficaciam ex unitissima existentia et consequente potentia, qua transmittunt unionem in consequenter se habentia, praecedunt, inquam, tamquam praeoperantes et generaliorem influentiam sortitae totam multitudinem reliquam animarum tam intellectualium quam partialium, quam et uniunt discretive et discernunt unitive, custodientes identitates et similitudines ipsarum ad invicem et contrariarum communiones et unitarum incommixtiones et alternas coordinatarum habitudines. Et sic continent ipsas in inconfusa amicitia et harmonia ad invicem, et similiter faciunt in reliquis dispositionibus congruentibus tali multitudini, quam praecedunt, puta in convertendo minus habentia in superiora; et sic de aliis. Sic igitur et omnis et singula divina anima praecedit quoad primum omnes alias animas tam intellectuales quam partiales.

Aliud etiam est, quo omnis et singula divina anima praecedit, quod est commune ipsis et omni multitudini ab eis dependenti, quae nihilominus participat illud commune aliqualiter ex divinis animabus, puta intellectualitas, quae est communis omnibus saepe dictis animabus triplicis naturae; verum etiam intellectualitas competit praecedentibus divinae sicut divinis secundis, scilicet intellectualibus, intellectualiter, tertiis vero, scilicet partialibus, animealiter.

Et sic ipsa intellectualitas reperitur absolutiori, simpliciori et priori modo in divinis animabus quam in tota residua multitudine animarum participante ipsam intellectualitatem quodammodo a divinis adeo, quod subtractis divinis animabus nulla aliarum remaneret, nec re nec intellectu; quamvis non e converso subtractis partialibus et intellectualibus divinae animae subtrahantur.

[28]) Boeth., Philos. cons. III 10; Moreschini 81,15–17

161 eisdem: eiusdem *V* 189 omni multitudini: multitudini omni *V*

Igitur posita intellectualitate in aliquibus vel partialium vel intellectualium animarum, vel re vel operatione, oportet supponi divinas animas et re et operatione: re quidem tantum, si illud commune fuerit res tantum; operatione autem, si illud commune fuerit operatio.

Ex praedictis apparet, qualiter divinae animae praecedunt et secundum sui totalitatem et secundum singulae animae singularitatem residuam multitudinem animarum.

Et hoc de secundo.

F Sane sicut divinae praecedunt, ut dictum est, tam intellecuales quam animas partiales, ita etiam suo modo intellectuales praecedunt partiales; et quia praecedentia in omni multitudine semper sunt minora secundum quotum subsequentibus, necessario sequitur, quod omnis divina anima pro certo praecedit multas animas semper assequentes diis, utpote quae ab ipsa et per ipsam in propria eminentia per actum purificandi continentur et salvantur et divinis radiis illustrantur.

Et ex hoc perficiuntur per conversionem earum in sua principia productiva: Sicut enim se habet totalis multitudo divinarum animarum ad intellectuales secundum se totas quoad potentiae maioritatem et quantitatis minoritatem per primam partem praemissae[29]), ita etiam se habet quaelibet divina anima ad quasdam intellectuales, et sic non praecedit unam solam, sed multas.

Eodem modo proportionaliter quaelibet anima semper diis assequens praecedit multo amplius plures animas partiales suscipientes aliquando hunc ordinem assequendi.

Et hoc de tertio.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Divinam quidem entem omnes aut generalem ordinem accepisse oportet et praeoperantem in animabus; et enim quod divinum in omnibus entibus praecedit tota. Neque autem semper assequentes solum unamquamque praecedere neque eas, quae aliquando solum. Siquidem enim earum, quae aliquando assequuntur, praecederet aliqua solum, quomodo coniunctio his erit ad divinam, illis omnino diversis? Et neque intellectu proximae participant neque multo plus diis. Si autem semper assequentium, quomodo usque ad illas catena processit? Erunt enim sic extrema, quae intellectualia et sensibilia et perficere alia et sursum ducere non apta nata. Necesse ergo omni animae divinae primitus quidem dependere sequentes animas et secundum intellectum operantes et reductas ad intellectus partialiter divinorum intellectuum;

[29]) Procl., Elem. theol. 203; Dodds 176,31–32; Boese 99,1–2

200 oportet ... operatione *om. sed suppl. m. post. V* 210 sequitur *coni.*: consequitur *codd.* 221 et ... tertio *om. V* 222 et ... elementi: et sic apparet *V* 224 praeoperantem *coni.*: primo operantem *V* operantem *O* 226 siquidem ... (227) solum *suppl.*: *om. codd.* 230 erunt *om. sed suppl. m. post. V* 231 divinae *om. V* 232 intellectus: intellectum *V*

secundas autem partiales et per has medias intellectu participare et divina vita potentes. Per semper enim participantia divina sorte, quae quandoque participant, perficiuntur. Et iterum plures esse circa unamquamque animam divinam quandoque assequentes animas quam quae semper assequuntur. Monadis enim potentia secundum submissionem in multitudinem semper procedit, potentia quidem deficientem, numero autem abundantem. Quoniam et unaquaeque anima earum, quae diis assequuntur, plures praecedit partiales animas, imitans divinam animam, et plures sursum trahit animas ad praeoperatricem monadem totius seyrae. Omnis ergo divina anima multas quidem praecedit animas diis assequentes, plures autem adhuc, quae quandoque ordinem hunc suscipiunt.

Circa probationem elementi auctor sic procedit, quod primo probat omnem divinam animam praecedere residuam multitudinem animarum tali ratione: Omne divinum in omnibus entibus praecedit tota sive universa eiusdem seyrae; sed in multitudine animarum sunt quaedam divinae; ergo tales praecedunt omnes animas eiusdem seyrae non divinas.

Maior apparet, cum divinum habeat rationem unius.

Minor deducitur sic, quia pro certo oportet aut omnes indifferenter accepisse generalem ordinem generalis seu universalis influentiae et praeoperantem virtutis eminentia in animabus aut existentem divinam et praeoperantem in animabus; sed non omnes indifferenter sunt tales; ergo necessarium est quasdam tantum (scilicet existentes divinas et praeoperantes) accepisse ordinem generalem.

Neque autem. Habito, quod divinae animae praecedunt alias, procedit ulterius sic: Omnis divina anima aut praecedit unamquamque animam de numero earum, quae sunt semper assequentes diis, aut praecedit solum eas, quae aliquando assequuntur diis; sed neque oportet divinam solum praecedere unamquamque animam de numero earum, quae sunt semper assequentes diis, neque solum eas, quae aliquando assequuntur; ergo omnis divina anima praecedit omnes simul, tam eas, quae semper assequuntur diis, quam eas, quae aliquando assequuntur.

Minor istius rationis deducitur primo quoad secundum membrum, quia pro certo, si divina anima praecederet solum eas, quae aliquando diis assequuntur – exclusis intellectualibus, quae semper assequuntur –, quomodo erit coniunctio his (scilicet non semper assequentibus) ad divinam animam, illis utpote extremis omnino diversis ad eas? Quod autem sint diversae et dissimiles, ostendit, quia neque participant intellectu essentiali neque multo plus possunt participare diis sicut nobilioribus.

Si autem. Hic ostenditur impossibilitas secundi membri sic: Sed si solum divinae animae praecedunt semper assequentes diis, quomodo processit catena animarum solum usque ad illas, quia sic ea, quae semper intellectualia erunt extrema, et sic non sunt apta nata et perficere alia sensibilia et sursum ducere in participationem intellectualitatis? Extrema enim nihil perficiunt inquantum huiusmodi.

237 quoniam *coni.*: quomodo *codd.* 239 seyrae *suppl.*: *om. codd.* 257 quae^2 *coni.*: qua *codd.*

Necesse ergo. Hic infert conclusionem suam ex praemissis dicens: Ergo necesse est pro certo primitus dependere omni animae divinae animas assequentes diis et operantes secundum intellectum et ex hoc reductas partialiter ad intellectus divinorum intellectuum; necesse est autem et partiales animas esse secundas post intellectuales et per has medias (scilicet intellectuales) ipsas partiales fieri potentes participare intellectu et divina per 129[30]), quia animae, quae quandoque participant divina sorte, perficiuntur per ea, quae sunt semper participantia divina sorte.

Et iterum. Hic ostenditur secunda pars ipsius elementi sic tali ratione: In quacumque multitudine monadis sive unitatis per se perfectae potentia procedit 280
secundum submissionem in multitudinem, potentia quidem seu virtute deficientem, sed numero abundantem, ibi omnis intellectualis anima multo amplius plures animas praecedit suscipientes aliquando hunc ordinem, quam divina praecedat intellectuales; cuius ratio est, quoniam et unaquaeque anima earum, quae diis semper assequuntur, plures praecedit partiales animas imitans divinam animam et plures trahit sursum ad praeoperatricem monadem totius seyrae; sed in multitudine animarum est talis processus monadis, quae est primordialis unitas animarum, per 125[31]); ergo omnis divina anima multas quidem praecedit animas sursum ducens eas (scilicet diis assequentes), plures autem adhuc praecedit etc.

30) Procl., Elem. theol. 129; Dodds 114,13–15; Boese 65,1–5
31) pot. Procl., Elem. theol. 21; Dodds 24,1–3; Boese 14,1–3

278 perficiuntur ... sorte *om. V* 279 sic *om. O* 289 etc. *om. sed suppl. O*

PROPOSITIO 205
OMNIS ANIMA PARTIALIS HANC HABET RATIONEM AD DIVINAM, SUB QUA ORDINATA EST SECUNDUM SUBSTANTIAM, QUAM SUSCEPTACULUM IPSIUS AD ILLIUS SUSCEPTACULUM

Habita multiplici condicione animarum inter se quoad earum proprietates spirituales nunc auctor ostendit collationem animae partialis ad divinam ex similitudine corporis ad corpus fundata super condiciones corporales dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo dicam secundum opinionem Peripateticorum de animarum partialium origine, secundo de partium earum multitudine et tertio de ipsarum ad corruptibilia corpora habitudine.

De primo sciendum, quod supposita notitia formarum et formantium et informantium, quarum primae sunt ante rem sicut rerum exemplaria universaliter, immaterialiter et simpliciter omnes formarum informantium differentias praehabentes[1]), secundae vero (scilicet informantes) vel dantur a primis secundum merita materiae vel virtute formativa primarum educuntur de materia, in qua sunt omnes tales formae per incohationem[2]), nec est quantum ad hoc differentia aliqua inter Platonem et Aristotelem in re, sed solum in modo, quia id, quod vocavit Plato meritum materiae[3]), Aristoteles vocat formae incohationem[4]). A

Et sic informantium est triplex gradus: Quaedam enim est propinquior materiae et quaedam propinquior formae formanti et quaedam per aequidistantiam sive per aliam rationem medii inter utramque istarum.

»Sane incohatio formae informantis aliquando est in sola corporum commixtione, sicut formae mineralium; aliquando ex sola ad generans et movens distantia vel propinquitate secundum situm, sicut formae elementorum communium; aliquando autem incohatio est cum manifesta virtute primi formantis«, »et hae sunt, quarum generatio est ex invicem, eo, quod ad unum ordinantur et, postquam ipsum generatum esse accepit, ordinantur partes eius ad unum, ex quo etiam primo formantur et producuntur; et haec sunt vegetabilia, quorum« »formae elevantur super materiam praecipue in quattuor.

1) cf. Alb., De nat. et or. an. I 2; Geyer 4,52–57
2) cf. Alb., De nat. et or. an. I 2; Geyer 4,66–72
3) cf. etiam Alb., De int. et intell. I 5; Borgnet 484a
4) cf. Alb., De nat. et or. an. I 2; Geyer 5,45–59

7 etc. *om. V* 25 communium *om. O* 26 hae *coni.*: haec *codd.*

Primum est, quod actus huiusmodi formae non est esse simpliciter, sed cum hoc vivere; secundum, quod operatur multa; tertium scilicet, quod locus consequitur eam; quartum, quod ex uno influit omnibus partibus effectum et motum vitae.

Ex primo habet, quod non est forma simplicis corporis; ex secundo, quod non potest vocari natura, quae est tantum ad unum; ex tertio, quod non est omnino immersa corpori et victa ab eo; ex quarto, quod habet aliquam similitudinem ad motorem primum«[5]).

»Super istam formam, quae habet ultimam resonantiam animae, est anima sensibilis, in qua est vegetabilis sicut potentia in actu suo et ut sic non ponunt in numerum – idem enim est penitus, quod est in potentia et in actu –, et sic sensibilis anima imprimit in vegetabilem, quae in ipsa est potentia, sicut forma in materiam et sicut motor in instrumentum, et per consequens altiori gradu propinquitatis convenit cum motore primo, licet in forma non conveniat; et distat a materia ipsa vegetabili; suscipit enim formas sensibiles sine omni materia, licet non patiatur nec operetur sine organo«[6]).

Hac, inquam, notitia formarum supposita »facile est invenire secundum Peripateticos originem et naturam animae partialis.

De hac enim constat, quod ipsa non est actus nec forma corporalis nec virtus operans in corpore, propter quod impossibile est eam educi de semine per aliquas qualitates aut formas, quae in semine sunt, sicut educitur sensibilis, cum ipsa partialis anima sit similitudo lucis intellectus agentis in generatione, secundum quod omne "opus naturae est opus intelligentiae"[7]); et sic non potest intelligi, quod aliqua virtus in corpore operans vel corporea virtutem habeat formandi virtutem et formam illam, quae, inquantum rationalis, nullo utitur corpore.

Et ideo, cum tria sint in genere operantia in formatione conceptus, videlicet virtus elementi et animae et intellectus, qui est cum caelesti virtute eo, quod ipse movet caelum et virtutes caelestes, quae sunt in materia generabilium, et cum intellectus purus et primus sit movens et informans omnia alia sub ipso instrumentaliter agentia, contingit eam formam esse animam rationalem seu partialem, quae transcendendo materiam, id est virtutes materiae, prorumpit in similitudinem motoris primi in natura«.

»Et sic intellectus in animae partialis natura ingreditur in conceptum ab extrinseco, ut dicit Aristoteles in XVI *De animalibus*[8]), non ita, quod intellectus primus causet ipsum extra opus naturae, sed quia educit eum de luce sua et non de aliquo materialium principiorum«.

[5]) cf. Alb., De nat. et or. an. I 3; Geyer 6,9–14 et 7,58–63 et 8,11–77
[6]) cf. Alb., De nat. et or. an. I 4; Geyer 10,73–12,69
[7]) cf. Auctor. Arist. 1,n.282; Hamesse 139,86
[8]) Arist., De gen. animal. II 3, 736b8 sqq.; Alb., De animal. XVI 1,n.12; Stadler 1096,16–42

51 generatione *lac. sed in marg. suppl. m. post. O* 53 virtutem[1] *coni.:* virtute *codd.* 58 alia: illa *V*

»Ex quibus patet, quod anima partialis secundum Peripateticos partim est ab intrinseco et partim ab extrinseco ingrediens, quia, licet vegetativum et sensitivum in homine de materia educantur virtute formativa, quae est in semine maris et femine, tamen haec formativa non educeret eas hoc modo, prout sunt partes rationalis et intellectualis substantiae, nisi secundum quod ipsa formativa movetur informata ab intellectu universaliter movente in opere generationis; et ideo complementum ultimum intellectualis formae (scilicet animae partialis) non est per instrumentum neque ex materia, sed intellectus purus et immixtus ipsum tale complementum influit sua luce.

Propter quod etiam ex non praeiacente aliquo creare rationalem animam Deus dicitur; et hoc modo Peripatetici dicunt, quod intellectus ingreditur in embryonem ab extrinseco materiae, non tamen ab extrinseco agente, quia intellectus agens non est extrinsecus naturae nisi hoc modo, quo extrinsecum rebus dicitur, quod est separatum ab eis per esse et non commixtum cum eis«[9]). Et hac ratione dicit Aristoteles in libro *De causis proprietatum elementorum et planetarum*[10]): Aqua "viri, quando cadit in matricem mulieris, decoquit" eam "matrix caliditate sua et commiscetur" aqua illa "cum sanguine matricis, donec fit frustum. Deinde formatur et" "fit in eo spiritus vitae iussu Dei", et hoc est, quod communiter dicitur: Anima creando infunditur et infundendo creatur[11]).

Et ista opinio contradicere videtur concreationi animarum.

Et hoc de primo.

»Verum ista anima partialis secundum nomen suum est multiplex in partibus B essentialibus et potentialibus, licet sit una in substantia eo, quod ipsa est in se colligens omnium formarum ordine naturae se praecedentium naturas et potentias, quae omnes in ipsa complentur ita, ut sic vivat, sentiat et intelligat et secundum locum moveat; et sic habet vegetativum, sensitivum et intellectivum sicut partes essentiales intrinsecus ipsam constituentes et sicut partes potentiales extrinsecus eam consequentes, et cum generatur ab homine et sole per continuitatem motus continue exeuntis de potentia ad actum, non erit esse et vivum simul nec vivum et sensibile simul nec sensibile et rationale simul. Et ad vivum et sensibile operantur virtutes, quae sunt in semine per virtutem animae et primi intellectus, sed ad complementum, quod est rationale esse et intellectuale, non operatur secundum Peripateticos nisi solus primi motoris intellectus; et hac de causa ipsa etiam tota substantia animae partialis viribus potentiarum vegetabilis et sensibilis coniungitur organis corporalibus et non agit sine illis, sed viribus complementi ultimi, rationalis scilicet et intellectualis, nulli omnino parti corporis coniungitur nec est actus alicuius partis corporis«[12]).

Et hoc de secundo.

9) cf. Alb., De nat. et or. an. I 5; Geyer 12,74–13,1 et 13,25–31 et 14,15–35
10) Ps.-Arist., De caus. propr. elem. 1; Venetiis 1562, 206raB
11) cf. Genn. Massil., De eccl. dogm. 14 et 18; PL 42, 1216
12) cf. Alb., De nat. et or. an. I 6; Geyer 14,49–72

67 intrinseco: extrinseco *V* | extrinseco: intrinseco *V* 97 secundum *om. sed in marg. suppl. V*

C Ex praemissis apparet tertium, qualiter videlicet anima sit a corpore secundum superiorem partem et essentialem et consequentem potentialem separata et qualiter secundum partes sensitivas et vegetativas sit coniuncta.

»Talis enim anima partialis, inquantum est rationalis et intellectualis, secundum illum modum, quo est substantia colligens in se sicut in complemento et fine essentiali ultimo esse, vivere et sentire, est ipsa substantia, ex qua emanant quaedam potestates affixae partibus corporis; et illae, quae sunt affixae corpori, sunt sicut instrumenta, quibus regit et movet corpus sibi subiectum anima partialis«[13]).

Et hoc de supposito ex Peripateticorum sententia.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de rationis intentione, secundo de animae partialis ad divinam collatione et tertio susceptaculi partialis animae ad susceptaculum divinae animae similitudinis primae proportionis expressione.

D De primo sciendum, quod ratio in proposito idem est, quod proportio.

"Proportio" autem secundum Euclidem[14]) per tertiam V libri "est duarum quantitatum, quantaecumque sint, eiusdem generis certa alterius ad alteram habitudo".

"Cuius definitionis", ut dicit Campanus in *Commento*[15]) ibidem, "intellectus est, quod proportio est habitudo duarum quantitatum ad invicem, quae attenditur in eo, quod una est maior aut minor alia aut sibi aequalis, per quod patet, quod oportet eas esse eiusdem generis".

Et infra[16]): "Sola enim univoca comparabilia sunt. Quod autem dicit certa habitudo, non sic intelligas quasi nota vel scita, sed quasi determinata".

Ex quibus colligitur habitudinem esse comparationem; comparatio autem est habitudo comparabilium.

Unde manifestum est, quod comparatio ad minus est inter duo extrema, quorum uno non existente non erit comparatio. Ista etiam extrema necessario communicant unam naturam; oportet enim comparabile id habere per se, secundum quod confertur alii, sicut, quod dicitur gravius, necessario est grave. Communicatio autem unius naturae non est nisi vel univocorum vel analogorum, et per consequens ad hoc, quod aliqua comparentur ad invicem, necessarium est ea non esse aequivoca, sed vel univoca – in quibus proprie invenitur comparativa habitudo – vel saltem analoga – in quibus comparatio secundario et minus proprie invenitur. Sic igitur manifestum est, quid sit ratio quia vel proportio vel comparatio, et hoc vel in univocis vel analogis.

13) cf. Alb., De nat. et or. an. I 6; Geyer 15,8–16
14) Eucl., Elem. V, diff. 3; Heiberg–Stamatis 1,6–7; Busard 160,19–20
15) Camp., Comm. V, diff. 3 comm.; Busard 160,37–40
16) Camp., Comm. V, diff. 3 comm.; Busard 160,43–161,45

124 collatione *coni.*: collationem *V* collocatione *O* | susceptaculi *coni.*: susceptibili *codd.*
134 certa *om. sed in marg. suppl. V* 143 necessarium: necessario *V*

Est autem duplex modus analogiae: unus, qui attenditur in habitudine proportionis cuiusdam seu determinatae alicuius ad aliquid, et hoc sive in quantitatibus continuis et discretis sive in potentiis et ponderibus, sicut in numeris 4 ad 2 sunt in dupla proportione; alius modus analogiae attenditur secundum quandam proportionalitatem, quae est "similitudo proportionum", ut dicit Euclides[17]) quarta V, puta sicut se habet hoc ad hoc, sic aliud ad aliquid aliud, et talis proportionalitas hic exprimitur per identitatem rationis seu proportionis animae ad animam et susceptaculi ad susceptaculum.

Et hoc de primo.

Verum quae vel qualis sit ratio partialis animae ad divinam, sub qua ordinatur E
secundum substantiam, considerandum.

Ubi sciendum, quod ista ratio seu proportio inexistit dictis animabus, prout sunt unius universitatis et maneriei, ex qua etiam communicant unam et eandem intentionem (scilicet animealitatis) toti tali universitati primo et per se inexistentem et omnes proprietates talem intentionem essentialiter consequentes; et ideo partialis anima comparatur ad divinam non in animealitate, sed in animealitatis minori vel maiori nobilitate; licet enim una anima non sit plus anima qua alia, tamen una est absolutior et sic nobilior alia. Verbi gratia: Omnis anima est substantia vitalis et cognitiva et vita substantialis et cognitiva et cognitio ut substantia et vita per 197[18]). Et sic hae condiciones competunt tam divinae animae quam partiali.

Verum divina anima est substantia magis vitalis et cognitiva partiali anima; vivit enim non solum vita animeali, sed etiam intellectuali et divina, quod non competit partiali inquantum huiusmodi, quae sola vivit vita animeali, licet pro tempore participet vita et intellectuali et divina.

Item: Divina anima est vita substantialior et magis cognitiva, quam sit partialis.

Sicut autem partialis anima comparatur in essentialibus, quae secundum prius et posterius animabus inexistunt animae divinae secundum submissionem et ignobilitatem, sub qua ordinatur secundum substantiam, item etiam comparatur eidem in proprietatibus consequentibus essentialia; licet enim omnis anima sit incorporea et separabilis a corpore per 186[19]) et impartibilis et incorruptibilis per sequentem[20]), et sic de aliis proprietatibus, quae sunt omnibus communes, tamen divina anima in omnibus talibus eminet super animas partiales. Est enim magis incorporea et separabilior a corpore, cum se tota sit separata, et impartibilior, quia, licet constituatur ex sex intentionibus sicut et partialis, tamen non est sensitiva sicut ipsa nec habet diversitatem potentiarum. Quibus anima partialis comproportionatur suo corruptibili susceptaculo existens in generatione, cum sit invariabilis, manens semper in ente.

17) Eucl., Elem. V, diff. 4; Heiberg–Stamatis 1,8–9; Busard 161,71
18) Procl., Elem. theol. 197; Dodds 172,1–2; Boese 96,1–2
19) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
20) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1

154 susceptaculi *coni.*: susceptibili *codd.* 162 et^2 *om. V* 171 inquantum ... animeali *om. V* 182 non *iter. O*

Ex quibus omnibus apparet, quantum partialis in substantia, virtute et operatione a divina anima excedatur.

Et hoc de secundo.

F Sicut igitur anima partialis exceditur a divina, ita susceptaculum partialis et secundum eandem proportionem exceditur a susceptaculo divinae animae.

Dico autem susceptaculum animae partialis, non quod inhabitat existens in generatione, quod est materiale et corruptibile, sed quod primitus ipso esse suo animat, quod etiam habet hypostasim ingenerabilem et incorruptibilem, per 196[21]).

Hoc, inquam, susceptaculum habet eandem proportionem ad hoc, quod a divina anima animatur, quam proportionem habet sua anima ad animam istius; licet enim utraque sint corpora per essentia immaterialia et indivisibilia secundum substantiam et impassibilia, ut inferius apparebit[22]), tamen corpus, utpote comproportionatum divinae animae, necessario excedit in nobilitate et substantiali et accidentali corpus partiali animae coaptatum; quaelibet enim anima suo susceptaculo proportionatur in essentia et virtute.

Igitur sicut se habet anima divina ad suum susceptaculum, ita partialis ad suum; ergo per commutatam proportionem: Sicut se habet anima divina ad partialem et e converso, ita se habet susceptaculum divinae ad susceptaculum partialis et e converso.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim secundum naturam distributio exematorum – id est receptaculorum vel sedilium – singulis, necesse est omnis partialis animae susceptaculo hanc esse rationem ad susceptaculum totius, quae est ipsius ad illam. Sed distributio est secundum naturam; primitus enim participantia per se naturaliter copulata sunt participatis. Si igitur ut divina ad divinum corpus, ita partialis ad partiale, ipso esse participata utraque, et quod a principio verum, quod et susceptacula animabus eandem habent ad invicem rationem.

Probatio elementi talis est.

Ubicumque est distributio secundum naturam (id est ordine naturae) exematorum, id est receptaculorum vel sedilium, singulis animabus (scilicet totalibus et partialibus), ibi necesse est susceptaculo omnis partialis animae hanc (id est eandem) esse rationem sive proportionem ad susceptaculum totius, quae est ipsius animae partialis ad illam (scilicet divinam); sed distributio est secundum naturam

[21]) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
[22]) cf. infra, prop. 208 D–F

192 quod[1] *om. O* 196 habet sua: sua habet *V* 197 sint: sit *V* 211 divina *om. sed suppl. m. post. V* 217 ibi *om. O*

susceptaculorum ad singulas animas, quia susceptacula primitus participantia sunt per se naturaliter copulata participatis animabus – omnis enim anima participabilis corpore utitur primo seu primitus perpetuo et habente hypostasim ingenerabilem et incorruptibilem per 196[23]) –; igitur si ita se habet partialis anima ad partiale susceptaculum, ut divina anima se habet ad divinum corpus sive susceptaculum, cum utraque anima sit participata a suo susceptaculo ipso esse, necessarium est illud esse verum, quod a principio propositum est, videlicet quod et susceptacula eandem habent animabus ad invicem rationem.

[23]) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2

susceptaculo: susceptabile *V*

PROPOSITIO 206
OMNIS ANIMA PARTIALIS DESCENDERE IN GENERATIONEM IN INFINITUM ET ASCENDERE POTEST A GENERATIONE IN ENS

Ostenso per 196[1]), quomodo se habeat partialis anima ad suum caeleste susceptaculum, nunc auctor ostendit, quomodo per descensum et ascensum se habeat ad terrestre habitaculum, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum scilicet et propositum.

Sed quia supponitur animas partiales cum suis, quae primitus animant, susceptaculis esse concreatas et ex hoc alicubi collocatas, ideo circa primum tria faciam, quia primo ponam loci distinctionem, secundo loci partialium animarum assignationem et tertio earum in loco assignato propriam operationem seu existendi condicionem.

A De primo sciendum, quod »esse in loco dicitur vel proprie secundum propriam huius nominis, quod est locus, significationem; dicitur etiam esse in loco communiter et quasi metaphorice extensa huius nominis 'locus' significatione.

Primo modo dicitur aliquid esse in loco secundum quod Aristoteles IV *Physicorum*[2]) tractans de loco sic describit eum, quod locus est "ultimum continentis immobile"«.

»Alio modo dicimus esse in loco, communiter et quasi metaphorice secundum proportionatam similitudinem ad id, quod vere est esse in loco«, puta corpora, »et sic etiam assignabimus spiritualibus et intellectualibus et aliis supereminentibus ordinibus et ei (scilicet prime bono), quod omnibus supereminet ineffabiliter et loca sua, hoc praesupposito, quod impossibile sit plures esse rerum naturalis providentiae maneries« existentes super generationem, quae competit distinctis contra entia, per 50[3]) et 106[4]) et sequentem[5]), quam sint intellectuales hypostases, vitae, entia, infinitates et unitates, quibus superius est prime unum.

[1]) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
[2]) Arist., Phys. IV 4, 212a20–21; transl. Michaelis Scoti: Venetiis 1562, 139vbL
[3]) Procl., Elem. theol. 50; Dodds 48,16–17; Boese 28,1–3
[4]) Procl., Elem. theol. 106; Dodds 94,21–23; Boese 54,1–4
[5]) Procl., Elem. theol. 107; Dodds 94,32–33; Boese 54,1–2

6 etc. *om. V* 23 et[2] *om. V*

Omnis enim anima participabilis, cum substantiam habeat aeternalem et operationem secundum tempus per 191[6]), est ens simul et generatio per 107[7]). »Item, praenotato, quod maior et minor intimitas est inter dictas maneries ita, quod quaedam sunt intimiores aliis, quaedam extimiores; item, quod sit immediatio inter eas« ita, quod summum inferioris ordinis infimo superioris ordinis copuletur per 147[8]), »ex his tribus accipimus quandam proportionatam similitudinem dictas maneries essendi in loco, similitudinem, inquam, ad ea, quae vere sunt in loco«[9]); et hoc dupliciter, vel quod locentur per exteriora – puta superiora per inferiora – vel per interiora – puta inferiora per superiora –, sicut diffuse tractatum est super 98[10]).

Et hoc de primo.

Verum de locis propriis animae partialis cum suo proprio receptaculo, quod B primitus animat, nunc sciendum, quod secundum Platonicos in stellis comparibus collocantur.

»Stellas vero compares quidam dicunt esse eas stellas, a quarum motoribus semen intelligentiae in partiales animas est transfusum.

Quamvis enim plures stellae unam faciant constellationem et omnes stellae fixae et erraticae ad quamlibet hominis respiciant et conceptionem et ex utero generationem eo, quod cuiuslibet conceptionis et generationis circulus contineat duodecim circulos duodecim domorum secundum astrologos, in quibus sunt omnes stellae caeli, tamen una aliqua principatur in eis et illius motor per influentiam intellectualis luminis in animam spargit intellectualia semina sibi proportionata, propter quod unus dicitur filius Saturni, alius Iovis, et sic de aliis«.

Et in talem sententiam concordant etiam isti, qui dicunt animas creando infundi et infundendo creari »ita, quod usque hodie in circulis nativitatum ponitur ab eis una stella, quam Hyleg et Alkocoden[11]) vocant, quod Latine sonat vita et intellectus, eo, quod nato vitam et intellectum conferre dicitur.

Volunt ergo dicere, quod stella compar ea vocatur, cuius motor dat nato semina vitae et intellectus«[12]).

Sed ista positio non est directe ad propositum, ubi quaeritur locus animae partialis, ut est a mortali corpore separata, quem Platonici dicunt esse in comparibus stellis octavae sphaerae, quem etiam Galaxiam sive lacteum circulum appellamus; in hoc enim loco dicunt tales animas consistere tamquam naturae ipsarum competente[13]).

6) Procl., Elem. theol. 191; Dodds 166,26–27; Boese 93,1–2
7) Procl., Elem. theol. 107; Dodds 94,32–33; Boese 54,1–2
8) Procl., Elem. theol. 147; Dodds 128,32–33; Boese 73,1–2
9) cf. Theodor. De Vrib., De subst. spir. 14 2–3 et 4–6; Pagnoni-Sturlese 313,16–21 et 30–38
10) cf. supra, prop. 98 B; Zavattero 193,69–98
11) cf. Alb., De animal. V 1,n.1; Stadler 409,18–20
12) cf. Alb., De nat. et or. an. II 7; Geyer 30,90–31,23
13) cf. Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12,n.3–7; Willis 48,5–49,12

28 operationem: oper *sed corr. m. post. O* 45 erraticae: erranticae *V* | et[2] *eras. O* 53 una *om. O* 60 competente *coni.*: competentem *codd.*

»Videtur autem haec positio accipi ex quattuor motivis praecipuis: tum quia animarum partialium cum intellectualibus et divinis est eadem natura, cum sint eiusdem seyrae, ergo et idem locus; tum quia anima partialis non debetur corpori terrestri nisi propter similitudinem eius ad caelum, igitur caelum est magis proprius eius locus«[14]); tum quia anima partialis est quasi semen motorum caelestium secundum expositionem Calcidii super *Timaeo*[15]): ergo eorum erit ad eundem locum comparitas; tum etiam quia sunt eiusdem operationis, scilicet intellectualis[16]).

Sicut igitur animae divinae sunt in stellis potius quam in alia parte orbis, cum stellae habeant quasi vicem cordis et sint pars caeli conculcatior et per consequens solummodo luminosae, sic etiam animae partiales dicuntur esse in stellis comparibus Galaxiae, quae est pars orbis octavi conculcatior, unde et tota est luminosa licet quasi in forma lactis, propter stellarum in ibi existentium parvitatem. Haec est sententia Macrobii *Super somnium Scipionis*, ut statim infra melius apparebit[17]).

Et hoc de secundo.

C Quid autem animae partialis in comparibus stellis existentis opus sit, prosequitur auctor libro *De malorum existentia*[18]) 7 cap. in haec verba: "ubi (scilicet in ente sive in comparibus stellis) existentibus ipsis (scilicet animabus partialibus), quod sine tristitia et beatum et vivendo est; sursum enim quidem anima omnis meteoropori, id est alta petit, et omnem mundum dispensat, speculans et cum diis praesidibus ad felicem ac perfectissimam entis epulationem ascendens, et quae in ipsam respicientia replens eo, quod ibi nectare. Non enim erat prime bonum thea, id est speculatio, vel intellectualis vita et prudentia, ut alicubi ait aliquis, sed quod secundum divinum intellectum detinens quidem intellectualia sui ipsius intellectu. Ambiens autem sensibilia his quae alterius potentiis et eorum quae inde bonorum partem etiam ipsius his exhibens, quia, quod perfecte bonum non in salvare se ipsum solum habet le plenum, sed iam et ea, quae ad alia datione et non invidiosae operationis omnia bonifacere desiderat et sibi similia facere".

Haec auctor.

Ex quibus verbis aperte colligitur animam partialem, ut est in ente, esse beatam, sicut quae cum diis praesidibus ascendit ad felicem et perfectissimam entis epulationem, id est ad fruitionem divinorum et specialiter prime boni; hoc enim per epulationem talem signanter, sicut ostendit Dionysius 7 cap. *Angelicae hierarchiae*[19]) in haec verba: "Igitur hic quidem est secundum meam scientiam primus caelestium

14) cf. Alb., Phys. VIII 2 8; Hoßfeld 606,39–53
15) Calcid., Comm. 137; Waszink 178,5–7; Plat., Tim. 41c–d; Waszink 36,9–13
16) cf. Alb., De nat. et or. an. II 7; Geyer 30,35–90
17) cf. infra, prop. 206 D
18) Procl., De mal. subs. 7,n.23; Boese 201,6–18
19) Dion., De cael. hier. 7 4; PG 3, 209D–212A; Heil 31,6–13; transl. Sarraceni: Dionysiaca 860A–862A

77 quid: quia *O* 79 existentibus: entibus *B* 82 ac: *an* ad *scrib. est?* 84 vel: et *B* 87 partem *add.* quandam *B* | ipsius *om. B* 89 omnia: anima *O* | bonifacere: bonificare *B* 93 id est: et *O*

substantiarum ornatus in circuitu Dei et circa Deum sine medio stans et simpliciter et indesinenter ambiens aeternam ipsius cognitionem secundum supremam, ut in angelis, supermobilem collocationem; multis quidem et beatis videns pure contemplationibus, simplicibus autem et immediatis splendoribus illuminatus: et divino nutrimento adimpletus, multa quidem, primo data effusione, una autem, invariabili et vivifica thearchicae epulationis unitate".

De ista etiam epulatione diffuse tractat ipse Dionysius in *Epistula ad Titum*[20]).

Sic autem epulari et delectari in propria et connaturali operatione non impedita non convenit nisi secundum naturam. Si enim est propria, est essentialiter conveniens secundum formam, quae dat esse et rationem, et si est connaturalis, non est per accidens, et si est non impedita, non habet contrarium. Taliter autem felicitas contemplativa se habet ad intellectum. Est autem felicitas illa contemplatio divinorum sine continuo et tempore, quae convenit divinis intellectibus et animabus deificatis, quarum est ad Deum, ut est possibile, assimulatio et unitas, et hoc per unum, quod est deiforme ipsarum, in quod tunc totaliter sunt statutae.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo ponam descensus animarum ab ente in generationem multiplicem rationem, secundo ipsius descensus modum et condicionem, tertio reascensus explicationem.

De primo sciendum, quod auctor libro *De malorum existentia*[21]), ubi supra 7 D cap., postquam ostendit condicionem animarum partialium existentium in ente in eo, quod sunt conformes diis praesidibus et quantum ad mundi dispensationem et quantum ad ascensum ad divinam epulationem, subiungit sic: "Quando autem impotens fit secundum ambas vitae species imitari praesides, speculationis quidem entis expers fit, secundis autem aliis potentiis attrahitur et volentibus circa mundum, generationis principium hoc et periodi animabus, aliter et impotentia quidem et privatio speculationis".

Et supra, 6 cap.[22]) eiusdem libri: "Dicta quidem enim genera (scilicet dii, angeli et homines) omnia insusceptiva speciei transmutationis erant, dico autem transmutationis quae secundum ipsorum ordinem; semper enim unumquodque eundem ordinem quem accepit et salvare natum est. His autem consequenter sunt potentia quidem quandoque ascendere, quandoque autem ferri in generationem et mortalem naturam; et horum haec quidem meliora et diviniora et nihil in attingere mortalem naturam recusantia eam, quae ad divinum cognationem, haec autem omnimodas fracturas sustinentia et perversiones circulorum et oblivione omni repleta et habitudine et malis".

20) Dion., Epist. 9; e.g. PG 3, 1112B; Ritter 204,5 sqq.; Dionysiaca 659A sqq.; Simon 544,71 sqq.
21) Procl., De mal. subs. 7,n.23; Boese 201,18–22
22) Procl., De mal. subs. 6,n.20; Boese 199,3–200,12

120 fit: sit *O om. B* 121 aliter *coni.*: taliter *O dub. V* 126 quem accepit *suppl.*: *om. codd.* 127 quidem quandoque: quandoque quidem *B* 129 divinum cognationem *scr. cum B*: divinam cognationem *V* divinum cognitionem *O*

Et infra[23]): "Si autem, ut qui de ipsis (scilicet melioribus) sermo ait, et quod ipsis plurimum periodi est theoria et vita innocua et cum diis providentia totorum secura, descendentes autem in generationem pro beneficentia eorum, quae hic locorum, hae quidem pro eugonia, id est bona prole, hae autem pro puritate, hae autem pro virtute, hae autem pro divino intellectu facientes elucentiam, perficiuntur cum diis gloriatione et demonum bonorum aspiratione et universi adnuitione (vel intuitione, secundum aliam litteram)".

Haec auctor.

Ex quibus possumus colligere quinque causas descensus animarum partialium in generationem et mortalem naturam, scilicet impotentiam imitandi praesides, eugoniam, puritatem, virtutem et divinum intellectum.

Ista brevius tangit Macrobius dicens[24]): "Quae vero anima appetentiam corporis et huius, quam in terris vitam vocamus ab illa specula altissima et perpetua luce dispiciens desiderio latenti cogitaverit, pondere ipso terrenae contagionis paulatim in inferiora delabitur. Nec subito a perfecta incorporalitate luteum corpus induitur, sed sensim per tacita detrimenta et longiorem simplicis et absolutissimae puritatis recessum in quaedam siderei corporis incrementa turgescit; in singulis enim sphaeris, quae octavae sphaerae subiectae sunt, aetherea oblivione vestitur, ut per eas gradatim societati huius indumenti concilietur, et ideo totidem mortibus, quot sphaeras transit, ad hanc pervenit, quae in terris vita vocitatur".

Et infra[25]): "Hoc ergo primo pondere de zodiaco et lacteo ad subiectas usque sphaeras anima delapsa, dum et per illas labitur, in singulis non solum, ut iam diximus, luminosi corporis amicitur accessu, sed et singulos motus, quos in exercitio est habitura, producit: in Saturni rationem et intelligentiam, quod logysticon et theoricon vocant; in Iovis vim agendi, quod practicon dicitur; in Martis animositatis ardorem, quod thimicon nuncupatur; in solis sentiendi opinandique naturam, quod esthethicon et phantasticon appellant; desiderii vero motum, quod epthimeticon vocant; in Veneris pronuntiandi et interpretandi, quae sentiat, quod hermenenticon dicitur, in orbe Mercurii; phiticon vero id est naturam plantandi et augendi corpora in ingressu globi lunaris exercet. Et est haec, sicut a divinis ultima, ita et in nostris terrenisque omnibus prima. Corpus enim hoc sicut faex divinarum est rerum, ita animal est prima substantia; et haec est differentia inter terrena corpora et supera, caeli dico et siderum aliorumque elementorum, quod illa quidem sursum arcae sita sunt ad animae sedem et immortalitatem ex ipsa natura regionis et sublimitatis imitatione meruerunt; ad hoc vero terrena corpora anima ipsa deducitur et ideo mori creditur, cum in caducam regionem et in sedem mortalitatis includitur".

23) Procl., De mal. subs. 6,n.21; Boese 200,6–13
24) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11; Willis 47,18–29
25) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 50,11–51,9

135 eugonia: eugenia *V* 136 intellectu: intellectum *B* 141 impotentiam: in positionem *V* 142 eugoniam: eugeniam *V* 143 anima *om. B* 150 indumenti *add.* testei *B* | quot: quod *V* 155 rationem: ratiocinationem *B* 162 et *om. B* 166 imitatione *suppl.*: *om. codd.* 167 creditur *add.* et *V*

Haec Macrobius; et subiungit eam non extingui morte sua, sed ad tempus obrui.

Hoc de primo.

Descensus autem ipsius, quo anima de caelo in huius vitae inferna delabitur E per eundem Macrobium[26]), ubi supra, "sic ordo digeritur. Zodiacum ita lacteus circulus obliquae circumflexionis occursu ambiendo complectitur, ut eum, qua duo tropica signa Capricornus et Cancer feruntur, intersecet; has solis portas physici vocaverunt, quia in utraque obviante solstitio ulterius solis inhibetur accessio et fit eius regressus ad zonae viam, cuius terminos numquam relinquit".

De his portis sic dicit Ovidius II *Metamorphoseos*[27]): "Biformes valvae cingebant regia solis. Per has portas a Platonicis animae de caelo in terras meare et de terris in caelum remeare creduntur. Ideo hominum una, altera deorum vocatur; hominum Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est; Capricornus deorum, quia per illum animae in propriae immortalitatis sedem et in deorum numerum revertuntur[28])".

Et infra[29]): "Ergo descensurae cum adhuc in Cancro sunt, quoniam illic positae necdum lacteum reliquerunt, adhuc in numero deorum sunt. Cum vero ad Leonem labendo pervenerint, illic condicionis auspicantur exordium; et quia in Leone sunt rudimenta nascendi et quaedam humanae naturae tirocinia".

Et infra[30]): "Illinc ergo, id est a confinio, quo se zodiacus lacteusque contingunt, anima descendens a tereti, quae sola forma divina est, in conum defluendo producitur, sicut a puncto nascitur linea et in longum ex individuo procedit; ibique a puncto suo, quod est monas, venit in dyaden, quae est prima protractio; et haec est essentia, quam individuam eandemque dividuam Plato in *Timaeo*[31]), cum de mundanae animae fabrica loqueretur, expressit; animae enim, sicut mundi, ita et hominis unius modo divisionis reperientur ignare, si divinae naturae simplicitas cogitetur modo capaces, cum illa per mundi, haec per hominis membra diffunditur. Anima ergo, cum trahitur ad corpus, in hac prima sui productione silvestrem tumultum, id est hylen, influentem sibi incipit experiri; et hoc est, quod Plato notavit in *Phaedone*[32]) animam in corpus trahi nova ebrietate trepidantem volens novum potum materialis alluvionis intelligi, quo delibuta et gravata deducitur".

Haec Macrobius.

[26]) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 47,31–48,5
[27]) Ovid., Met. II 1–4
[28]) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 48,5–11
[29]) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 48,18–24
[30]) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 48,27–49,12
[31]) Plat., Tim. 35a; Waszink 27,7–15
[32]) Plat., Phaedo3 79c

173 digeritur *scr. cum B*: dirigitur *codd.* 180 altera: altero *B* 191 haec *cr. cum B*: hoc *codd.* 194 modo *scr. cum B*: modi *codd.* 195 modo *scr. cum B*: materiae *codd.* | haec *scr. cum B*: hoc *codd.* 198 notavit *scr. cum B*: vocavit *codd.* 199 alluvionis: oblivionis *O*

Et subiungit indicium de cratere locato inter Cancrum et Leonem, ubi inebriantur animae, "unde et comes ebrietatis oblivio illic animis incipit iam latenter obrepere", et causam huius oblivionis subiungit dissessionem de divinitate. Sed licet omnes animae oblivionem hauriant descendendo, aliae tamen magis, aliae vero minus[33]).

Ad hoc facit auctor libro *De malorum existentia*[34]) cap. 6, ubi dicit: "Mensuram enim quandam poculi oblivionis necessarium omnem animam facere, ut ait, qui in *Politia*[35]) Socrates, quod autem oblivionis aliud aliis, alicubi quidem et habitu perdito, alicubi autem et operatione solum sepulta. Hanc itaque operationis quietem, habitu manente intus velut lumine extra procedere propter adiacentem caliginem impotente, oblivionem, si vis nominare, et malitiam, si vis, illarum animarum. Hae autem, siquidem impassibiles sint ab ea, quae in generatione turbatione circa animal facta, propter hoc enim et immaculatas nominare consuevimus tamquam his, quae hic malis in ipsas ingredi non potentibus, sed inflexibilem quidem et influctuosam vitam eam, quae intellectuali loco non adhuc et hic servare potentes, turbatorium autem ipsarum et instabiles independentibus manere sinentes. Hae autem intus silentes donec utique in tranquillitate fuerit animal, effulget ipsarum pulchritudo quasi verisimiliter deorum pueros dictos. Sive igitur in terrenis animalibus sive in aliis partibus universi animarum sint generationes, iste modus descensionis omnibus, et oblivio usque ad hoc et malum. Etenim lumen obtenebrari dicimus, quod propter tenebrositatem eius, quod certum, grossi et nebulosi entis, propinqua illuminare non potest; perfecte autem obtenebratum esse, quod neque ipsum salvare potens; igitur et divinarum illarum animarum descensus, intrinsecam perdens vitam, debilitatem ad agere, quod ipsius, quae autem huiusmodi et quae vitam intrinsecam perdiderunt, et eorum, quae inde speculaminum oblivionis habitae veniunt, et mors exinde enter est et insatiabilitas et alarum defluentia". Haec auctor.

Et sufficiant de secundo.

F Ex praemissis etiam secundum Platonicos colligitur, qualiter anima partialis post suum descensum in humano corpore, cui unitur tamquam instrumento et indumento, quia "decidens in sensum et irrationalitatem et quasi corporeizata assequitur his, quae deorsum et convivens cum ipsis sicut cum vicinis non sobriis obtinetur et ab illorum regnante causa sive fato", "et patitur idem vinculato philosopho et in navim ingresso; etenim iste servit moventibus navim ventis, et quamvis conculcet aliquis nautarum ipsum et iniurietur aliquis vinculantium"[36]); verum si in corpore corruptibili coluerit virtutes et se in entium speculatione exercuerit –

[33]) cf. Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 12; Willis 49,12–21
[34]) Procl., De mal. subs. 6,n.21–22; Boese 200,15–201,11
[35]) Plat., Res p. X, 621a6–7
[36]) cf. Procl., De prov. 7,n.20 et 22; Boese 128,6–8 et 130,4–7

203 huius: his *O* 209 et *om. B* 223 ipsum *scr. cum B*: se ipsum *codd.* 236 corruptibili *lac. sed suppl. m. post. O*

animae enim, dum corpore utitur, haec est perfecta sapientia, ut, unde orta sit, de quo fonte venerit, recognoscat –, si, inquam, anima talia fecerit, "conscientia nobilitatis induitur" virtutibus et practicis et speculativis, politicis videlicet et purgatoriis et purgati animi "quibus post corpus evecta eo, unde descenderat, reportatur, quia nec corporea sordescit vel oneratur eluvie, quae puro ac levi fonte virtutum ligatur. Nec deseruisse umquam caelum videtur, quod respectu et cogitationibus possidebat", licet per aliam portam (scilicet per Capricornum) ad stellas compares per geminos reascendat.

Haec ex Macrobio[37]), ubi supra.

Sane auctor ubi supra[38]) cap. 7 dicit animam vitae speciem variare, "donec utique, ut, qui in *Timaeo*[39]) sermo, quod sursum ad iter versa multam turbam et suborientia ipsi repellens et manere sinens ad ens ipsum et ad clarissimum entis ducatur. Descendens igitur inde veniet quidem utique et ad continens vel pratum et speculabitur eas, quae ibi animas; veniet autem et sub necessitatis termini et oblivionis campum, ubi non qualia primordialem naturam habent, speculabatur. Etenim his, quae sursum animabus veritatis campus et qui ibi in speculationem aderat, siquidem inde alimentum congruum erat animae optima pascua ait ille".

Et infra[40]): "Exuendum igitur nobis et tunicas, quas descendentes induti sumum, et nudi hinc progrediendum illuc, et purificandum ante animae oculum, quo entia specularemur, et intellectum praesidem faciendum interioris vitae pro sensu; mali quidem enim nobis exhibuit generationem, quae ad deterius nobis communicatio et convivere, et oblivio et ignorantia per intellectuale et tenebrosum videre. Bonos autem fugat ad divinum similitudo: ubi est totum bonum et fons bonorum omnium et pura enter et felix vita ibi profectis animabus".

Haec auctor.

Istius autem descensus animarum vult auctor in infinitum vicissitudines permutari, quod non videtur intelligibile; anima enim fruens fonte omnium bonorum utpote beata et felicis vitae nec timore torqueri potuerit nec falsa securitate decipi nec commutabili bono allici ut, volens, a bono incommutabili se avertat nec ad aversionem ab aliquo violentari.

Quare quaecumque anima summo bono semel frui coeperit, in beatitudine aeternaliter perdurabit.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

37) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 9; Willis 40,4–6 et 40,14–19
38) Procl., De mal. subs. 7,n.24; Boese 203,9–17
39) Plat., Tim. 42c4–d2; Waszink 37,15–38,2
40) Procl., De mal. subs. 7,n.24; Boese 203,29–204,37

247 ut *suppl.: om. codd.* | ad *om. B* | versa: versam *V* 251 ubi *om. B* 254 et[2] *suppl. cum B: om. codd.* 256 specularemur: speculemur *V* 259 fons *scr. cum B:* finis *codd.*

COMMENTUM

Si enim quandoque quidem assequitur diis, quandoque autem decidit ab ea, quae ad divinum extensione, intellectuque et contrario participat, palam, quia vicissim in generatione fit et in diis est. Neque enim infinito tempore existens in diis rursus toto consequenti tempore erit in corporibus. Quod enim principium temporale non habet, neque finem aliquando habebit; et quod nullum habet finem, necesse neque principium habere. Relinquitur ergo periodus unamquamque facere ascensuum ex generatione et descensuum in generationem, et hoc incessabile esse propter infinitum tempus. Unaquaeque ergo anima partialis descendere in infinitum potest et hac ascendere, et haec non cessabit circa omnes passio facta.

Probatio elementi talis est.

Omne, quod quandoque assequitur diis, quandoque autem decidit ab ea extensione, quae est ad divinum, intellectuque et contrario (scilicet ignorantia) participans potest descendere in generationem et ascendere a generatione in ens, et hoc in infinitum; sed omnis partialis anima est huiusmodi per 184[41]) et 204[42]); ergo etc.

Neque enim etc. Hic ostenditur, quod ista vicissitudo descensus et ascensus est incessabilis, sic: Omne neque existens infinito tempore in diis, cum utatur periodis et restitutionibus propriae vitae, neque rursus toto consequenti tempore existens in corporibus materialibus, ubi subicitur generationi, facit periodos ascensuum ex generatione et descensuum in generationem, et hoc incessabiliter propter temporis infinitatem; sed omnis partialis anima est huiusmodi, quia, quod non habet temporale principium neque aliquando habebit finem et e converso, quod nullum habet finem, necesse est neque principium ipsum habere; ergo relinquitur unamquamque animam partialem facere periodos et restitutiones ascensuum etc.

Unaqueque. Hic ponitur ex praemissis conclusio principalis, et patet.

41) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
42) Procl., Elem. theol. 204; Dodds 178,10–12; Boese 99,1–3

276 ascensuum: ascensum *V* | descensuum: descensum *V* 278 omnes *an* ens *scrib. est?*
285 etc.: erit *O*

PROPOSITIO 207
OMNIS PARTIALIS ANIMAE SUSCEPTACULUM A CAUSA IMMOBILI CONDITUM EST

Habita natura et proprietate animae partialis nunc auctor ostensurus condicionem primi et principalis ipsius susceptaculi praemittit, a qua et quali causa ipsum sit constitutum in esse, dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam ampliorem duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam susceptaculi partialis animae duplicem acceptionem, secundo primi et principalis condicionem, tertio secundi susceptaculi complexionem et sic ex praemissis hic intenti susceptaculi expressionem.

De primo sciendum, quod susceptaculum est corpus, quo anima utitur; omne A autem corpus subiectum est propter suam propriam formam et actum, non autem e converso, cum ipsa forma etiam habeat rationem finis; et per consequens ex parte ipsius animae oportet accipere rationem, quale debeat esse susceptaculum, cui unitur.

Secundum Platonicos vero anima partialis – secundum duplicem sui statum, quem alternare potest in infinitum, per praemissam[1]) – alio indiget susceptaculo, prout est in ente conformis diis praesidibus (quando videlicet est contemplatrix deorum), alio vero, quando est in generatione cadens in oblivionem.

De quo statu sic canit Boethius libro III *De consolatione*[2]) metro II:

"Quisquis profunda mente vestigat verum
cupitque nullis ille de viis falli,
in se revolvat intimi lucem visus
longosque in orbem cogat inflectens motus
animumque doceat, quidquid extra molitur,
suis retrusum possidere thesauris:
dudum, quod atra texit erroris nubes
lucebit ipso perspicacius Phoebo.
Non omne namque mente depulit lumen

[1]) Procl., Elem. theol. 206; Dodds 180,15–16; Boese 101,1–2
[2]) Boeth., Philos. cons. III m.11; Moreschini 91,1–16

4 et *om. V* 5 susceptaculi *coni.*: susceptibili *codd.* 6 etc. *om. V* 11 susceptaculi[1] *coni.*: susceptibili *codd.*

obliviosam corpus invehens molem:
haeret profecto introrsus semen veri,
quod excitatur ventilante doctrina;
nam cur rogati sponte recte censetis,
ni mersus alto viveret fomes corde?
Quodsi Platonis Musa personat verum,
quod quisque discit, immemor recordatur".
Haec Boethius.

Verum si attenderimus primum statum ipsius animae partialis, scilicet prout est in ente, necessarium est susceptaculum eius esse talis condicionis, quod competat illi statui, ita videlicet, quod sit spirituale secundum proprietatem, licet sit corpus per essentiam. »Quod ut fiat clarius, distinguendum de spiritualitate, non quae attribuitur cognitioni, sed substantiis corporalibus, ut sunt et dicuntur spirituales.

Haec enim dicitur uno modo communiter, et sic attribuitur corporibus quibusdam per remotionem et abnegationem eorum, quae per naturam habent corpora ingrossarae, cuius modi sunt distinctio et oppositio secundum situm, distantia et oppositio secundum locum, quae naturaliter conveniunt corporibus huius mundi sensibilis ex proprietate quantitativae dimensionis«[3]; removentur autem et abnegantur a corporibus spiritualibus, ut inferius apparebit[4]).

»Alio modo dicitur spiritualitas proprie non solum per abnegationem dictarum corporalium condicionum, sed inquantum etiam cum hoc importat proprietas spiritualitatis ea, quibus corpus eminet eis modis, qui pertinent ad perfectionem corporis simpliciter, puta impassibilitas, claritas, subtilitas et agilitas«[5]).

Et sic susceptacula animarum partialium, ut sunt in ente ad hoc, quod sint apta et convenientia pro illo statu, necessario habent utrumque modum spiritualitatis inductum; alias enim non competerent isti statui, in quo est "pura, enter et felix vita ibi profectis animabus"[6]), ut statim patebit.

Et hoc de primo.

B Sane »considerandum magis in speciali ex omnibus causis, quae assignari solent, qua ratione dictae condiciones seu modi pertinentes ad perfectionem simpliciter sint in dictis susceptaculis.

Si enim finis aspicitur, qui est causa causarum, convenienter dicunt Platonici, suis principiis conformiter, quod non solum animae partiales, sed etiam sua susceptacula habent quasdam eminentes perfectiones in ordine ad ipsarum animarum finem, qui est contemplatio deorum secundum ipsos Platonicos, et specialiter eius

3) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 3 2; Sturlese 271,49–55
4) cf. infra, prop. 208 B
5) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 3 4; Sturlese 271,66–272,71
6) Procl., De mal. subs. 7,n.24; Boese 204,36–37

33 veri: viri *O* 44 cognitioni … dicuntur *om. V*

dei, qui est bonorum omnium scaturigo. Nisi enim ipsarum animarum conformium diis praesidibus susceptacula essent spiritualia per remotionem corpora ingrossantium, ut dictum est[7]), et per adeptionem eminentium perfectionum, impediretur contemplatio animarum, immo foedaretur quodammodo status earum.

Si autem causa efficiens advertatur, quae est vel simpliciter vel in sua intentione optima, adhuc habetur propositum, quia optimi est optima ad finem optimum adducere, ut videlicet condiciones etiam susceptaculorum ipsorum congruant et fini et principio«[8]); quae vero sit ratio formalis dictarum condicionum ipsorum susceptaculorum, inferius apparebit[9]).

Materia etiam proprie dicta hic non habet locum.

Et hoc de secundo.

Sane circa secundum modum essendi, quo anima est in generatione, diversificantur Platonici a Peripateticis, qui non solum negant descensum ipsius dicentes C eam in organizato corpore fieri nutu Dei, sed ponunt eas et motores et formas seu actus et fines esse suorum corporum, non quae assumant tamquam indumenta, sed quibus sit eas uniri naturale.

Unde et dicunt animam esse "actum corporis" organici "physici potentia vitam habentis"[10]).

Cum enim sint infimae in ordine intellectualium substantiarum, non habent – ut asserunt – species intelligibiles naturaliter sibi inditas, quibus possint intelligere, quod etiam dicunt actum coniuncti et esse quoddam pati, sed accipiunt a rebus extra, mediantibus potentiis sensitivis. Omnis enim ars et scientia, immo omnis cognitio – secundum eos – ex praeexistente fit cognitione sensitiva, et ideo necessarium est ipsa corpora optime esse disposita ad sentiendum et praecipue ad sensum tactus, qui est – fundamentum aliorum; et sic etiam a generante sunt redacta ad perfectissimum commixtionis modum temperatissimae complexionis et ad aequalitatem maxime accedentis.

Platonici vero ponentes eas concreari et descendere in generationem negant eas esse proprie actus corporum materialium, sed motores, quibus etiam – ut dicunt – utuntur sicut instrumentis, nec mendicare species intelligibiles ab extra, sed habere eas sibi inditas a conditore. Unde si anima esset in ordine naturali, in quo creata fuit, per istas species rerum exemplares intelligeret ea, quae sunt extra, cum intellectus ingrederetur visionem sui intellectualem propter hoc, quod species essent, tunc actu in ea descriptae et essent exemplares in actu; nunc autem

7) cf. supra, prop. 207 A
8) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 4–5; Sturlese 272,3–273,36
9) cf. infra, prop. 208 A
10) Arist., De an. II 1, 412a27–28; transl. vetus: Stroick 66,91

92 temperatissimae: temperantissimae *V*

propter vinculum generationis corruptae oblivionis molem ingerentis, necessario utitur sensu ignorans species, quae naturaliter sunt in ipsa, et abstrahit species a rebus materialibus, ut accendatur in ipsa vividus calor cognitionis, qui ex propria natura et condicione eidem inexistens confunditur passionibus, quae sunt ex generatione, et ideo indiget repurgatione ad sui ipsius cognitionem. Unde et anima speculans singularia unius speciei vel unius generis subsistentia in corporibus, in ipsis speculatam communiter rationem secundum abstractionem a materia in se ipsa subsistere faciens superfert hanc proprie sibi ipsi rationabiliter et scientialiter.

Et illum ordinem sciendi et intelligendi respexit Aristoteles[11]), et ideo dicit, quod omnis nostra cognitio incipit a sensu.

Plato autem non negat viam istam, sed cum hoc invenit aliam, qua consideravit non solum species intelligibiles actu inexistere omni animae, ut supra patuit per 194[12]), sed etiam sensibiles, sicut canit Boethius V *De consolatione*[13]) metro 4:

"Praecedit tamen excitans
ac vires animi movens
vivo in corpore passio.
Cum vel lux oculos ferit
vel vox auribus instrepit,
tum vigor mentis excitus
quas intus species tenet
ad motum similes vocans
notis applicat exteris
introrsumque reconditis
formis miscet imagines".

Et sic dicunt corpus etiam corruptibile esse aequalis complexionis, ut aliqualem habeat similitudinem cum caelo in oboediendo animae partiali.

Ex praemissis etiam evidenter apparet, quod auctor non loquitur hic de susceptaculo animae secundario, scilicet quo utitur in generatione, sed quod sibi semper adhaeret et quod semper animat, quod etiam est ipsius primarium susceptaculum.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo ponam causae immobilis duplicem acceptionem, secundo susceptaculi animae partialis ab utraque institutionem et tertio ex praemissis propositi intentionem.

D De primo sciendum, quod, ex quo motus est duplex, quia vel actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi vel actus existentis in actu secundum quod huiusmodi[14]), primus est physicus et est eius, quod est quantum, secundus est animealis et per consequens proprius est eius rei, quae est quantitative impartibilis utpote nullam habens magnitudinem, qualis est anima, quae est essentia se ipsam movens.

11) Arist., Anal. post. I 1, 71a1–2
12) cf. supra, prop. 194 A
13) Boeth., Philos. cons. V m.4; Moreschini 152,30–40
14) cf. Arist., De an. III 7, 431a6–7

113 4: 9 *V* 119 tum *coni.*: cum *V* tu *O* 125 aliqualem: aliquem *V*

Ex quo, inquam, sic est immobile, quod opponitur mobili, vel negat motum physicum tantum vel cum hoc removet etiam motum animealem; et sic secundum primam acceptionem immobilis omnis anima carens quantitate et per se et per accidens est immobilis, sed quoad secundam significationem omnis intellectus et omnis res, quae est ens secundum speciem absque proprietate individualitatis, licet non singularitatis, est et dicitur immobilis.

Ex quibus consequens est causam immobilem accipi duobus modis: vel quod solum removeat tantum motum physicum, et sic anima est causa immobilis, vel quod cum hoc etiam abneget motum animealem, et sic intellectus est causa immobilis, non autem anima.

Et hoc de primo.

Verum a qua istarum immobilium causarum conditum sit animae partialis susceptaculum, considerandum. E

Macrobius namque *Super Somnium Scipionis*[15]) tractans illud "hisque (scilicet hominibus) animus datus est ex illis sempiternis ignibus" sic dicit: "Notandum est, quod in hoc loco animum, et ut proprie et ut abusive dicitur, posuit. Animus enim proprie mens est, quam diviniorem anima nemo dubitavit: sed non numquam sic et animam usurpantes vocamus. Cum ergo dicit: "hisque animus datus" etc., mentem praestat intelligi, quae nobis proprie cum caelo et sideribus communis est. Cum vero ait: "retinendus animus est in custodia corporis", ipsam tunc animam nominat, quae vincitur custodia corporali, cui mens divina non subditur. Nunc qualiter nobis animus, id est mens, cum sideribus communis sit, secundum theologos disseramus. Deus, qui prima causa et est et vocatur, unus omnium quaeque sunt quaeque videntur esse princeps et origo est. Hic superabundanti maiestatis fecunditate de se mentem creavit; haec mens, quae noys vocatur, qua parte patrem inspicit, plenam similitudinem servat actoris, animam vero de se creat posteriora respiciens. Rursum anima patrem, qua intuetur, induitur, ac paulatim regrediente respectu in fabricam corporum incorporea ipsa degenerat. Habet ergo et purissimam ex mente, de qua nata est, rationem, quam loycon vocant et ex sua natura accipit praebendi sensus praebendique seminarium incrementi, quorum unum estheticon (id est sensualitas), alterum phyticon (id est *vegetatio*) nuncupatur. Sed ex his primum, id est logycon, quod innatum sibi ex mente sumpsit, sicut vere divinum est ita solis divinis aptum; reliqua duo, estheticon et phyticon, ut a divinis recedunt, ita convenientia sunt caducis. Anima ergo creans sibi condensque corpora, nam ideo ab anima natura incipit, quam sapientes de Deo (scilicet theologi) noyn nominant, ex illo mero ac purissimo fonte mentis, quem nascendo de originis suae hauserat copia, corpora illa divina vel supera, caeli dico et siderum, quae prima condebat animavit, divinaeque mentes corporibus omnibus, quae in formam

15) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 14; Willis 55,30–57,12

150 et ... primo *om. O* 162 quaeque *scr. cum B*: quae *codd.* 167 fabricam *scr. cum B*: facturam *codd.* 168 loycon vocant: logycon vocatur *B* 169 unum *add.* est *O* 170 vegetatio *scr. cum B*: generatio *codd.* 177 mentes *scr. cum B*: mentis *codd.*

teretem, id est in sphaerae modum, formabantur, infusae sunt; et hoc est, quod, cum de stellis loqueretur, ait: "que divinis animatae mentibus". In inferiora vero ac terrena degenerans, fragilitatem corporum caducorum deprehendit meram divinitatem mentis sustinere non posse, immo partem eius vix solis humanis corporibus convenire, quia et sola videntur erecta, tamquam ad supera ab imis recedunt, et sola caelum facile tamquam erecta suspiciunt solisque inest vel in capite sphaerae similitudo, quam formam diximus solam mentis capacem...; sed et geminam illam sentiendi credique naturam, quia caducum est corpus, inseruit. Et hinc est, quod homo et rationis compos est et sentit et crescit solaque ratione meruit praestare ceteris animalibus".

Haec Macrobius.

Ex quibus verbis aperte colligitur animam incorpoream in fabricam corporum degenerare.

Unde et concludit: "Anima ergo est creans sibi condensque corpora", scilicet illud, quod primitus animat, quod etiam est caeleste et sidereum et caducum, cui etiam inserit geminam, ut dicit, naturam sentiendi et crescendi. Sed quia omne, quod a secundis producitur, et a prioribus et causalioribus producitur eminentius, a quibus et secunda producebantur, per 56[16]), cum ergo intellectus sive noys sit prior et causalior ipsa anima, ut iam supra patuit, necessarium est susceptaculum partialis animae, quod ipsum primitus condidit et animat per esse suum ab intellectu causaliter eminentius dependere, qui non solum dat sibi ingenerabilem et incorruptibilem existentiam seu subsistentiam, sed etiam insolubilem permanentiam. Corpus enim tale "vitam" "et motum" accipit "ab anima, permanentiam autem insolubilem ab intellectu, unionem autem divinam a participata unitate" per commentum 129[17]) in fine.

Praemissis alludit Averroes in *De substantia orbis*[18]) ubi dicit: "et ideo necesse est in intellectu potentiam esse largientem ipsi (scilicet caelo) permanentiam aeternam" etc.

Et hoc de secundo.

16) Procl., Elem. theol. 56; Dodds 54,4–6; Boese 30,1–3
17) Procl., Elem. theol. 129 comm.; Dodds 114,28–31; Boese 65,17–20
18) Averr., De subst. orb. 2; Venetiis 1562, 6vK

178 quod *om. O* 180 fragilitatem *add.* per *O* | divinitatem mentis *scr. cum R:* divinitatis mentem *codd.*

Ex praemissis etiam evidenter apparet, quod susceptaculum partialis animae, F
cum hanc habeat rationem ad susceptaculum divinae animae, quam habet anima partialis ad divinam, sub qua ordinata est secundum substantiam, per 205[19]), et
210 sit intransmutabilis subsistentiae per 196[20]), conditum est ab immobili causa, per conversam 76[21]). Omne enim, quod fit ab immobili causa, intransmutabilem habet essentiam, et e converso omne, quod habet intransmutabilem essentiam, fit ab immobili causa. Quod si non causa, esset deterior causato.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim perpetuo dependet ab utente ipso anima et connaturaliter, intransmutabile ens secundum substantiam, a causa immobili hypostasim habet. Quod enim a causis motis fit, transmutat esse secundum substantiam. At vero omnis anima perpetuum habet corpus, quod primitus participat; quare et partialis anima. Et causa ergo susceptaculi ipsius immobilis est
220 *et propter hoc supermundialis.*

Probatio elementi talis est.

Omne corpus dependens perpetuo ab utente ipso anima et connaturaliter existens intransmutabile secundum substantiam est conditum ab immobili causa, quia, quod a causis motis fit, transmutat esse secundum substantiam, per secundam partem 76[22]); sed omnis partialis animae susceptaculum est huiusmodi; ergo etc.

At vero. Removetur instantia, qua quis posset dicere, quod anima partialis non semper participetur a tali corpore, cum dicitur: at vero (pro: sed) omnis anima participabilis habet corpus, quod primitus ipsa participat, quare et partialis anima habebit tale corpus.

230 *Et causa.* Hic infertur conclusio principalis rationis, cum dicitur: Et causa ergo susceptaculi ipsius talis animae est immobilis et ex hoc supermundialis.

19) Procl., Elem. theol. 205; Dodds 180,4–6; Boese 100,1–3
20) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
21) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2
22) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2

212 e ... essentiam *om. O* | fit *coni.*: sic *O* sit *V* 226 at: ac *V* 227 at: ac *V*

PROPOSITIO 208
OMNIS PARTIALIS ANIMAE SUSCEPTACULUM IMMATERIALE EST ET INDIVISIBILE SECUNDUM SUBSTANTIAM ET IMPASSIBILE

Ostensa causa susceptaculi animae partialis nunc auctor ponit tres condiciones ipsius susceptaculi dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, scilicet suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ostendam susceptaculi animae partialis spiritualitatem et ex hoc consequentem claritatem, secundo ipsius subtilitatem et tertio consequentem agilitatem.

A De primo sciendum, quod »spiritualitas duobus modis dicitur.

Uno modo, inquantum designat essentialiter substantiam eius, de quo dicitur, ut videlicet spirituale dicatur aliquid, inquantum per suam substantiam est spiritus; et sic spiritus angelicos dicimus substantias spirituales et etiam animas partiales.

Alio modo dicitur spiritualitas, secundum quod importat in significato suo dispositionem accidentalem alicuius rei, de qua dicitur; et sic secundum talem spiritualitatem res aliqua spiritualis dicitur, inquantum abstrahit ab omni loco et situ corporali.

Verum in ista secunda acceptione spiritualitatis invenitur aequivocatio et diversitas secundum genus.

Spiritualitas enim talis aut est contracta per naturam, ex origine scilicet essentiali talis substantiae, et sic susceptaculum, quo primitus utitur anima partialis et quod ipso esse animat, licet sit corpus per essentiam, est spirituale, et hoc spiritualitate, secundum quam abstrahit ab omni loco et situ corporali, contracta per naturam ex origine sua essentiali, secundum quam dependet causaliter ab immobili causa, ut supra praemissa expositum est[1]); aut talis spiritualitas est quasi ab extrinsecus indita rei etiam per essentiam corporali, et sic corpora futurae resurrectionis erunt spiritualia[2])«[3]).

»Talis etiam spiritualitas dictorum susceptaculorum necessario coexigit perfectiones spiritualitatis in ordine ad illum beatum finem, qui est prime boni, quod est fons omnium bonorum contemplatio.

Et hoc duplici ratione tracta ex hoc fine, scilicet necessitatis et congruentiae.

[1]) cf. supra, prop. 207 A sqq.
[2]) cf. I Cor. 15,44
[3]) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 36 1–3 et 7–8; Pagnoni-Sturlese 338,3–13 et 339,32–39

5 etc. *om. V* 6 scilicet *om. V* 23 hoc *om. V* 25 quam: quod *V*

Necessitatis inquam: Quomodo enim anima partialis habens sibi unitum tale etiam spirituale susceptaculum tota ferri posset per actum perfectum contemplationis in prime bonum, si eius susceptaculum obscuritate seu tenebrositate aliqua foedaretur? Et ideo necessarium est ipsum esse decoratum tanta claritate, quae competat illi statui beatitudinis glorioso.

Alia ratio sumpta ex eodem fine concludit, quod summe congruit illi perfectissimo fini, ut in ordine ad ipsum non solum anima partialis superimpleta sit splendore intelligibili, sed etiam ipsum corpus fulgeat secundum se totum mirabili claritate«[4]).

»Ubi tamen considerandum, quod claritas dicitur dupliciter.

Uno modo per oppositum ad obscuritatem; et sic claritas idem est, quod puritas cum perspicuitate, quae consequitur simplicitatem corporum. Simpliciter enim prima sunt omnino simplicia et sic perspicua, nisi admisceantur eis aliquae extraneae et quodammodo contrariae naturae, quae permixtio est causa obscuritatis.

Alio modo accipitur claritas per oppositum ad tenebrositatem, sicut sol dicitur esse clarior cunctis astris; et iste modus claritatis in sui ratione includit primum iam dictum modum.

Immo, ut verius dicatur, tota ratio causalis huius secundi modi pendet ex primo. Claritas enim luminositatis non est aliud quam conculcatio partium diaphani in actu; est autem diaphanum sive perspicuum in actu, quod transfusum est lumine, quod, si cum hoc conculcatum fuerit, erit luminosum in actu; transfusio enim luminis et eiusdem conculcatio pertinet ad ipsius susceptaculi claritatem; sine his autem foedae sunt omnes substantiae, sive spirituales sive corporales.

Nullam vero foeditatem illius status gloria sustinebit; et sic aliquo modo appareret ratio claritatis«[5]).

Et hoc de primo.

Verum »de subtilitate talis susceptaculi sciendum, quod ratio eius consistit in B eo, quod talia susceptacula non contraponuntur sibi nec distinguuntur necessario secundum situm nec quantum ad locum proprie dictum, quia eorum subtilitas est spiritualitas eorum, qua sunt determinata ad regionem spiritualem, in qua se mutuo compatiuntur, nec ad invicem se expellunt secundum situm vel secundum locum propter spiritualitatem suam«, ut infra clarius apparebit[6]).

»Cui subtilitati opponitur duplex grossities: una quantitativa, videlicet qua corpora dimensionata in regione corporalium mutuo se expellunt nec se compatiuntur secundum eundem situm vel locum; alia qualitativa, secundum quod dicimus terram esse grossiorem aqua et aquam aere et ignem subtiliorem omnibus; haec autem secunda grossities includit primam«[7]).

4) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 4; Sturlese 272,7–273,28; supra, prop. 207 B
5) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 9; Sturlese 275,2–276,26
6) cf. infra, prop. 209 A
7) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 10; Sturlese 276,29–40

34 posset: possit *V* 45 aliquae: aliqua *V* 47 sol *om. O* 48 primum: ipsum *V*
65 duplex *om. V*

»Notandum vero est, quod simplicia in quocumque genere, sive quantitatis sive qualitatis, sive sint corporalia sive spiritualia, inquantum simplicia non excludunt se mutuo secundum locum seu secundum situm.

Cuius ratio primo sumitur ex proprietate simplicitatis.

Simplicia enim inquantum simplicia sunt indivisibilia, et haec ad invicem se mutuo excludendum non contraponuntur; exemplum habemus in his, quae simplicia sunt quocumque modo simplicitatis in genere continuae quantitatis, sive videlicet sint puncta, quae sunt simplicia secundum omnem modum simplicitatis, qui competit continuae quantitati secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem, sive sint simplicia secundum latitudinem solum, ut lineae, vel secundum profunditatem, ut superficies, quae (scilicet puncta, lineae et superficies) quoad omnes tales modos simplicitatis se non excludunt ad invicem secundum situm localem, quae tamen, inquantum sunt de genere quantitatis, magis accedunt ad naturam compositionis et per consequens ad naturam exclusionis mutuae quam ea, quae qualitativam naturam important, sive sint in genere substantiae sive in genere qualitatis vel cuiuscumque alterius generis.

Manifestum est, inquam, quod huiusmodi non excludunt se secundum locum seu secundum situm inquantum simplicia, ex quo sic se habent simplicia in genere quantitatis.

Cuius rei signum est, quod miscibilia in mixto se non excludunt mutuo, sed sunt simul in omni puncto inquantum prima miscibilia, quia secundum hoc stant sub ordine superioris causae, a qua primitate descendunt, inquantum cadunt sub ordine inferioris causae, quae est generans mixtum, in cuius ordine iam mixtum secundum partes quantitativas dimensionales se excludit, ut se non compatiantur simul in eodem loco vel situ ex natura quantitatis continuae«[8]).

Cum igitur omnis partialis animae susceptaculum et sit simpliciter et stet sub ordine immobilis causae ipsum condentis et statuentis extra hunc inferiorem ordinem causalem, qui deservit generationi in alium statum (scilicet entis) sublimiorem seu altiorem, quam sit status huius mundi inferioris, in quo altiori et abstractiori statu ratione spiritualitatis et simplicitatis suae, quam contrahunt per naturam ex origine sua, ut dictum est[9]), subtilitate angelica decorantur salva in ipsis susceptaculis natura et substantia corporali.

Et hoc de secundo.

C »De agilitate vero ipsorum susceptaculorum nunc considerandum.

Cuius ratio et proprietas in hoc consistit, ut in non habendo aliquod impedimentum in commanendo simul secundum locum corporalem cum aliquo spiritu vel etiam aliquo corpore cuiuscumque condicionis sit, vel in non habendo aliquod obstaculum in movendo per aliquem locum corporalem seu etiam retardando quoad accelerationem, sed ubicumque voluerit anima partialis, et in eodem instanti mox absque mora erit et ipsum susceptaculum.

[8]) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 11; Sturlese 276,43–277,70

[9]) cf. supra, prop. 208 A

80 ut: sicut *V*

Horum trium opposita inveniuntur in corporibus crassis ex contraria eorum dispositione secundum statum et cursum huius inferioris ordinis, qui deservit generationi, extra quem ordinem naturaliter constituta sunt ipsa susceptacula in superiorem et abstractiorem causalem ordinem virtute immobilis causae.

In quo ordine sicut ratione suae spiritualitatis et simplicitatis sunt et clara et sic subtilia, sic et ex eisdem naturae principiis erunt agilia, quia non erit in eis compositio, quae importet aliquam contrarietatem in membris motivis ad invicem, nec aliquam grossitiem in substantia eorum, nec determinata sunt ad aliquam regionem corporalem, sed ipsorum regio erit omnino spiritualis, non distans localiter vel situaliter a regione corporali, sed solum in quodam ordine«[10]), licet Macrobius[11]) opinetur ea sita naturaliter in Galaxia cum suis partialibus animabus.

Et hoc sufficiat de supposito.

Circa propositum vero tria faciam, quia primo dicam de susceptaculorum immaterialitate, secundo de eorum impassibilitate et tertio de eorum indivisibilitate.

De primo sciendum, quod immateriale dicitur per abnegationem materiae. D

Sunt autem, qui distinguunt de materia dicentes, quod materia dicitur proprie et minus proprie sive communiter et communissime.

»Proprie dicitur materia, ubi est admixta privatio, propter quam ipsa est principium seu subiectum primum generationis et corruptionis, quia, ubi materia, ibi generatio, et "omne habens materiam est generabile et corruptibile"[12]); transmutatio vero et quae est in substantia et in alterativa qualitate fecit nos scire talem materiam esse[13]).

Minus autem proprie dicitur materia sive communiter, ubi non est admixta privatio et tamen est sub situ et dimensione.

Communissime autem dicitur materia, ubi nec est cum privatione nec sub situ, sed tantum secundum esse potentiale; et materia secundum hanc rationem dicitur ut materia, secundum quod dicit Aristoteles II *De generatione et corruptione*[14]), quod materia est, qua res potest esse et non esse. Et materia secundum hanc ultimam considerationem dicitur esse in omnibus praeter primum, sicut vult Avencebrol[15]).«[16])

10) cf. Theodor. de Vrib., De dot. corp. glor. 14 1–3; Sturlese 279,34–51
11) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 9,n.10; Willis 41,25–42,2; I 12,n.3 sqq.; Willis 48,11 sqq.
12) Averr., Phys. I comm. 79; Venetiis 1562, 45rC
13) cf. Arist., Phys. IV 4, 211b31–212a2; Averr., Phys. IV comm. 38; Venetiis 1562, 138vI
14) Arist., De gen. et corr. II 9, 335a32–33
15) Avenc., Fons vitae V 10–18; Baeumker 274,8–292,17
16) cf. Thom. de Ebor., Sapient. VII 24; Cod. Flor. Conv. Soppr. A. VI. 437, 223ra; cf. etiam supra, prop. 187 C

119 in *om. O* 125 dicitur *om. O* 128 privatio *coni.*: privationi *codd.*

Materia vero secundo modo dicta dicitur esse etiam in sempiternis, ubi est existens aliquod in actu, scilicet corpus, et ideo dignius habet hoc nomen 'subiectum' quam hoc nomen 'materia'[17]).

Sed materia primo modo, scilicet proprie dicta, habet, quod tria accidunt ex ea: error, corruptio et malitia.

Error: Quamvis enim natura aliquando intendat aliquam formam aut operationem rectam et ordinatam, prohibetur tamen ex parte materiae, propter quam agens non inducit formam intentam, sicut apparet in monstruosis, de quibus loquitur Aristoteles II *Physicorum*[18]).

Corruptio, quia secundum Rabbi Mosen[19]) omnibus corporibus generabilibus et corruptibilibus non contingit corruptio nisi ex parte materiae, quam habent, quia in natura materiae est privatio formae; ideo omne habens materiam et formam est generabile et corruptibile.

Malitia, quia mores pravi et perversi, qui sunt in homine, non sunt in eo nisi ex parte materiae corporalis.

Cum igitur susceptaculum animae partialis sit sine errore et corruptione et malitia utpote conditum ab immobili causa per praemissam[20]) et sic intransmutabilis et ingenerabilis et incorruptibilis hypostasis per 196[21]) et supra locum et tempus, ubi non est malum, necessarium est ipsum esse immateriale.

Et hoc de primo.

E Ceterum de ipsius indivisibilitate sciendum, quod principia susceptaculi talis ipsum constituentia prius natura sunt entia simpliciter quam entia haec, id est individualia; unde et ipsum susceptaculum prius est essentia corporis simpliciter quam corporis huiusmodi, et eius forma (scilicet partialis anima) prius unitur essentiae sui susceptibili, ut est essentia corporis simpliciter quam huius corporis.

Et per consequens unio animae partialis cum suo susceptaculo praecedit dimensiones, quaecumque sibi fingerentur inexistere, et ex hoc non solum anima partialis, sed etiam ipsius susceptaculum est indivisibile secundum substantiam. Cum enim sit immateriale, non recipit quantitatem seu dimensiones primo ante receptionem animae partialis, quam quantitatem si reciperet, esset divisibile secundum formam et forma secundum eius divisionem, sicut ostendit Averroes in *De substantia orbis*[22]).

Divisio enim non est in substantia nisi per quantitatem; ipsa namque divisio maxime proprium est quantitati.

17) cf. Arist., Metaph. VIII 4, 1044b6–11; Averr., Metaph. VIII comm. 12; Venetiis 1562, 220rM; De subst. orb. 2 et 3; Venetiis 1562, 6vH et 10rA–B; Alb., Metaph. VIII 2 2; Geyer 403,9–13
18) Arist., Phys. II 8, 199b1–5
19) Mos. Maimon., Dux neutror. prooem.; Parisiis 1520, 4r
20) Procl., Elem. theol. 207; Dodds 180,30–31; Boese 101,1–2
21) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
22) Averr., De subst. orb. 1; Venetiis 1562, 3vM–4rA

141 etiam: et *V* 144 proprie: prime *V* 157 et *om. V* 163 et: etiam *O* 169 quantitatem *om. V* 170 quam *om. O*

Unde et sic describitur: "Quantitas est illud, quod dividitur in res, quae sunt in eo, quorum unumquodque habet naturam, ut sit unum aliquid et hoc etiam"[23]).

De essentia enim dimensionis sive quantitatis primo et per se est ipsum dimensionatum habere partem extra partem, cui consequens est ipsum dimensionatum habere in suis partibus extensionem secundum differentiam situs, ex quo sequitur, ut sit terminatum aliquo termino.

Cum igitur susceptaculum animae partialis, quod primitus animat suo esse et sit immateriale, ut supra ostensum est, et unio eius cum sua anima praecedat dimensiones – sive dicantur interminatae vel terminatae –, ipsum necessario erit indivisibile secundum substantiam ad instar corporum caelestium, in quibus prius natura unitur anima suo subiecto, inquantum sunt principia seu entia ut simpliciter et constituitur caelum prius natura ut ens simpliciter et quasi ens secundum speciem et deinde determinatur in individuum, ut sit hoc caelum.

Ex quo necessario sequitur unionem dictorum principiorum in caelo praecedere omnia accidentia naturalia caeli, quae non sunt nisi huius corporis caelestis et individui; et sic caelum est indivisibile, licet sit quantum.

In corporibus autem generabilibus et corruptibilibus et in eorum constitutione prius natura uniuntur talium corporum principia, inquantum sunt principia haec (scilicet individualia), et prius natura constituitur in via generationis hoc corpus quam corpus simpliciter. Et ideo, quamvis accidentia, quae sunt dispositiones totius (puta color, figura et similia), sequantur ordine naturae unionem cum materia, scilicet ipsum compositum, quod est individuum, quia tamen talium forma corporum unitur materiae individuali, necessarium est ipsam esse distinctam in partes suae substantiae, ut videlicet sit pars extra partem, sine quo materia non haberet rationem individui, et per consequens omne corpus materiale est secundum substantiam divisibile, non sic autem immateriale, ut satis dictum est et ostensum.

Et hoc de secundo.

Verum licet impassibilitas ipsius susceptaculi satis appareat ex ipsius immaterialitate et indivisibilitate – omne enim immateriale et indivisibile est impassibile, cum nec etiam recipiat peregrinas impressiones, utpote intransmutabile secundum substantiam, et qualitates alterativas –, tamen, ut eius impassibilitas evidentius appareat, praemittatur distinctio passionis. F

Quae uno modo idem est, quod receptio, licet sit cum salute et perfectione, et hoc sive in corporalibus, ut apparet in stellis et praecipue in luna, quae, licet sit immaterialis et indivisibilis secundum substantiam, tamen recipit lumen suum a sole, quo perficietur, sive in spiritualibus, sicut patet in intelligere hominis, quod est secundum Aristotelem[24]) quoddam pati, et similiter patet in aliis substantiis

[23]) Arist., Metaph. V 13, 1020a7–8
[24]) Arist., De an. III 4, 429a13–15

177 enim *om. sed in marg. suppl. O* 182 sit *coni.*: sic *codd.* 186 constituitur ... et² *om. O* 192 inquantum *iter. O* 210 in² *om. V* 211 similiter: simpliciter *V*

spiritualibus concernentibus accidentales perfectiones. Et talis passio, licet aliquo modo alteret sive instantanee sive temporanee, non tamen abicit a substantia et per consequens nec a susceptaculis, de quibus agitur, nec etiam ab ipsis animabus partialibus hic negatur.

Alio modo passio est substantialis vel etiam accidentalis transmutatio abiciens a substantia magis facta, et talis passionis secundum actum et passibilitatis secundum potentiam seu habilitatem remotio seu negatio est impassibilitas, ut hic sumitur.

Cum igitur tale susceptaculum habeat intransmutabilem existentiam utpote procedens ab immobili causa per praemissam[25]), necessario sibi competit impassibilitas et secundum actum et secundum potentiam.

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim ex immobili processit condicione et est perpetuum, immaterialem hypostasim habet et impassibilem. Quae enim pati secundum essentiam nata sunt et transmutantur, et materialia omnia sunt; et alias aliter se habentia a motis causis dependent. Propter quod et transmutationem suscipiunt omnimodam simul mota suis exordialibus causis. At vero, quod et indivisibile, palam. Quod enim dividitur omne, hac corrumpitur, qua dividitur, distans a toto et a continuitate. Si igitur intransmutabile secundum substantiam, et impassibile et indivisibile utique erit.

Probatio elementi talis est quoad primam et tertiam condicionem.

Omne procedens ex immobili condicione et existens perpetuum, habet immaterialem hypostasim seu esse immateriale et impassibile; sed omnis partialis animae susceptaculum processit ex immobili condicione et est quid perpetuum; ergo etc.

Quae enim etc. Hic probatur idem per ad impossibile sic: Omnia, quae sunt apta nata pati secundum essentiam et quae transmutantur substantialiter et quae per consequens sunt materialia et alias aliter se habentia, omnia, inquam, talia dependent a causis motis per secundam partem 76[26]), propter quod et suscipiunt omnimodam transmutationem, id est generationem et corruptionem, simul mota suis exordialibus causis; sed secundum adversarium omnis partialis animae susceptaculum est huiusmodi, scilicet materiale et passibile; ergo dependet a causa mota. Quod contradicit praemissae.

[25]) Procl., Elem. theol. 207; Dodds 180,30–31; Boese 101,1–2
[26]) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2

222 et ... elementi: etc. *V* 225 secundum *om. V* 233 animae *coni.*: anima *codd.*
235 quae² *om. O* 239 corruptionem *lac. sed suppl. m. post. O*

At vero. Hic ostenditur media condicio, scilicet quod sit indivisibile, sic: Omne divisibile et quod actu dividitur, ex ea parte corrumpitur, qua dividitur, distans a toto et continuitate; sed nullum susceptaculum partialis animae est corruptibile per 196[27]), cum sit hypostasis incorruptibilis; ergo nullum susceptaculum est divisibile; ergo omne est indivisibile.

[27]) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2

243 at: ac *V*

PROPOSITIO 209
OMNIS PARTIALIS ANIMAE SUSCEPTACULUM DESCENDIT QUIDEM MORE MATERIALIORUM, SIMUL DUCITUR AUTEM ANIMAE PER ABLATIONEM OMNIS MATERIALIS ET RECURSUM IN PROPRIAM SPECIEM PROPORTIONALEM UTENTI ANIMAE

Habitis condicionibus inexistentibus susceptaculis partialium animarum secundum se et absolute nunc auctor ponit quasdam ipsarum condiciones inexistentes eis ex unione ad ipsas animas partiales dicens: OMNIS etc.

Ad istius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum scilicet et propositum.

Circa primum tria faciam: Primo enim ostendam unam generalem omnis susceptaculi partialis animae condicionem, secundo corporeitatis, secundum quod condistinguitur spiritualitati ab ipso assumptionem, tertio subiungam apparentis repugnantiae, quae ex praemissis oritur remotionem.

A De primo sciendum, quod universi totalis duplex est ordo vel duae sunt partes.

Una naturalis, quae est in manifesto nostri quantum ad hunc sensibilem mundum, quo secundum ordinem divinae providentiae inferiora corpora subduntur superioribus et ulterius corporali naturae praesunt substantiae spirituales; et dico hunc naturalem, quia secundum ipsum divina providentia rebus providet secundum modum et condicionem suae naturae.

Est et alius ordo, scilicet supernaturalis, quo gubernatur specialiter rationalis et intellectualis natura per providentiam Dei voluntariam secundum rationem meriti et praemii, et pertinet ad statum vitae felicis, quo anima cum suo susceptaculo, quod primitus animat, est in ente, ad quem statum pertinet non solum gloria animae in fruendo per contemplationem et dilectionem fonte boni, ex cuius superplenitudine ipsa anima partialis utpote supercaelestis existens illuminatur, immo superimpletur divini luminis claritate, verum etiam gloria ipsius susceptaculi, ut non solum sit spirituale spiritualitate contracta per naturam, ex origine scilicet essentiali talis substantiae, sed etiam sit et dicatur spirituale ex perfectionibus talem spiritualitatem naturaliter consequentibus, quibus ipsum susceptaculum etiam dicitur gloriosum.

Quoniam igitur susceptaculum una cum sua anima partiali, ut sunt in ente, sunt extra hunc ordinem naturalem utpote consistentia in alio ordine (scilicet supernaturali), nequaquam secundum substantiam suam sequuntur modum et proprietatem istius sensibilis ordinis, et quia accidentia – si qua eis insunt – sequun-

8 etc. *om.* *V* 35 istius: ipsius *V*

tur modum et proprietatem eorum, ideo et ipsa similiter substantiis sunt extra hunc ordinem sensibilem[1]), »et per consequens non solum quaecumque talia duo susceptacula vel plura possunt simul esse in eodem loco, cum non habeant, ut sunt in ente, respectura vel comparationem ad locum proprie dictum et sic etiam non distinguantur secundum locum nec secundum dimensionales distantias, cum sint spiritualia quantum ad proprietatem et condicionem suae substantiae et suarum perfectionum, sed etiam possunt coexistere seu insimul in eodem loco esse cum corporibus pertinentibus ad hunc ordinem naturalem«[2]).

Ex praedictis colligitur generalis condicio omnis partialis animae susceptaculi, scilicet quod non solum potest simul coexistere alii susceptaculo in eodem loco, sed etiam corporibus huius mundi.

Et hoc de primo.

»Quod autem anima utens primitus corpore spirituali, immo ipsum corpus spi- B
rituale, assumat in se corporeitatem, secundum quod ipsa corporeitas condistinguitur spiritualitati, considerandum, utrum videlicet maneat spirituale et simul in se assumat corporeitatem vel utrum deponat ad tempus spiritualitatem, quando assumit corporeitatem«[3]).

»Sed antequam ulterius procedatur, primo videndum est de tali corporeitate, quod dicitur duobus modis, sicut supra ostensum est[4]) de spiritualitate.

Uno modo dicitur, inquantum designat essentialiter substantiam eius, de quo dicitur; et sic vocamus elementa corpora huius inferioris mundi.

Alio modo dicitur corporeitas, secundum quod importat in significato suo dispositiones accidentales eius rei, de qua dicitur; et sic corporeitas concernit locum et situm corporalem.

Sed in utroque modo invenitur aequivocatio, quia quoad primum sunt corpora ingenerabilia et generabilia, incorruptibilia et corruptibilia, quae differunt plus quam genere propter diversitatem principiorum suorum; quoad secundum vero modum corporeitas autem est contracta per naturam ex origine talis substantiae naturali, puta in corporibus huius mundi, quae videmus et sentimus sensu exteriori naturali, ut sunt corpora quintae essentiae et quattuor elementorum, aut est corporeitas quasi ab extrinsecus indita alicui substantiae spirituali, puta cum alicui corpori spirituali inditur vel addicitur corporeitas ad aliquem effectum seu ad alium statum exercendum, quam effectu vel statu tali expleto deponeret ipsa substantia spiritualis«[5]).

[1]) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 28 5 sqq.; Pagnoni-Sturlese 327,35 sqq.
[2]) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 31 3; Pagnoni-Sturlese 333,52–58
[3]) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 32 1; Pagnoni-Sturlese 334,78–81
[4]) cf. supra, prop. 208 A
[5]) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 36 1–5 et 9; Pagnoni-Sturlese 338,3–339,28 et 339,43–48

36 ideo et: et ideo *O* 51 vel ... (52) corporeitatem *iter. O* 55 dicitur inquantum: inquantum dicitur *V* 63 ex origine: et originem *O*

»His praemissis ad quaestionem praemissam potest dupliciter responderi.

Uno modo, quod corpus spirituale manens spirituale in actu assumat corporeitatem ad aliquem usum sibi tunc competentem; cuius ratio est, quia spirituale non desinit esse spirituale«, cum sit intransmutabilis existentiae, ut supra patuit[6]); est enim conditum ab immobili causa per 207[7]).

»Vel aliter potest dici, quod, quando corpus spirituale assumit sibi corporeitatem, spiritualitas manet ibi in fixione cuiusdam habitus, corporeitas autem, quam tunc habet in actu, est ibi per modum transeuntis passionis«[8]).

Quod autem corpus spirituale assumat corporeitatem, sive hoc dicatur primo vel secundo modis iam dictis, apparet per descensum eius in generationem, ubi quasi induit corpus materiale et corruptibile, quo ipsa anima utitur sicut quasi instrumento, quae etiam quasi moritur tunc, cum a simplici et individuo fonte naturae cohaerente sibi inseparabiliter proprio susceptaculo in membra corporea secundum Macrobium[9]) dissipatur; sic enim "de immortalitatis suae luce ad quasdam tenebras mortis impellitur ... Nam ut homo constet animalis, necesse est, ut in corpore corruptibili anima vinciatur. Ideo corpus hoc Graece demas, id est vinculum, nuncupatur et sima Graece quasi quaedam sema, id est animae sepulcrum; unde et Cicero pariter utrumque significans corpus esse vinculum, corpus esse sepulcrum, quod carcer est sepulcrum, ait, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt".

Haec Macrobius. Et hoc de secundo.

C »Verum quia ex praemissis videtur oriri gravis repugnantia, quomodo videlicet possit corpus spirituale assumere corporeitatem pro tempore vel deponere, non tamen per transitum spiritualis in corporale, sed per assumptionem – ut dictum est – corporalis a spirituali – haec enim consimiliter repugnare videntur spirituale fieri corporale sicut immateriale fieri materiale, quia sic idem essentialiter et eadem essentia inquantum huiusmodi videtur esse spiritualis et corporalis, quae propriis definitionibus distinguuntur –, ideo ad remotionem sic apparentis repugnantiae notandum, quod spirituale et corporale ad invicem comparata in ea significatione, qua designant essentias seu substantias earum rerum, de quibus dicuntur, differunt secundum genus. Et per consequens spirituale et corporale in alia significatione, qua significant dispositiones accidentales, cum sequantur modum et proprietatem suorum subiectorum, etiam differunt secundum genus. Et ideo, quamvis spirituale corpus sicut intransmutabilis hypostasis et secundum naturam invariabilis non possit in corpus materiale transire, tamen potest sibi ipsum per assumptionem unire, ut sic spiritualitas contracta ex origine substantiae spiritualis supervestiatur corporeitate.

6) cf. supra, prop. 207 D–F
7) Procl., Elem. theol. 207; Dodds 180,30–31; Boese 101,1–2
8) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 32 2 et 3; Pagnoni-Sturlese 334,82–85 et 335,94–96
9) Macrob., Comm. in Somn. Scip. I 11; Willis 45,8–13 et 45,21–29

78 quod: quot *sed del. m. post. V* 80 corruptibile *om. sed suppl. m. post. O* | sicut: sic *V*
86 sima: soma *B* 104 ipsum *om. O*

Nec ad hoc, quod assumat corporeitatem, oportet, quod deponat suam spiritualitatem; spiritualitas enim et corporeitas differunt genere; ergo simul possunt esse in eodem subiecto, cum non privent se mutuo circa idem subiectum.

Idem igitur esse spirituale et corporale non inducit contradictionem«[10]).

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de ipsorum susceptaculorum descensione, secundo de ipsius descensus modificatione et tertio de reascensus condicione.

De primo sciendum, quod, cum anima partialis secundum Platonicos descendat ab ente in generationem per 206[11]), consequenter etiam ipsum susceptaculum, quo primitus utitur et quod ipso esse suo animat utpote sibi inseparabiliter unitum, necessarium est vitam utentis animae imitari et similiter cum ea ubique moveri. Non enim habet ratione suae spiritualitatis et consequentis agilitatis aliquod obstaculum in movendo per aliquem locum corporalem seu etiam retardando, sed ubicumque voluerit anima, mox et in eodem instanti absque mora erit et corpus, ut supra dictum est[12]). D

In anima autem partiali, secundum Platonicos, sunt »duo primi circuli et duo primi motus, rectus videlicet quamdiu stat in ente contemplando deos, alter autem, scilicet orbicularis, dividitur in septem, quibus anima est sub phantasmatibus et mole corporis praegravatur. Unde dicunt animam partialem descendendo in sphaera Saturni accipere longam memoriam, in sphaera Iovis ratiocinationem probabilium sive opinionem, in sphaera autem Martis irascibilem, in sphaera solis sensibilium illustrationem, in sphaera Mercurii aestimationem nocivi et convenientis, in sphaera vero Veneris concupiscibilitatem et in sphaera lunae motus, quibus movet quasi naturam corporis corruptibilis superando ut attrahendo, digerendo, nutriendo, augmentando et generando; et sic in descensu per orbes planetarum anima accipit vires et motus, quos diximus, et sic paulatim, licet intemporaliter, usque ad onus carnis deprimitur, et ibi inebriata cratere lacteo, qui est dulcedo carnis, qua quasi carnalis efficitur, et superioris obliviscitur harmoniae, cuius tamen similitudinem et species in se habet«[13]).

Sicut igitur anima in suo descensu varietate potentiarum sensibilium et vegetabilium amicitur, sic etiam corpus spirituale proportionaliter ipsi animae, quam, ut dictum est[14]), imitatur in suo descensu cum anima, corporeitate cum suis appendiciis supervestitur et velatur, ut sua propria claritas lateat intuentes, et sic quodammodo incrassatur.

Et hoc de primo.

10) cf. Theodor. de Vrib., De subst. spir. 37; Pagnoni-Sturlese 340,56–342,128
11) Procl., Elem. theol. 206; Dodds 180,15–16; Boese 101,1–2
12) cf. supra, prop. 208 C
13) cf. Alb., De an. I 2 7; Stroick 34,25–38 et 47–52
14) cf. supra, prop. 209 B

112 faciam: dicam *O* 124 in … autem *om. sed suppl. m. post. V* 130 in *om. V*
131 corruptibilis: corporalis *V*

E Verum quia tale susceptaculum, cum sit simplex, immateriale et spirituale, si ponatur moveri physice, magis movebitur motu circulari quam recto – "omne" enim "corpus simplex uno secundum naturam motu movetur" per 6 definitionem II partis *Elementationis physicae*[15]), et per hoc differunt a motis in directo, quia "circulariter mota secundum naturam nec in directo motis nec ex istis mixtis eadem sunt" per 2 propositionem ibidem[16]), immo "circulariter mota scilicet natura nec ponderositate nec levitate participant, methethei" per sequentem[17]), talibus enim circulationibus intelligentias animae repraesentat –, quomodo igitur movebitur deorsum more materialiorum, scilicet terrae et aquae, quae quia plus habent de materia quam ignis et aer – materia enim est causa gravitatis: ubi praedominatur, formae feruntur deorsum et hoc a generante, quod est motor simpliciter gravium et levium, vel a removente prohibens, qui est motor secundum accidens –, quomodo, inquam, movebitur deorsum, cum sit immateriale et spirituale et sic conditum ab immobili causa nec in suo motu, si quem habet, aliquod habeat impedimentum ratione suae agilitatis?

Ad quod potest dici, quod, si anima partialis imitatur complexiones corporis materialis, multo magis corpus spirituale sicut omniquaque oboediens imitatur suae animae affectiones, et hoc sive quando ascendit, ut dicit auctor 7 cap. *De malorum existentia*[18]), ad perfectissimam entis epulationem, ubi degustat et copiosam alimentorum divinorum affluentiam et inebriatur divini nectaris ubertate, et etiam replet, quae in ibi nectare non invidiosa bonificatione in ipsam respicientia, sive quando descendit impotens secundum ambas vitae species imitari praesides et gustando et bonificando, et sic fit expers speculationis entis et attrahitur aliis secundis potentiis et volentibus hoc principium generationis, quod est circa mundum sensibilem, tunc etiam susceptaculum sicut ipsi animae inseparabiliter alligatum vel coascendit cum ipsa vel condescendit eidem eam concomitans et imitans locum cum ea deorsum, more materialiorum elementorum; induit enim, ut dictum est, aliquid materialitatis, quo et proportionalis sic descensui suae animae et unibilis corpori sic terreno.

Et hoc de secundo.

F Sane quia anima utpote faciens periodos propriae vitae et restitutionis per 199[19]) non semper inhabitat secundum Platonicos istud terrenum corpus, quod ipsius vinculum carcer dicitur et sepulcrum, sed quandoque redit in propriam originem, scilicet in ens, ut fruatur prime boni contemplatione, quo non vehitur, nisi sit sancta, nuda et pura – sancta, per liberam, perfectam et omnino immaculatam munditiam; pura, per non misceri deterioribus et inquinabilem esse in

15) Procl., Elem. phys. II def. 6; Boese 46,25
16) Procl., Elem. phys. II 2; Boese 48,10–11
17) Procl., Elem. phys. II 3; Boese 48,20–21
18) Procl., De mal. subs. 7,n.23; Boese 202,9–20
19) Procl., Elem. theol. 199; Dodds 174,1–2; Boese 97,1–2

148 propositionem *coni.*: proportionem *codd.* 158 potest dici: dici potest *O* 165 attrahitur: abstrahitur *V* 169 materialiorum: materialium *V* 174 terrenum *coni.*: terrene *codd.*

providentia submissorum; nuda, per exuitionem omnis et sensitivae et generativae potentiae – et per consequens necessarium est, ut suum susceptaculum, quo primitus utitur, simul ducatur ipsi animae per ablationem omnis materialis appositi sibi vel assumpti ab eo ita, quod exuat omnes tunicas corporeitatis, quas descendendo induerat, et sic recurrat in propriam et connaturalem pulchritudinem suam, suae videlicet spiritualitatis et consequentium perfectionum et specialiter claritatis, qua pulchritudine efficiatur proportionalis utenti animae in beatitudinem bonis meritis reportatae.

"Sciendum autem", ut dicit Theodorus in *Clave*[20]), "non aliam beatitudinem sanctis esse promissam nec alium huius mundi finem fore, quam ut omnes, qui gloriam theoseos, id est deificationis, accepturi sunt, ultra loca et tempora ascendant. Nam, qui loco et tempore coartantur, finitivi sunt, aeterna autem beatitudo infinita est. Aeternae igitur beatitudinis atque infinitae participes neque loco circumscribentur neque tempore. Omnes enim, qui ad aeternas rationes, quae neque initio temporis neque fine resolutionis neque ulla locali positione circumscribentur, reversuri sunt, ut solae in eis et nihil aliud sint, profecto locali temporaliquae termino carebunt. Causae quippe omnium rerum, quae omni caret circumscriptione, quoniam infinita est, infiniti in infinitum adhaerebunt; solus namque Deus in ipsis apparebit, quando terminos suae naturae transcendent, non ut in eis natura pereat, sed ut in eis solus appareat, qui solus vere est, et hoc est naturam transcendere, naturam non apparere, sicut aer luce plenus non apparet, quando sola lux in ea regnat".

Haec Theodorus. Et per hoc iterum refellitur descensus animarum. Et sufficiat pro intentione elementi.

COMMENTUM

Etenim descendit illa quidem irrationales assumens vitas, ascendit autem deponens omnes generationis potentias, quas in descensu acquisivit, et sancta et pura et nuda a talibus omnibus potentiis, quaecumque ad aptitudinem generationis subserviunt. Connaturalia enim susceptacula imitantur vitas utentium animarum, et simul moventur motis ipsis ubique. Et harum quidem intelligentias repraesentant suis circulationibus, harum autem decidentias inclinationibus ad generationem, harum autem purificationes circumductionibus ad immateriale. Quia enim ipso esse animas vivificantur ab ipsis et est connaturalis ipsis omnimodis, transmutantur illa operationibus et assequuntur omnino patientibusque compatiuntur et purificatis restituuntur et sursum coelevantur suam appetentia perfectionem. Omne enim perficitur propriam totalitatem adipiscens.

[20]) Honor. August., Clavis phys. 47; Lucentini 29,2–30,17

195 caret *suppl.*: *om. codd.* 196 in² *om. V* 202 elementi *add.* Sequitur elementum 210 in nomine Domini *V* 210 enim *add.* in *codd.*

Probatio elementi talis est.

Omne, quod imitatur vitas animarum ipso utentium, et per consequens simul movetur ubique ipsis motis, descendit cum ipsa anima more materialiorum, sed simul reducitur ipsi animae per ablationem omnis materialis assumpti et recursum in propriam speciem sive pulchritudinem proportionalem utenti animae.

Ista apparet, quia anima descendit ab ente in generationem per 206[21]) assumens irrationales vitas, scilicet sensitivas et germinativas, sed completa periodo ascendit a generatione in ens deponens omnes potentias generationis, quas acquisivit in descensu et sancta per omnino immaculatam munditiam, et pura per non misceri ultra deterioribus et totalem inquinabilitatem, et nuda seu exuta a talibus potentiis, quaecumque subserviunt ad aptitudinem generationis; sed omnis partialis animae susceptaculum utpote connaturale ipsi animae imitatur vitas sive diversitatem status animae ipso primitus utentis, et sic movetur simul cum ipsa ubique ipsa, scilicet mota vel per descensum vel reascensum, cum inseparabiliter sibi cohaereat.

Ista deducitur primo quantum ad imitationem et quod simul moveatur ubique cum anima, ibi: *Et harum*, cum dicitur: Et ipsa susceptacula repraesentant intelligentias harum (scilicet animarum), quarum sunt suis circulationibus, id est per motum circularem. Tali enim intelligentia anima et procedit a sua per se causa et convertitur in ipsam, et sic facit circularem operationem per 33[22]), et etiam ipsa susceptacula repraesentant decidentias harum animarum ab intelligentia ad non intelligentiam, quod est proprium partiali animae per 184[23]), propter quod etiam descendit per commentum 206[24]); repraesentant, inquam, suis inclinationibus per descensum ad generationem et assumptionem corporeitatis. Sed et repraesentant purificationes ipsarum animarum, quibus absolvuntur a deterioribus per virtutum exercitia circumductionibus ad immateriale, quod eis est proprium a materiali, quod assumpserant.

Quia enim. Hic deducitur dicta minor secundo quantum ad omnimodam connaturalitatem ipsius susceptaculi ad animam, cum dicitur: Quia enim (et superfluit una coniunctio more Graecorum) ipsa susceptacula vivificantur per animas ipso esse earum et sic est omnimodis connaturalis proportio illis (scilicet animabus) et susceptaculis, et ex hoc illa (scilicet susceptacula) transmutantur in proprietate, non in substantia, cum operationibus animarum et assequuntur imitationem ad illas omnino, quia patientibus ignorantiam compatiuntur per inclinationem ad generationem et simul restituuntur in propriam claritatem ipsis animabus purificatis virtutum exercitio, et sic coelevantur eis sursum ad ens appetentia suam propriam perfectionem, quae debetur eis in tali statu; cuius rationem subiungit, quia omne adipiscens propriam totalitatem per recursum in suam causam perficitur.

21) Procl., Elem. theol. 206; Dodds 180,15; Boese 101,1
22) Procl., Elem. theol. 33; Dodds 36,11–12; Boese 21,1–2
23) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3
24) Procl., Elem. theol. 206 comm.; Dodds 180,27–28; Boese 101,11–12

229 ibi *om. V* 234 etiam: et *O*

PROPOSITIO 210
OMNE ANIMAE SUSCEPTACULUM CONNATURALE ET SCHEMA IDEM SEMPER ET MAGNITUDINEM HABET; MAIUS AUTEM ET MINUS VIDETUR ET DISSIMILIS SCHEMATIS PROPTER ALIORUM CORPORUM APPOSITIONES ET ABLATIONES

Ostensis condicionibus inexistentibus susceptaculis animarum partialium, et hoc sive secundum se et absolute sive in habitudine ad suas causas efficientes sive etiam in relatione ad sibi unitas animas, nunc auctor ostendit quasdam eis invariabiliter inexistere condiciones secundum se et absolute, quae tamen videntur per accidens variari, dicens: OMNE etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam susceptaculorum animarum partialium duplicem acceptionem, secundo susceptaculi materialis quadruplicem condicionem et ex hoc innaturalitatis eius ad partialem animam ostensionem, tertio connaturalitatis susceptaculi immaterialis ex oppositis condicionibus ad partialem animam illationem.

De primo sciendum, quod, sicut ex supra dictis colligitur, duplex est susceptaculum animae partialis: unum, quo primitus et semper utitur, quod est hypostasis ingenerabilis et incorruptibilis per 196[1]), et sic intransmutabile, simplex, immateriale et indivisibile secundum substantiam et impassibile per 208[2]), clarum, agile et subtile ex sua spiritualitate; aliud, quo secundario et puro tempore utitur, quod est generabile et corruptibile et sic secundum substantiam transmutabile, compositum, mixtum et complexionatum, materiale, divisibile et passibile, opacum seu obscurum et tenebrosum, ponderosum et grossum ex sua corporeitate. A

Dico autem ipsum esse mixtum non solum ut ex vocatis elementis unitum, sed etiam ex universalibus elementis.

Voco autem universalia elementa, quae omnia intra ambitum huius corruptibilis mundi contenta penetrant nulliusque circumscripti corporis densitas eis obstat, ne ubique in omnia diffundantur. "Quisnam enim" ut dicit Theodorus in *Clave*[3]), "de visibilis huius machinae natura diligenter disputantium eiusque catholicorum subtilitatem ac veluti quandam incorporalitatem mentis contuitu investigantium

1) Procl., Elem. theol. 196; Dodds 170,18–19; Boese 95,1–2
2) Procl., Elem. theol. 208; Dodds 182,4–5; Boese 101,1–2
3) Honor. August., Clavis phys. 359; Arfé 93,958–971

2 connaturale et: connaturaliter *O* 9 tamen *coni.*: cum *codd.* 10 etc. *om. V*

non incunctanter asserat aera tenuissimum omnia caelestia et terrestria nec non et aerea et neptunia nullo obstaculo demorante penetrare eoque mirabilius et spirituali tenuitati propinquius igneum spiritum simplicem purum omni corporeo sensu remotum non solum cuncta mundi spatia implere et ambire, verum etiam ipsum tenuissimum aera nimia sui subtilitate et incorporalibus naturis similitudine, dum sit intimus omnium tranare? Similiterque de aqua simplici et terra sentiendum; nam et ipsa ubique omnibus corporibus insunt secundum suam analogiam".

Haec Theodorus.

Quae pro tanto adduxi, ut eo facilius quis consideret corporum spiritualium subtilitatem et agilitatem, cum tantae subtilitatis et agilitatis sint simplicia elementa, quae non est dubium esse materialia: "Ubique enim in mundo sunt, cuius nulla pars est illorum concursu carens"[4]), simplicia scilicet elementa.

Spiritualia vero corpora omni materia carentia ultra omnem sensibilem qualitatem ascendunt, omni motu et localitate absoluta et, ut ita dicam, quasi in spiritum conversa vitae, quae simillima super omne, quod sensus corporeus potest attingere ineffabili sua subtilitate exaltantur.

Haec de primo.

B Verum licet plures iam adductae sint condiciones susceptaculorum materialium, quibus pro tempore utuntur animae partiales, tamen ad praesens sufficiat quattuor declarare et ex his ostendere ipsa non esse connaturalia utentibus animabus. "Ex quo enim sunt materialia et sic transmutabilia utpote generabilia et corruptibilia, necessarium est ea a causa mobili generari. Dico autem mobili non solum motu animeali, sed etiam motu physico per conversam secundae partis 76[5]): Omnis enim talis agentis actio non terminatur nisi ex principiis individualibus et ex composito ad compositum aliquod, quod est individuum habens partes. Tale etiam agens physicum non agit nisi per alterationem et transmutationem praesuppositis in esse principiis et substantia alterabili et transmutabili.

Qualiter autem tale susceptaculum procedat in esse per generationem et ab agente aequivoco et univoco et quare in eo sit tanta organorum diversitas, nunc tractare superfluum iudicavi, cum ex *De animalibus* Aristotelis[6]) satis pateat evidenter.

Sane tantam partium post totum et organorum diversitatem necessario sequitur obscuritas seu tenebrositas et grossities quantitativa et qualitativa et ex his gravitas secundum naturam elementi praedominantis.

4) Honor. August., Clavis phys. 351; Arfé 86,746–747
5) Procl., Elem. theol. 76; Dodds 72,5–6; Boese 40,1–2
6) cf. pot. Arist., Phys. II 2, 194b13; Metaph. XII 3–4, 169b35–170b35

33 neptunia *add.* aquea *s. lin. V* 36 nimia: nimis *V*

Cum igitur susceptaculum materiale dependeat a causa mobili et sic transmutet omnia et transmutetur in omnibus substantialiter et sic sit tenebrosum, grossum et pigrum, ipsum non potest esse connaturale animae, ut ei semper adhaereat et sit oboediens ad omnes vitae ipsius species; et licet ipsa anima contineat ipsum pro tempore per actum, quem sibi imprimit sicut instrumento, tamen non sic continet ipsum, ut ab eo etiam in directa dependentia dependeat quasi exigitive, sine quo esse non posset, et hoc vel simpliciter vel secundum perfectum esse.

Et sic magis dicitur vinculum, carcer et sepulcrum animae, ut supra ostensum est[7]), quam susceptaculum connaturale.

Et hoc de secundo.

Non sic autem se habet susceptaculum, quo primitus utitur; hoc enim, cum sit C immateriale et conditum ab immobili causa, est intransmutabile secundum substantiam, et cum sit spirituale et simplex, ipsum est clarum, subtile et agile, oppositarum videlicet ad corpus corruptibile qualitatum; et per consequens est et dicitur ipsi animae omnimodis connaturale, sicut inseparabiliter sibi adhaerens et simpliciter oboediens, in nullo impediens, a quo etiam ipsa anima exigitive dependet, cum animet suo esse.

Qualis autem et quanta sit qualitas spiritualis corporis, ut sua unione ad animam non impediat etiam gloriam beatitudinis ipsius, sic edisserit Theodorus in *Clave*[8]): "Quantum ergo sensus noster capere potest qualitatem spiritualis corporis talem quandam esse sentimus, in quo inhabitare deceat non solum sanctas quasque perfectas animas, verum etiam omnem creaturam, quae liberabitur a servitute corruptionis. De quo corpore etiam illud Apostoli[9]) dixit: 'Domum habemus non manufactam aeternam in caelis', id est mansionibus beatorum; ex hoc ergo coniecturam capere possumus, quantae puritatis, quantae subtilitatis, quantae gloriae sit qualitas corporis illius, si comparationem faciamus eius ad ea, quae nunc. Licet caelestia sint et splendidissima corpora, manufacta tamen sunt et visibilia; de illo dicitur domus esse non manufacta, sed aeterna in caelis; quia ergo, quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt, omnibus his corporibus, quae sive in terris sive in caelis videmus et quae videri possunt et manufacta sunt et aeterna non sunt, multa longe praelatione praecellit illud, quod et visibile non est nec manufactum est, sed aeternum est. Ex qua comparatione conici potest, quantus decor, quantus splendor quantusque fulgor sit corporis spiritualis, et verum esse illud, quod dictum est[10]) 'quia oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se'".

Haec Theodorus.

Et attende: Quod auctor vocat susceptaculum, Apostolus vocat domum seu habitaculum.

7) cf. supra, prop. 209 B
8) Honor. August., Clavis phys. 398; Arfé 130,2211–2232
9) II Cor. 5,1
10) I Cor. 2,9

Ex praedictis colligimus differentiam inter corpus animae connaturale et superadditum. "Est enim", ut dicitur in *Clave*[11]), "exterius corpus signaculum interioris, in quo animae forma eius exprimitur ac per hoc forma eius rationabiliter appellatur[12]); nec me existimes duo corpora naturalia in uno homine docere. Unum corpus est, quo connaturaliter et consubstantialiter animae compacto homo conficitur; illud autem materiale superadditum rectius vestimentum quoddam mutabile et corruptibile veri ac naturalis magis accipitur, quam verum corpus ... ideo non simpliciter, sed semper cum aliquo additamento ponitur corpus mortale vel corruptibile vel terrenum vel animale, ad discretionem simplicis corporis, quod primitus est conditum in homine et quod est futurum".

Haec Theodorus. Et sufficiant de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo dicam de schematis diversa acceptione, secundo de magnitudinis intentione, tertio de diversitatis eorum phantasiatione.

Circa primum adhuc tria faciam, quia primo ponam li schematis propriam acceptionem, secundo schematis ipsius susceptaculi declarationem et tertio ipsius talis schematis identitatis rationem.

D De primo sciendum, quod secundum Papiam schema[13]) idem est, quod habitus, forma, figura; unde et Augustinus XV *De Trinitate*[14]), cap. 9: "Schemata usitatius dicimus quam figuras"; et sic schemata inveniuntur in rebus et in locutionibus.

In rebus, et hoc sive corporalibus sive spiritualibus. In corporalibus vero crassis schema non videtur esse aliud quam forma et circa aliquid constans figura, quae est quarta species qualitatis secundum Aristotelem[15]). Talis autem species, quidquid realitatis habet, hoc pertinet ad genus quantitatis; unde non est aliud quam qualitas in quantitate vel e converso; propter quod etiam schema et magnitudo hoc connumerantur.

Ubi tamen ulterius notandum, quod, quamvis quantitas sit unum quid secundum rationem entis, distinguuntur tamen in ea diversae intentiones habentes se in ordine secundum prius et posterius et in essendo aliquas earum formaliores aliis.

Supposito enim quantitatem esse, videamus, quid sit.

Ubi primum occurrit, ut sit pars extra partem secundum situm, secundo, ut sit ea convenientia partium, qua sit simpliciter et per se unum, quod in huiusmodi non est nisi continuatio – haec enim duo sunt de ratione extensionis –, tertio, ut habeat terminum, qui sit extremum extensionis – talis enim terminatio convenit quantitati secundum proprietatem entitatis suae, qua est extensio –, quarto, ut habeatur complete ratio quantitatis continuae.

11) Honor. August., Clavis phys. 273; Lucentini 221,29–222,39
12) cf. Greg. Nyss., De hom. opif. 27; PG 44, 228B; Cappuyns 251,22–23
13) Pap., Element. s.v. "Schema"; Venetiis 1496, 307a
14) Aug., De Trin. XV 9,n.15; Mountain–Glorie 481,6
15) Arist., Cat. 8, 10a11–12

108 consubstantialiter: substantialiter *V* 124 et ... corporalibus *om. sed suppl. m. post. V*
128 propter *om. sed in marg. suppl. V* 134 sit: sint *V*

Attenditur in extensione praedicto modo terminata dispositio sive ordo mediorum et terminorum ipsius extensionis ad invicem, qua dispositione contingit vel media exire ab extremis vel non exire vel magis vel minus vel aequaliter vel inaequaliter distare media et extrema. Ex his ergo iam elicitur definitio circuli vel cubi vel pyramidis, ut patet inspicienti.

Completa autem secundum dictum modum definitiva ratione quantitatis dicente, quid est ipsius quantitatis, sumendum eandem rationem ut dicentem propter quid propriorum accidentium et per se passionum.

Sumpta enim ratione alicuius lineae secundum dictum modum mox concludetur ipsam esse curvam vel rectam vel talem superficiem esse aequilateraliter triangulam et corpus esse cubicum vel sphaericum sumpta ratione superficiei et corporis. Secundum hoc autem proprietas sive per se passio quantitatis descendit in genus qualitatis quantum ad quartam speciem huius generis; cuius generis ratio secundum logicam considerationem accipitur, secundum quod aliquid praedicatur in quale de aliquo, modo tamen accidentali. Et quoniam ea accidentia (scilicet quantitas et qualitas) in intellectu sua circa substantiam important suae entitatis radicem sive fundamentum, ipsas (scilicet species quantitatis) et eadem accidentia quantum ad communem usum sermonis de substantia praedicantur in quale. Ideo coordinantur in determinata specie qualitatis, et secundum hoc tota realitas et entitas huius quartae speciei qualitatis reducitur ad realitatem et entitatem quantitatis. Unde secundum dictam considerationem Aristoteles V *Metaphysicae*[16]) vocat huiusmodi qualitates in quantitatibus vel quantitates in qualitatibus.

Talis igitur forma et circa aliquid constans figura dicitur schema in corporalibus.

Ex quibus translatum est nomen schematis ad spiritualia, et hoc sive sint corpora secundum essentiam et spiritualia secundum proprietatem sive sint spiritus per essentiam et corporales secundum proprietatem.

Et hoc de primo.

Utrum autem corporis spiritualis, quo anima primitus utitur, sit aliquod schema E
sive habitus, forma et figura, et si sit, quale sit, utrum corporale, spirituale vel saltem intelligibile, attentius est requirendum.

Origenes namque II *Periarchon*[17]) de resurrectione et iudicio tractans sic dicit: "Interrogabimus" haereticos, "si omne corpus schema aliquod habet, id est aliquo habitu deformetur; et si quidem dixerint esse corpus, quod non aliquo habitu deformetur, imperitissimi omnium atque insipientissimi videbuntur".

Ex quibus verbis aperte colligitur omne corpus, etiam spirituale, habere aliquod schema sive formam et figuram.

16) Arist., Metaph. V 14, 1020b5–6
17) Orig., Peri Archon II 10 2; Crouzel–Simonetti 376,45–50

158 et[1] *add.* hoc *codd.* 169 spirituale *om. V* 174 deformetur *coni.*: formetur *codd.*

Sane, quod spiritualis corporis sit schema corporale, non videtur intelligibile, cum omnis eius qualitas sit spiritualis, et rationem perspectam consultanti nihil aliud probabilius veritatique propinquius videtur occurrere quam corpus in caelesti qualitate consistens omneque terrenum universaliter deponens existimari sensibus mortalium incomprehensibile omnique locali circumscriptione liberum, cum ultra omnem sensibilem qualitatem ascendat, omni mole et localitate absolutum et quasi in spiritum, ut prius dictum est, conversum et vitae simillimum et super omne, quod sensus corporeus potest attingere, sua subtilitate ineffabili exaltatum.

Et per consequens tale corpus secundum Theodorum in *Clave*[18]), sicut in primordio suae conditionis ita in tota sui duratione "omni sexu, hoc est virili et feminea forma, carebit, quoniam in ipsa forma, quae ad imaginem Dei facta est, semper consistit; imago autem Dei non est masculus neque femina. Ista enim divisio naturae in corpore corruptibili propter peccatum superaddito facta est. Discipulus: In futura itaque vita neque masculus erit neque femina, sed sola simplicitas naturae duplicem, qui nunc est, sexum in se ipsa absorbebit. Magister: Cur de hoc haesitas, cum de hominibus in resurrectione generaliter veritas dicat[19]): "Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in caelo"? Numquid angelos ex intellectu et spirituali corpore constare credimus, omni tamen circumscripta forma eos carere non dubitamus? Nam, quod saepe in humana effigie apparuisse illos divina narrat historia, non nos cogit aestimare eos tali effigie naturaliter detineri; illud enim pro tempore factum est, quoniam aliter hominibus apparere et cum hominibus loqui aut impossibile aut non facile erat. Si ergo angeli omni forma circumscripta carent, quid mirum homines, dum equales angelis fuerint, omni sexu et formarum circumscriptione carituros? Neque enim aliter equales erunt eis neque hoc incredibile videtur: quaedam namque corpora sunt liquida et spiritualia circumscriptis formis carentia. Quod autem liquidum et spirituale est purissimeque substantiae corporalibus quantitatibus ac lineamentis seu aliqua mole circumscripta contineri posse non video, quoniam vera ratio talia existimare me non sinit. Quattuor siquidem mundi simplicia elementa nullis coartantur formis; ubique enim in mundo sunt, cuius nulla pars est illorum concursu carens. Quod autem ubique est in mundo, quomodo aliqua forma circumscribi possit? Sunt igitur corpora formis sensibilibus carentia. Quid de radiis oculorum dicendum? Nonne et ipsi corporei sunt omni forma carentes? Si autem dixeris angelos intelligibiles formas habere, omnino concedo ac per hoc homines etiam in resurrectione similiter intelligibiles formas habituros esse, non solum non denego, verum etiam affirmo; sed quae et quales et in angelis sint et in hominibus futurae, omnino me ignorare fateor, donec transeat, ut ait Augustinus, corpus meum in affectum voluntatis meae".

[18]) Honor. August., Clavis phys. 349–351; Arfé 84,718–86,757
[19]) Mc. 12,25; Mt. 22,30; Lc. 20,35

190 itaque: utique *O* 197 factum est: est factum *V* 208 dicendum: dicitur *V*

Et parum supra[20]): "Proinde non immerito redarguendi sunt, qui corpus dominicum post resurrectionem in aliqua parte mundi conantur constituere et localiter et temporaliter moveri et in eo sexu, in quo apparuit mundo, intra mundum detineri".

Hucusque Theodorus.

Ex praemissis evidenter apparet, quod cum susceptaculum connaturale animae partiali sit eiusdem condicionis ratione suae spiritualitatis cum corporibus futurae resurrectionis secundum illud *Clavis*[21]): "Illud corpus, quod in constitutione hominis primitus factum est spirituale et immortale, crediderim esse ac tale, quale post resurrectionem habituri sumus"; ipsius schema non erit quid corporale, sicut est tam crassorum quam et simplicium materialium tamen corporum, sed spirituale vel etiam intelligibile ad instar schematis angelorum. "Spiritualia siquidem corpora nec loco nec tempore coartantur, quemadmodum nec qualitatibus quantitatibusve seu alicuius formae descriptionibus variantur"[22]).

Et hoc de secundo.

Ex praemissis etiam apparet identitas schematis omnis corporis spiritualis F et per consequens susceptaculi animae partiali connaturalis, cum non solum sit intransmutabilis existentiae, sed etiam proprietatum invariabilium, quae ipsam substantiam immutabiliter comitantur. Alias enim temporaliter imitaretur.

Et hoc de prima parte elementi sufficiat.

Circa secundam partem tria faciam, quia primo ponam magnitudinis descriptionem et magni et parvi propriam intentionem, secundo magnitudinis divisionem et tertio ex praemissis magnitudinis susceptaculi, cuius modi sit, declarationem.

De primo sciendum, quod magnitudo est quantitas continua importans exten- G sionem.

Dico autem continua ad excludendum multitudinem, quae est quantitas discreta; importans vero extensionem dico, ut parvitas excludatur.

Sed tunc statim oritur dubium de magno et parvo, an sint quantitatis vel non, quia Aristoteles in *Praedicamentis*[23]) nihil horum dicit esse quantitatem, cum magis sint ad aliquid.

Istam contrarietatem solvit ipse Aristoteles[24]) V suae *Metaphysicae*, secundum quod exponit Averroes[25]). Nam magnum et parvum, cum accipiuntur, secundum quod sunt dispositiones magnitudinis essentiales, dicuntur passiones et accidentia quantitatis; cum autem unum accipitur in respectu alterius, sic in relationis capitulo collocantur; relatio enim accidit quantitati.

Et hoc de primo.

20) Honor. August., Clavis phys. 348; Arfé 83,663–666
21) Honor. August., Clavis phys. 272; Lucentini 219,2–4
22) Honor. August., Clavis phys. 76; Lucentini 54,8–10
23) Arist., Cat. 6, 5b11 sqq.
24) Arist., Metaph. V 13; 1020a23–26
25) Averr., Metaph. V comm. 18; Ponzalli 159,62–160,64

220 ratione suae: suae ratione *V* 226 qualitatibus *add.* nec *V*

H Verum si magnitudo extensiva accipiatur non solum videlicet pro quantitate composita, sed etiam simplici, tunc dividitur per magnitudinem molis et virtutis. Sicut enim est duplex quantitas (molis et virtutis), ita et duplex est magnitudo[26]); magnitudo autem molis est in corporum vastitate; sed magnitudo virtutis non est in suae essentiae distensione, sed est mensura ad aliquid extra, puta obiectum, sed diversimode; cum enim virtus sit ultimum de potentia in re et potentia sit duplex (activa et passiva), mensura quantitatis potentiae activae accipitur secundum maius ex parte obiectorum, passiva vero mensuratur ad minus, quod potest in ipsam ultimum; ergo in quantitate obiecti, in quod potest hic potentia, et non ultra est virtus activa eius, cuius est potentia.

Ex quo sequitur, quod virtus eius potentiae, quae potest in simpliciter omnia, est maxima, quae vero in plura, est maior, et quae in pauciora, est minor.

Et hoc de secundo.

I Ex praemissis apparet magnitudinem molis non inexistere cuicumque susceptaculo connaturali animae partiali propter eius simplicitatem, spiritualitatem et subtilitatem; alias enim figura circumscriberentur seu schemate corporali, cuius oppositum superius est ostensum. "Quod etiam maxime", ut dicit Theodorus in *Clave*[27]), "argumento puri ignis colligitur, qui, dum per omnia sensibilis mundi corpora diffundatur, tantae subtilitatis est, ut nullo loco detineatur, et tamen in omnibus operationem suam manifestare dignoscitur."

Magnitudo igitur virtutis inexistere videtur solummodo tali susceptaculo, quae, cum sit essentialis seu consubstantialis substantiae ipsius corporis, sicut corpus est intransmutabilis substantiae, ita etiam magnitudo ipsius eadem semper erit.

Et hoc de secunda parte.

Circa tertiam partem tria faciam, quia primo ponam modorum quantitatis et proprietatum qualitatis propriam acceptionem, secundo corporum ex elementis materialibus conditorum ad corpora spiritualia appositionem et ablationem et tertio ex praemissis tertiae partis ipsius elementi declarationem.

K De primo sciendum, quod maius et minus non solum important quosdam modos quantitatis, sed etiam in sua significatione secundum accommodationem usus designat rem quandam, quam dicimus quantitatem, quam determinant circa substantiam. Unde cum aliquid dicitur esse maius vel minus, et hoc vel altero vel se ipso, diversis temporibus sensus est, id est plus magnum vel minus magnum quantum ad hoc genus quantitatis, quod est magnum et parvum, inter quae per prius cadunt medium maius et minus in quantitate.

Simile vero et dissimile sunt proprietates qualitatis, cuius proprium est secundum eam simile vel dissimile dici.

Et hoc de primo.

26) cf. Thom., S.th. I, 42, 1, ad 1

27) Honor. August., Clavis phys. 76; Lucentini 54,10–13

250 videlicet: patet *V* 268 tantae: ante *V* 279 etiam: et *O*

De secundo vero notandum, quod, ut supra 209 dictum est[28]), corpus spirituale manens spirituale in actu vel in fixione cuiusdam habitus, immo potius totum coniunctum ex partiali anima et tali corpore spirituali, salva sua spiritualitate per naturam ex origine, scilicet essentialitatis suae, contracta, potest assumere non solum corporeitatem, immo corpus materiale, quo secundario utatur sicut indumento, non sicut connaturali subiecto. L

Verum cum omnis copulatio fiat per similitudinem nec sit transitum de extremo ad extremum sine medio, corpori autem complexionato similius sit, sicut extremo corpori spirituali, corpus videlicet appositum seu assumptum ex universalibus simplicibus et quasi incorporalibus utpote subtilibus elementis, quo mediante assumit corpus et mixtum ex quattuor particularibus compositis et crassioribus elementis et ex quattuor humoribus complexionatum – in quo corpore sic complexionato et organizato totum coniunctum ex anima partiali et sibi connaturali susceptaculo exercet opera vitae, secundum quod exigit status generationis –, sicut autem talia corpora ex materialibus elementis, sive simplicibus sive compositis, assumuntur seu apponuntur corpori spirituali, ita etiam deponuntur et auferuntur, quando anima purgata exuit tunicas et materiales vitas, quas in descensu induerat, cum etiam ipsum corpus spirituale sursum coelevatur ipsi animae sanctae, purae et nudae, et ab hoc ergastulo ad mansiones sidereas revertitur secundum Platonicos, immo verius ad aeternam beatitudinem consequendam.

Et hoc de secundo.

Ex praemissis colligitur, quod susceptaculum immateriale, ut est in generatione propter appositionem materialis corporis determinatae quantitatis, secundum naturam apparet maius et minus non solum sic, quod unum susceptaculum ratione talis corporis oppositi appareat maius vel minus alio, sed etiam, quod idem susceptaculum se ipso videtur maius et minus considerando diversas eiusdem hominis aetates; et sic etiam videtur esse dissimilis schematis quoad aspectum, spirituali corpore in variabili corpore et inaugmentato seu indeminuto simpliciter permanente. "Humana enim natura", ut dicitur in *Clave*[29]), "non est secundum hoc consideranda, quod corporeis sensibus apparet irrationalibus animantibus similis, sed secundum hoc, quod ad imaginem Dei condita est, priusquam peccaret. In hac omne, quod Conditor primordialiter creavit, totum integrumque manet. Adhuc tamen latet revelationem filiorum Dei[30]) expectans". M

Et parum supra praemiserat[31]) pertinentia ad naturam humanam: "Ibi enim intellectus, ibi ratio, ibi sensus, ibi seminalis vita, ibi corpus, non hoc corruptibile merito peccati superadditum, sed spirituale et caeleste ante delictum datum et in resurrectione futurum".

[28]) cf. supra, prop. 209 B
[29]) Honor. August., Clavis phys. 246; Lucentini 194,9–14
[30]) cf. Rom. 8,19
[31]) Honor. August., Clavis phys. 246; Lucentini 194,7–9

314 corpore *om. V* 318 est *suppl.: om. codd.*

Et bene infra[32]), ubi, postquam dedit differentiam inter corpus spirituale et naturale, cuius formam dicit in omnibus incommutabiliter constare, et superadiectum, cuius innumerabiles differentias dicit ex qualitatibus corruptibilium seminum contingere, statim subinfert[33]): "Ipsa igitur forma spiritualis spirituale corpus est in prima conditione hominis factum. Quod autem ex materia, hoc est ex qualitatibus et quantitatibus quattuor elementorum mundi sensibilis, cum ipsa forma qualitativa est, ad corpus superadiectum pertinere dubium non est, quod corpus materiale et exterius veluti quoddam vestimentum interioris et naturalis non incongrue intelligitur. Movetur enim per tempora et aetates augmentum et detrimentum sui patiendo, illo semper interiori in suo statu incommutabiliter manente".

Haec Theodorus.

Ex quibus aperte colligitur, quod solum materiale corpus appositum utpote quantum et quale, quod est velamentum et tamquam indumentum primi, maioritatem vel minoritatem et schematis ipsius spiritualis corporis dissimilitudinem phantasiae ingerit, cum ratio contradicat, sicut etiam a simili astra orientia vel occidentia vel ubicumque supra et prope horizontem existentia propter interpositionem densioris caliginis seu vaporosae exhalationis vel aeri inspissati et affecti aliqua fumosa qualitate inter visum nostrum et ipsa astra apparent maiora, quam ipsa eadem versus Temch capitum elevata, cum tamen in veritate numquam mutent nec mutare possint et propria schemata et immutabilem quantitatem.

Cuius demonstratio habetur in libro Alhacen circa finem VII *Perspectivae*[34]).

Et sic etiam apparet intentio elementi.

COMMENTUM

Si enim a causa immobili substantiam habet, palam, quia et schema et magnitudo sibi a causa determinata sunt, et est intransmutabile et invariabile utrumque. Sed alias alterum phantasiatur et maius et minus. Propter alia ergo corpora a materialibus elementis apposita et iterum ablata tale aut tale et tantum aut tantum videtur.

Probatio elementi quoad primas duas partes talis est.

Omne illud, quod habet substantiam a causa immobili, habet semper et idem schema et eandem magnitudinem, et sic utrumque est intransmutabile et invariabile; sed omne connaturale animae susceptaculum est huiusmodi per 207[35]); ergo etc.

32) Honor. August., Clavis phys. 272; Lucentini 220,27–31
33) Honor. August., Clavis phys. 273; Lucentini 221,2–9
34) Alhaz., Perspect. VII, 7, 55.13; Pietquin 335,186–337,208
35) Procl., Elem. theol. 207; Dodds 180,30–31; Boese 101,1–2

328 forma *suppl.: om. codd.* 346 habetur *om. sed suppl. m. post. V* 347 etiam *om. V* | elementi *om. sed suppl. m. post. V*

Maior apparet, quia dans seu causans substantiam, causat etiam omnia, quae substantiam essentialiter consequuntur. Ex quo manifestum est, quod, si tale susceptaculum habet substantiam ab immobili causa, quia etiam et schema et magnitudo sunt sibi determinata ab eadem causa.

Sed alias etc. Hic ostenditur ultima pars elementi sic: Omne existens eiusdem schematis semper secundum se et intransmutabile et invariabile, si appareat aliquando maius aut minus quoad magnitudinem et dissimilitudinem schematis, hoc erit propter aliorum corporum ex materialibus elementis appositiones et ablationes; sed omne connaturale susceptaculum animae est huiusmodi; ergo videtur maius etc. Et hoc est, quod dicit, quod, licet susceptaculum sit invariabile secundum utrumque, tamen phantasiatur sive apparet alias alterum sive dissimilis schematis et maius et minus sive inaequalis magnitudinis. Ergo talis apparitio est propter alia corpora a materialibus elementis apposita et iterum ablata, quod ipsum corpus spirituale videtur tale aut tale quantum ad schematis dissimilitudinem aut tantum aut tantum quoad inaequalem magnitudinem.

358 etiam: et *V* 359 quod: quia *V* 362 alias etc.: alia *V* 364 dissimilitudinem *coni.*: dissimilitudinis *V* dissilis *O*

PROPOSITIO 211
OMNIS PARTIALIS ANIMA DESCENDENS IN GENERATIONEM TOTA DESCENDIT, ET NON HOC QUIDEM IPSIUS SURSUM MANET, HOC AUTEM DESCENDIT

Habito per 206[1]) omnem partialem animam descendere in generationem nunc in isto ultimo elemento auctor ponit descensus ipsius condicionem dicens: OMNIS etc.

Ad cuius elementi evidentiam duo declarabo, suppositum et propositum.

Circa primum tria faciam, quia primo ponam animae partialis triplicem considerationem, secundo ipsius animae, ut in se secundum propriam existentiam consideratur, naturam et condicionem, tertio descensus animae specialem expositionem.

A De primo sciendum, quod, quia omne, quod qualitercumque subsistit aut secundum causam est principaliformiter aut secundum existentiam aut secundum participationem exemplariter per 65[2]), necessarium est ipsam partialem animam tripliciter considerari: aut ut videtur in producente praeexistens ut in causa propterea, quod omnis essentialis causa nobiliori modo praehabet in se ipsa causatum suum existens prime, quod ipsum causatum est secundario – omne enim derivans esse aliis ipsum prime est hoc, quod tradit recipientibus derivationem per 18[3]), et iste est primus modus considerandi animam.

Secundus vero modus est, quem supra auctor posuit tertium, prout ipsa essentialis causa animae consideratur in ipsa anima partiali, quia anima participans suo producente ostendit in se ipsa secundario, per modum imitationis et exemplati, quod ipsum producens existit prime et exemplariter.

Tertius vero modus considerandi ipsam animam est secundum se et absolute neque prout est in causa sua principaliformiter neque prout causa est in effectu exemplariter, sed secundum propriam existentiam et essentialiter.

Quoad primum modum anima consideratur secundum verius et eminentius esse, quod est; quoad secundum iam dictum modum consideratur secundum deterius esse, quod est; sed quoad tertium modum consideratur secundum existentiam in proprio gradu suae naturae.

[1]) Procl., Elem. theol. 206; Dodds 180,15–16; Boese 101,1–2
[2]) Procl., Elem. theol. 65; Dodds 62,13–14; Boese 35,1–3
[3]) Procl., Elem. theol. 18; Dodds 20,3–4; Boese 12,1–2

6 ultimo elemento: elemento ultimo *V* 7 etc. *om. V* 19 recipientibus: respicientibus *sed corr. V*

Verum quia anima secundum nobilius suum esse (scilicet principaliformiter) consideratur, ut est in sua causa, sciendum est ipsam animam partialem ratione suae multiformitatis in principiis formalibus a pluribus causis diversimode causaliter dependere, sicut ostensum est super 58[4]). Specialiter tamen in tres origines reducitur, scilicet in prime animam, prime intellectum et prime unum, in quibus est principaliformiter inquantum anima intellectualis et unialis seu divina et a quibus existentiam suam capit et quantum ad id, quod est secundum existentiam propriae naturae (puta anima) et quantum ad ea, quae est secundum participationem et exemplariter, scilicet intellectualis et divinalis. Et istae causae sunt subordinatae; infima enim inter eas est prime anima, super quam prime intellectus, super quam autem et simpliciter super omnes primordiales causas est prime unum et bonum, a quo simpliciter et per quod et in quo et ad quod omnia[5]).

Praemissis alludit illud Theodori in *Clave*[6]), ubi, postquam quaesivit Magister dicens: "Putasne aliud esse humanam mentem et aliud notionem eius in mente formantis et noscentis?" et Discipulus respondet: "Non aliam intelligo esse substantiam totius hominis nisi suam notionem in mente artificis, qui omnia, priusquam fierent, in se ipso cognovit, ipsamque cognitionem substantiam esse veram et quae cognita sunt in ipsa essentialiter subsistunt; Magister: Possumus ergo hominem definire sic: Homo est notio quaedam intellectualis in mente divina aeternaliter facta".

Et infra[7]): "Illa definitio, quae dicit notionem quandam intellectualem in mente divina aeternaliter factam substantiam hominis esse, verax est et notitiam, qua se mens humana cognoscit substantialiter, homini inesse verum est; aliter enim omnis creatura consideratur in verbo Dei, aliter in se ipsa Augustino[8]) probante, qui ait: 'Aliter sub ipso sunt ea, quae per ipsum facta sunt; aliter in ipso ea, quae est ipse'. Siquidem intellectus omnium in divina sapientia substantia est omnium, immo omnia; cognitio vero, qua se ipsam in se ipsa intelligit, intellectualis et rationalis creatura veluti quaedam secunda substantia est, qua solummodo novit se noscere et esse. Et illa quidem substantia in sapientia Dei constituta aeterna et incommutabilis est. Ista vero temporalis et commutabilis. Illa praecedit, ista sequitur. Illa primordialis et causalis, ista procedens et causata. Illa universaliter hominem continet, ista particulariter per notitiam comprehendit. Ista producta est ab illa, ista vero reversura est in illam. Superessentialis substantia, quae per se ipsam Deus est et unica omnium causa illam primordialiter et causaliter in sapientia fecit, cuius effectus est ista secunda substantia, immo naturalis ordo omnium rerum. Discipulus: Duae igitur hominis substantiae sunt: una in primordialibus causis generalis, altera in effectibus earum specialis. Magister: Non duae, sed una dupliciter

4) cf. supra, prop. 58 A–D; Sannino 157,12–159,80
5) cf. Rom. 11,36
6) Honor. August., Clavis phys. 251–252; Lucentini 200,19–22 et 2–3
7) Honor. August., Clavis phys. 254; Lucentini 202,6–203,32
8) Aug., De Gen. ad litt. II 6; Zycha 41,6–8

43 omnia *om. V* 57 est ipse: ipse est *V* 60 noscere *coni.*: nosce *codd.* 61 illa … ista: ista praecedit illa *V*

intellecta. Aliter enim humana substantia perspicitur per conditionem in intellectualibus causis, aliter per generationem in effectibus: ibi omni mutabilitate libera, hic mutabilitati obnoxia; ibi simplex omnibusque accidentibus absoluta omnem effugit conditum intellectum, hic composita ex quantitatibus et qualitatibus et formis mentis recipit intuitum. Una igitur eademque veluti duplex dicitur propter duplicem sui speculationem".

Haec Theodorus.

Et sufficiat de primo.

B Quantum autem ad secundum prius dicta recolligendo sciendum, quod anima partialis, ut stat in seyra animealitatis, est anima per essentiam, licet habeat intellectualitatem et deiformem unitatem per participationem. Quod non est sic intelligendum, quod primo sit essentia animae et deinde fiat intellectualis et tertio assequatur deiformem unitatem, sed una et eadem substantia animae secundum sui infimum est solum animans corpus et informans secundum medium ratiocinans et intelligens, sed secundum supremum divinis superintellectualiter copulatur.

Nec est imaginandus situalis gradus, sed naturalis ita, ut infimum etiam sit extimum ipsius animae, supremum vero sit intimum, sed aliud sit medium et per consequens, licet anima se tota coniungatur suo proprio et connaturali susceptaculo, non tamen totaliter, cum in ea sit aliqua intraneitas, qua non unitur corpori; si enim intellectus nullius corporis est actus, multo minus deiformis unitas; et sic anima partialis aliquo modo est coniuncta et aliquo modo separata per 186[9]).

C Verum licet multa circa descensum animae partialis in generationem dicta et signata sint super 206[10]), tamen ad praesens specialiter est notandum, quod aliter descendit ipsa talis anima in esse per naturam et conditionem, aliter vero descendit in specialem modum essendi quoad generationem.

In primo enim descensu emanando procedit a prime bono per primordiales causas in propriae naturae existentiam, ubi etiam non solum a superprimordiali, sed etiam a qualibet primordiali causa propriam suscipit dationem; prime enim bonum, quod est omnium causarum causalissimum utpote suprema causa, dat ipsi animae unitatem seu bonitatem, quae datio habet rationem fundamentalis subiecti. Omnia enim, quae in participantibus subiectorum habent rationem, ex perfectioribus procedunt et totalioribus per 72[11]) et e converso.

Deinde secundum modum nostrum intelligendi ipsum prime bonum per donationem primordialium causarum fortificat sui ipsius irradiationem ita, quod per prime potentiam seu virtutem dat suae illustrationi virtutem seu posse ad essendum, per prime ens esse seu entitatem, per prime vitam vitalitatem, per prime intellectum intellectualitatem, per prime animam animealitatem, per prime

9) Procl., Elem. theol. 186; Dodds 162,13–14; Boese 91,1–2
10) cf. supra, prop. 206 D–F
11) Procl., Elem. theol. 72; Dodds 68,17–18; Boese 38,1–2

100 perfectoribus *coni.*: perfectionibus *codd.* 103 prime *add.* per *codd.*

naturam coaptat sibi corpus spirituale et connnaturale. Sic ergo omnia, quae in primordialibus causis totaliorem et superiorem ordinem habentia, in ipsa anima partiali utpote effectu earum secundum eas, quae ab ipsis illustrationes supposita aliqualiter fiunt totaliorum traditionibus etc. per 71[12]); sic ergo descendens anima per primordiales causas procedit per omnes per se perfectos ordines ipsarum primordialium causarum, ubi semper, plus et plus praemissis donationibus, contrahitur ad animealitatis existentiam singularem et ad unionem sui cum sibi concreato susceptaculo naturali, ubi perfecte stat in humanae naturae totalitate et integritate, in qua sunt omnes homines, unus homo formatus ad imaginem et similitudinem prime boni. Et sic in ente supra loca et tempora collocatur, ubi etiam deos praesides imitatur.

Existens vero in ente et totalitate naturae humanae, ut dictum est, ad beneplacitum prime boni de consilio sui senatus per descensum secundum (scilicet in generationem) in hunc mundum destinatur, in quo descensu determinatur intra ipsam humanam naturam ad hanc singularem unitatem, quae unitas deiformis specificatur in intellectualitatem et hoc intellectualitas singularizatur in hanc existentiam huius animae, quae etiam ultimo particulatur per sensuale et germinale. Et sic induit corpus materiale, quo etiam utitur secundum talis modi essendi exigentiam naturalem.

Et hoc de supposito.

Circa propositum tria faciam, quia primo movebo circa ipsum descensum rerum in generationem quaestionem generalem, secundo subiungam ad ipsam quaestionem quoad partialem animam responsionem specialem, tertio ex praemissis concludam ipsius elementi et per consequens totius libri sententiam finalem.

De primo sciendum, quod Theodorus in *Clave*[13]) tractans de descensu et reascensu creaturarum et maxime humanae naturae et a Deo et in Deum, movet ex persona discipuli talem quaestionem: "Utrum rerum conditarum substantiae et essentiae et rationes ex primordialibus causis per generationem in locis temporibusque diversorum, quae accidentium capacitatem sic procedant atque descendant, ut iterum finitis temporibus, hoc est mundo sensibili terminato, in easdem causas, ex quibus perfluxerunt, redeant, an semper in suis causis ultra omnem generationem et solutionem, ultra omnia loca et tempora et – ut breviter dicam – ultra omnia accidentia incommutabiliter permaneant ita, ut ipsarum sola insita eis naturaliter et superaddita symblemata, hoc est accidentia, quae rationabiliter a sapientibus passiones solent appellari, ab eis progrediantur materialiter ad hunc mundum visibilem procreandum, ut eo iterum soluto illa solvantur et in suas substantias revertantur, ut in eis quiescant terminumque suae mutabilitatis constituant omni fluxu generationis et corruptionis per incrementa et detrimenta in locis temporibusque libera suisque substantiis unita, ut aeternaliter unum cum ipsis inseparabile et incommutabile ineffabili adunatione efficiantur. Magister: Nimis ista inquisitio D

12) Procl., Elem. theol. 71; Dodds 66,31–68,2; Boese 38,1–4
13) Honor. August., Clavis phys. 330–331; Arfé 68,227–70,268

108 supposita: supraposita *V*

est alta ac nondum in civilem animi conceptionem promulgata; sed quia abs te cautissime et ordinate proposita est, non multa et laboriosa reseratione indiget; fere namque a te ipso soluta est. Causas itaque omnium rerum in sapientia creatas et substitutas in ipsa aeternaliter et incommutabiliter non dubitas, ut opinor, permanere et ab ipsa nusquam numquam recedere vel fluxum aliquem pati ad ea, quae inferiora sunt. Non enim per se subsisterent, si aliquo modo ab ipsa recederent. Discipulus: De causarum omnium incommutabili perseverantia in ipsa divina substantia, quod est verbum Dei patris, in quo et per quod facta sunt et subsistunt, nullo modo dubitarim: Illud siquidem et divina Scriptura et sanctorum Patrum traditio incunctanter asserit. Magister: Quid tibi videtur de substantiis rerum, quae in praedictis causis et factae et substitutae sunt? Num verisimile, immo verissimum, ut credamus etiam ipsas substantias, dico, in suis causis semper et incommunitabiliter permanere et ab eis nusquam numquam nullo modo recedere? Etenim ipsae causae primordiales non deserunt sapientiam, sic ipsae substantiae non deserunt causas, sed in eis semper subsistunt, et quemadmodum causae extra substantiam Dei nesciunt esse, ita substantiae extra causas non possunt fluere". Et infra[14]): "Restat igitur de qualitatibus substantiarum ...," et infra[15]): "... quia mutabiles sunt et circa substantias suas volvuntur, hunc mundum fabricatum compactumque fuisse et in easdem resolvendum fore. Omne enim, quod temporaliter per generationem incipit esse, necesse est essendi finem habere nec sic tamen praedictas substantiarum qualitates suas substantias, circa quas volvuntur, omnino deserere et in materiam sensibilis mundi convenire arbitramur, sed mirabili et ineffabili modo soli fabricatori illius cognito et circa suas substantias, quibus inseparabiliter adhaerent, semper permanent et hunc mundum motu quodam intelligibili compositionibus suis perficiunt atque componunt. Nam supra universitatem visibilem causas et substantias omnium corporum, sive catholicorum sive particularium, quibus constituitur, non irrationabiliter credimus esse; ex incorporalibus enim et intelligibilibus corporalia et sensibilia trahunt originem".

Haec Theodorus.

Ex quibus aperte colligitur nec substantias seu essentias nec rationes rerum descendere in generationem, sed solum earum passiones seu accidentia.

Quid autem veritatis in hoc sit circa animam partialem, plenius elucescet.

Et hoc de primo.

E Verum quia omne, quod ab alio producitur, immediate manet in producente et procedit ab ipso per 30[16]), immo omne causatum et manet in sua causa et procedit ab ipsa et convertitur ad ipsam per 35[17]), anima autem partialis, ut dictum est, a causis primordialibus est producta sive causata, ergo et manet in eis et procedit ab eis et convertitur ad ipsas.

14) Honor. August., Clavis phys. 331; Arfé 70,271
15) Honor. August., Clavis phys. 331; Arfé 70,273–288
16) Procl., Elem. theol. 30; Dodds 34,12–13; Boese 20,1–2
17) Procl., Elem. theol. 35; Dodds 38,9–10; Boese 22,1–2

Manet quidem per rationes suas causales, secundum quas omnis causa essentialis praehabet, immo est sua causata eminentiori modo et veriori, quam sint ipsa causata in se ipsis secundum proprias existentias; procedit autem per segregationem sui a sua causa secundum diversum esse seu secundum submissionem. Omnis enim secundum unumquemque ordinem primordialis causa universo suo ordini proprietatem suam tradit, et quod est illa primo, hoc est hic secundum submissionem per 97[18]); quod non solum verum est de toto ordine, sed etiam de quolibet ipsius ordinis per 18[19]).

Et sic omnis anima partialis per essentiam et se tota manet in suis primordialibus causis et tota procedit seu descendit non solum in suam propriam existentiam, sed etiam in generationem. Sed non totaliter, quia non secundum omnem modum, quo est in suis primordialibus causis quoad primum descensum, nec secundum omnem modum, quo est in ente, quamvis nihil pertinens ad ipsius talis animae substantiam, prout descendit in generationem, maneat in ente quoad secundum descensum sive in esse intellectuali.

Quod, ut clarius appareat, considerandum, quod, quia anima partialis est transmutans ab intellectu ad non intellectum per 184[20]), utpote transmutationis ab intelligentia ad non intelligentiam susceptiva, necessarium est intra ipsius substantiam esse aliquid uniforme, quod sit primum agens esse intellectuale, et hoc per essentiam; et sic universaliter et incessanter, cum in omni natura, in qua sunt multa et difformia, necessarium sic habetur recursum ad unum aliquod agens primum causale. Sed in natura seu universo totalitatis animae partialis est non solum multiformitas, sed etiam difformitas et intercisio intellectualitatis; ergo necessario erit in ea aliquod primum agens esse intellectuale pertinens ad substantiam animae, quod etiam sit per essentiam suam et sic universaliter agens. Et quia est in sua substantia actio, ideo etiam incessanter est agens, et sic etiam modo causae essentialis praehabet nobiliori modo omnia sua causata, quam sint in se ipsis. Et per consequens est exemplar totius intellectualitatis sui generis et naturae in anima partiali; et licet tale principium sit sic nobile, tamen anima partialis inquantum huiusmodi nihilominus est sui modi essendi et cognoscendi, quamdiu tale principium unitur sibi ut causa – licet sub ordine principalis agentis – et essendi et cognoscendi, quoadusque uniatur sibi ut forma; quod non fit secundum habitum permanentem in hac vita, licet raptim et secundum quendam transitum fiat aliquibus.

In alio vero statu, scilicet quando est in ente, unitur tale principium ipsi animae secundum habitum permanentem.

Ex praemissis apparet, quod anima partialis descendens in generationem ab ente tota descendit ita, quod nihil substantiae eius maneat in intellectuali, cuius operatio conveniat ipsi animae per se.

18) Procl., Elem. theol. 97; Dodds 86,8–10; Boese 49,1–3
19) Procl., Elem. theol. 18; Dodds 20,3–4; Boese 12,1–2
20) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3

187 sua causa: causa sua *V* 205 causale *coni.*: tale *codd.*

Sed pro tunc solvitur secundum Platonicos unio superioris partis, quod supra dixi principium intellectualitatis, a residua portione substantiae ipsius animae, ne sit forma eius, licet ista solutio fiat plus et minus. Et per consequens ipsa anima in unione sui ad corpus materiale secundum proportionem talis solutionis obliviscitur eorum, quae prius existens in ente scivit, licet recordetur postea sedatis humoribus doctrina ventilante ad publicum semen veri[21]), quod intus erat, sed in abdito latitabat.

Et sic etiam tota anima partialis descendit in generationem, sed non tota immergitur, cum secundum aliquid sui sit a corpore separata, quod etiam ostendit sua operatio, quae competit sibi sine corpore; et sic coniungitur corpori corruptibili et est ab eo nihilominus separata.

Et hoc de secundo.

F Ex praemissis evidenter apparet tertium, scilicet quod, cum anima sit impartibilis substantia per 187[22]), si descendit, necessarium est eam totam descendere in generationem, non quod tota immergatur, sed quia nihil eius, quod pertineat ad totalitatem substantiae suae, maneat sursum in ente, nec secundum existentiam nec secundum intelligentiam.

Secundum existentiam quidem nihil eius manet sursum, cum tota descendat, ut ostensum est.

Sed nec secundum intelligentiam aliquid eius manet sursum in ente per contemplationem deorum, quia sic secundum talem partem remanentem in ente non esset intelligens transitive, sed incommutabiliter et aeterne; quod est contra ipsius proprietatem quantum ad suam totalitatem secundum operationem convenientem sibi per se et primo.

Quamvis enim aliquid eius semper stet in lumine actualis intelligentiae intelligendo se ipsum et suum principium, a quo intellectualiter et cognitive emanat, tamen ista cognitio non est totius animae nisi per accidens. Ideo nihil animae dicitur sursum remanere, inquantum est anima, sed apud generationem secundum Platonicos tota descendit.

Et sic etiam apparet intentio elementi et totius libri.

21) cf. Boeth., Philos. cons. III m.11; Moreschini 91,11–12
22) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1

251 libri *add.* Hic deficit elementum, quod inferius ponitur ad talem signum: ø *m. post. V*

COMMENTUM

Si enim aliquid maneat in intellectuali, aut intransibiliter intelliget semper aut transitive. Sed siquidem intransitive, intellectus erit et non pars animae et erit anima proxime intellectum participans. Hoc autem impossibile. Si autem transitive, ex semper intelligente et quandoque intelligente una substantia erit. Sed impossibile. Haec enim semper differunt, ut ostensum est, cum hoc, quod inconveniens est animae supremum, quod perfectum ens, non obtinere alias potentias et illas perfectas facere. Omnis ergo anima partialis tota descendit.

Probatio elementi talis est.

Omnis impartibilis substantia descendens in generationem tota descendit, et non hoc quidem ipsius manet, hoc autem descendit; sed omnis partialis anima est impartibilis substantia per 187[23]); ergo omnis etc.

Maior ostenditur per ad impossibile sic: quia, si secundum adversarium aliquid animae remaneat in intellectuali (sive sursum) ita, quod non tota descendat in generationem, illud manens sursum intelliget semper, et hoc aut intransitive aut transitive.

Si intransitive, igitur erit intellectus sive intellectualis hypostasis et non pars animae; omnis enim intellectus in aeternitate substantiam habet et potentiam et operationem per 169[24]), et sic anima partialis erit proxime participans intellectum, qui est solum intellectualis. Quod contradicit 183[25]).

Si vero illud animae, quod manet in intellectuali, intelliget semper, et hoc transitive, tunc sequuntur duo, scilicet unum impossibile et unum inconveniens.

Primum, scilicet impossibile, est, quod ex semper intelligente et quandoque intelligente constituetur una substantia; quod est impossibile propter sui impartibilitatem totalem, quia sic idem secundum idem esset semper intelligens, inquantum manet in intellectuali ex hypothesi, et quandoque intelligens, quando dicitur intelligere transitive. Sed hoc est impossibile, quia haec (scilicet semper intelligens et quandoque intelligens) semper differunt nec se compatiuntur in eodem secundum idem, ut ostensum est per 183[26]) et sequentem[27]).

[23]) Procl., Elem. theol. 187; Dodds 162,24; Boese 91,1
[24]) Procl., Elem. theol. 169; Dodds 146,24–25; Boese 82,1–2
[25]) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3
[26]) Procl., Elem. theol. 183; Dodds 160,13–15; Boese 90,1–3
[27]) Procl., Elem. theol. 184; Dodds 160,21–23; Boese 90,1–3

253 si ... (258) descendit *om. sed suppl. m. post. V*

Secundum inconveniens scilicet est, quod supremum animae partialis existens 280
sic perfectum, ut maneat in intellectuali, non possit obtinere alias vires sive potentias animae et facere illa, quae sunt residua ipsius animae, perfecta, cum ipsum sit concausa, licet sub ordine principalis agentis totius residuae portionis animae partialis; ergo omnis anima partialis descendens in generationem tota descendit.

281 sic: sit *codd.* 284 descendit *add.* Explicit liber Propositionum seu Elementationum Procli, per me Cunradum Keller de Rotwila ordinis fratrum praedicatorum completus et conscriptus anno Domini 1437, die secunda mensis Iulii *V*; Explicit Expositio fratris Berchtoldi de Mosbruch ordinis praedicatorum provinciae Theotoniae super Elementatione theologica Procli, scripta nec non completa anno Domini MCCCCXLIIII in feria sexta post festum Mathaei apostoli Domini nostri Ihesu Christi, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen *O*

INDEX AUCTORITATUM

AL BATTANI

Opus astronomicum (ed. C. A. Nallino)
51 (124,19–34) 167
52 (127,33–36) 167*
(128,2–4) 167

ALBERTUS MAGNUS

De anima (ed. C. Stroick)
1 2 7 (34,25–38) 243*
(34,47–52) 243*
2 15 (60,67–80) 64*
2 1 3 (67,46–62) 64*
(67,62–68,2) 64*
1 7 (74,30–40) 63*

De animalibus (ed. H. Stadler)
5 1 1 (409,18–20) 217*
16 1 12 (1096,16–42) 210*

De caelo et mundo (ed. P. Hoßfeld)
2 2 6 (138,47–50) 14*
(138,65–67) 13*
3 4 (149,40–41) 18*

De causis et processu universitatis
(ed. W. Fauser)
1 1 3 (8,39–40) 14*
1 6 (13,70–71) 14*
3 3 (38,62–64) 16*
3 4 (39,57–59) 189*
4 7 (52,38–40) 16*
(52,54–55) 16*
(52,72) 16*
(52,75–53,1) 15*
(53,65–67) 16*
(54,49–60) 17*
(54,66–79) 17*
(54,89–90) 15*
(55,5–8) 15*
2 1 1 (61,66–67) 14*
1 2 (62,65–67) 17*
1 11 (74,20) 163*
(74,21–22) 163*
(74,29–31) 16*
(74,32–36) 16*
(74,32–36) 163*
(74,33) 21*
(74,33) 166*
1 12 (75,1) 166*
(75,3–4) 21*
(75,3–4) 166*
(75,9–20) 21*
(75,9–20) 166*
(75,39–40) 163*
1 13 (76,18–19) 173*
(76,19–20) 172*
(76,24–25) 173*
(76,25–33) 173*
2 35 (128,28–30) 174*
2 36 (129,11–13) 174*
(129,68–69) 175*
(129,72–75) 174*
(130,14–16) 175*
2 37 (130,40–44) 175*
(130,48–52) 173*
(131,12–14) 175*
(131,30–31) 173*
(131,6–7) 174*
2 38 (131,54–56) 175*
(131,69–72) 175*
2 39 (132,72–74) 175*
(133,10–11) 175*
(133,13–16) 175*
2 40 (134,2–4) 176*
2 41 (135,4–5) 176*
5 7 (175,22–23) 14*

De homine
(ed. H. Anzulewicz – J. R. Söder)
1.1.1 9 (30,47–51) 34*

[1] Asterisco notantur auctoritates, quae ab editoribus allatae sunt.

De intellectu et intelligibili (ed. A. Borgnet)
1 1 2 (479b) 14*
5 (484a) 209*
11 (519a–b) 18*

De morte et vita (ed. A. Borgnet)
1 2 (346b) 63*
(346b–347a) 63*
(347b) 63*
(347b) 63*
(347b) 63*

De natura et origine animae (ed. B. Geyer)
1 2 (4,52–57) 209*
(4,66–72) 209*
(5,45–59) 209*
3 (6,9–14) 210*
(7,58–63) 210*
(8,11–77) 210*
4 (10,73–12,69) 210*
5 (12,74–13,1) 211*
(13,25–31) 211*
(14,15–35) 211*
6 (14,49–72) 211*
(15,8–16) 212*
8 (17,33) 163*
2 2 (20,59–64) 55*
(21,26) 163*
7 (30,35–90) 218*
(30,90–31,23) 217*
9 (33,72) 163*

De IV coaequaevis (ed. A. Borgnet)
3 16 1 (438a) 15*

Metaphysica (ed. B. Geyer)
1 3 15 (45,16–46,85) 15*
8 2 (403,9–13) 47*
2 2 (403,9–13) 236*
11 2 3 (486,56–63) 13*
2 12 (499,38–42) 14*
(499,90–91) 14*
2 13 (500,56–88) 18*
2 22 (510,39–512,37) 194*
2 23 (512,38–513,90) 194*
2 32 (524,77–81) 192*

Physica (ed. P. Hoßfeld)
7 1 2 (521,52) 18*
8 2 3 (597,50–51) 15*
(597,52–53) 15*
2 8 (606,39–53) 218*
2 9 (608,9–13) 14*

Problemata determinata (ed. J. Weisheipl)
1 (48,14–17) 16*

Summa theologiae sive de mirabili scientia Dei (I q. 1-50 ed. D. Siedler; I q. 51sqq. ed. A. Borgnet)
1 3 14 1 (51,47–51) 14*
3 18 2 (88,7–13) 14*
8 35 2 (267,68–69) 121*
(268,23–24) 121*
2 1 4 2 5 1 (97a) 14*
12 69 (16a–b) 34*

Super Dionysium De divinis nominibus (ed. P. Simon)
2 13 (52,34–36) 63*
2 13 (52,45–51) 64*

ALCHAERUS CLARAEVALLENSIS

De spiritu et anima (PL 40)
praef. (779–780) 5
1 (781) 123
6 (783) 108
8 (784) 116
13 (788) 89
24 (796) 95
(796) 116

ALFREDUS ANGLICUS

De motu cordis (ed. C. Baeumker)
prol. (2,7–9) 100, 197

ALGAZEL

Metaphysica (ed. J. T. Mückle)
1 4 3 (105,28–106,5) 15*
(112,17–23) 16
5 (120,21–23) 48

ALHAZEN

Perspectiva (ed. P. Pietquin)
7 7 55.13 (335,186–337,208) 256

ALPETRAGIUS

De motibus caelorum (ed. F. J. Carmody)
1–3 (71–80) 15*

2 23 (77–78) 15
7 18 (90–91) 15*
8 1–3 (92) 15*

APULEIUS

De Platone et eius dogmate (ed. C. Moreschini)

1 9 (98,1–8) 16*

ARISTOTELES

Analytica posteriora (ed. W. D. Ross)

1 1 (71a1–2) 228
3 (72b24) 137
2 19 (100a1) 84

Categoriae (ed. L. Minio-Paluello)

6 (5b11) 253
8 (10a11–12) 96*
(10a11–12) 250

De anima (ed. W. D. Ross)

1 1 (402a1–2) 3
(402a6–7) 4
(402a12–22) 4*
2 (404b18–27) 80
3 (407b23–24) 49
(407b24–25) 49
2 1 (412a1–413a3) 158
(412a27–28) 18, 227
(413a9) 159*
2 (413b20 sqq.) 118
(414a12–28) 35, 44
(414a25–27) 49
3 (414b31–32) 73
4 (415b12–13) 64, 98
3 2 (426a30–b7) 55*
4 (429a10 sqq.) 174
(429a13–15) 237
(429a19–21) 118
(429a20–b5) 55*
(429a22–24) 118
(429a27–28) 114*
(429b24–31) 56*
(429b31–430a1) 114*
5 (430a10–25) 55
(430a14–15) 109*, 114, 118
(430a15–19) 65, 103
(430a17–18) 179*
7 (431a6–7) 60*, 228*
(431a16–17) 10
8 (431b21–23) 197*
9 (432b21–22) 46*
tr. Michaelis Scoti (ed. F. S. Crawford) . 118
tr. vetus (ed. C. Stroick) 18, 49, 64, 98, 118, 174, 227

De animalium incessu (ed. W. Ogle)

2 (704b15) 46*
8 (708a10) 46*
11 (711a7) 47

De caelo (ed. D. J. Allan)

1 4 (271a33) 46*
9 (297a20–22) 18
12 (282b1–283a4) 144*
2 1 (284a27–29) 18
2 (284b21–22) 174*
(284b30–32) 174*
(285a29) 18
(285b16–22) 145
3 (286a8–9) 46
6 (288b2–4) 13
11 (291b13–14) 46*
12 (292a20–21) 18
tr. Gerardi (ed. I. Opelt) 13, 18, 174*

De divinatione per somnium (ed. H. J. Drossaart Lulofs)

2 (463b22–25) 21, 166

De generatione animalium (ed. H. J. Drossaart Lulofs)

2 1 (731b30–31) 3*
3 (736b8 sqq.) 210

De generatione et corruptione (ed. I. Bekker)

1 9 (326b29–34) 30*
10 (328b22–23) 35*
2 9 (335a32–33) 235
10 (336a15–16) 145
(336b13–15) 145
tr. vetus (ed. J. Judycka) 35*

De insomniis (ed. H. J. Drossaart Lulofs)

1 (458b15–20) 21, 166
(459a8–10) 21, 166

De memoria et reminiscentia (ed. I. Bekker)

1 (450b20–27) 121*

De partibus animalium (ed. I. Bekker)
2 13 (658a9) 46*

Ethica Nicomachea (ed. L. Bywater)
1 13 (1102b30–31) 173

Magna moralia (ed. I. Bekker)
1 33 (1195a1–15) 71*

Metaphysica (ed. W. Jaeger)
2 1 (993b9–11) 5
5 2 (1013a26–28) 62
(1013b14 sqq.) 113
13 (1020a7–8) 237
(1020a23–26) 253
14 (1020b5–6) 251
6 1 (1026a21–22) 3
7 4 (1029b16–27) 45*
7 (1032a20–22) 43
(1032a27–30) 30*
(1032b1–2) 62
10 (1035b14–20) 45
(1035b32) 62
(1036a8–9) 42*
17 (1041a26–28) 62
8 3 (1043b1–2) 62
4 (1044a36) 62
(1044b6–11) 47, 236*
6 (1045a23–25) 45, 48
(1045a36–b1) 45
(1045b3–7) 46*
(1045b21–23) 46*
9 8 (1050a4) 42
10 10 (1058b26–29) 46
12 2 (1069b24–26) 48*
3–4 (169b35–170b35) 248*
6–7 (1071b3–1073a13) 13
7 (1072b15–1073a6) 49
(1072b23–28) 61
(1072b28–29) 14
8 (1073a28–38) 193
(1073b17–32) 194
(1073b32–1074a14) 194
(1074a14–16) 193
(1074a15–17) 195
9 (1075a2–5) 48
tr. Guillelmi (ed. G. Vuillemin-Diem) . 193
tr. Michaelis Scoti (ed. G. Darms) 5
tr. media (ed. B. Geyer; G. Vuillemin-Diem) 14

Physica (ed. W.D. Ross)
1 7 (191a7–8) 42
9 (192a28–29) 55
2 2 (194a20–21) 62
(194b13) 248*
3 (194b26–27) 62
8 (199b1–5) 236*
3 1 (201a10–11) 150
4 (203b30) 46*, 91*, 132*
IV 4 (211b31–212a2) 47, 235*
(212a20–21) 156, 216
8 (215a24–b12) 7
11 (219a15–29) 143
6 4 (234b21–24) 7
(235a13–17) 7
9 (240a33–b7) 157
7 1 (241b34) 7
2 (243a32–34) 18
8 1 (250b14–15) 17*
(251b1–4) 7
4 (254b14–17) 7
(255a12–19) 7
(256a1) 15*
5–10 (256a4–267b26) 13
5 (257a33–34) 7
(257b8–9) 6*, 30
(258a6–8) 14*
10 (266b25 sqq.) 7
tr. Michaelis Scoti (Venetiis 1562) . 156, 216
tr. vetus (ed. P. Hoßfeld; F. Bossier – J. Brams) 15*

PS.-ARISTOTELES

De causis proprietatum elementorum (Venetiis 1572)
1 (206raB) 211

De mundo (ed. W. L. Lorimer – L. Minio-Paluello)
7 (401a12–401b30; 48,6–49,20) 14*

De regimine dominorum sive Secretum secretorum (ed. R. Steele)
3 6 (127,3–6) 14*

ASCLEPIUS

Asclepius (ed. C. Moreschini)
3 (42,4–5) 152
6 (44,26) 16*
13–18 (52,8–57,8) 156*

16 (55,4–6) 152
17 (55,13–16) 152
17 (56,3–5) 154
18 (56,16–17) 154
19 (57,11–14) 154
25 (66,21–67,2) 152
30 (73,9–10) 152

AUCTORITATES ARISTOTELIS

Auctoritates Aristotelis (ed. J. Hamesse)
1 282 (139,86) 210*

AUGUSTINUS

Confessiones (ed. L. Verheijen)
12 7 7 (220,13–16) 49
8 8 (220,1–26) 49

De civitate Dei (ed. B. Dombart – A. Kalb)
5 11 (142,10–11) 77

De Genesi ad litteram (ed. J. Zycha)
1 1 (4,15–17) 19
4 (7,18–8,21) 19
2 6 (41,6–8) 119*, 259
4 1 (94,7–10) 81
2 (94,11–12) 195*
(98,1–4) 195*
6 7 (102,23–103,2) 81
7 18 (215,17–20) 62*, 103
19–20 (215,21–217,12) 113
21 (218,1–14) 4*
24 (222,20–23) 202
(223,3–6) 202
28 (225,13–23) 202
(227,16–22) 203
10 21–22 (324,24–326,10) 203
12 16 (401,10–403,3) 113
23–24 (414,22–417,21) 113

De immortalitate animae (ed. W. Hörmann)
1–3 (101,2–105,6) 73
1–4 (101,2–106,2) 66
5–6 (106,3–107,26) 73
4 6 (107,16–21) 114
4 6 (107,23–25) 114
8 14 (116,12–13) 70
16 (117,17–118,9) 73
19–25 (121,4–128,22) 73

De libero arbitrio (ed. W. M. Green)
2 8–12 20–33 (250,1–260,20) 77*
8 24 (253,115–118) 77*
11 30 (258,29–31) 77*
11 31 (258,34–35) 77*

De musica (PL 32)
6 6 16–9 24 (1171–1177) 81, 82*
12 34 (1181) 77
13 42 (1185) 81, 82*

De Trinitate
(ed. W. J. Mountain – F. Glorie)
10 3 5 (317,11–13) 4
11 17 (329,1–3) 79
11 18 (330,29–32) 72, 117
(331,40–42) 72, 117
14 7 9 (433,19–22) 65, 103
15 7 11 (475,11–12) 65
9 15 (481,6) 250
21 40 (518,12–21) 103

AVENCEBROL

Fons vitae (ed. C. Baeumker)
1 2 (3,30–4,9) 5
2 14 (49,10–12) 156
3 16 (113,26–114,6) 190
22 (130,4–11) 120
(130,15–131,4) 120
23 (132,22–133,14) 109
24 (134,3–4) 122
(134,19–135,2) 120
25–26 (138,9–143,5) 119
32 (153,11–14) 122
40 (169,23–25) 110
(170,2–19) 110
43 (175,24 sqq.) 6
(176,4–5) 35
44–49 (176,25–190,10) 160
44 (178,9–19) 51
(179,9–10) 30
45 (179,6–10) 52
(179,11–14) 52
46 (181,14–18) 52
(181,20–23) 52
(182,3–6) 52
49 (188,6–9) 52
(188,25–189,3) 52
(189,5–8) 52

54 (199,8–17) 106
57 (205,11–13) 151
58 (208,19–22) 190
4 12 (238,7–8) 5, 80
(238,13–16) 5, 80
13 (238,23–239,2) 80
(239,5–16) 81
16 (247,17–18) 151
5 10–18 (274,8–292,17) 235
24 (301,15–302,7) 155
32 (317,25–26) 48

AVERROES

De anima (ed. F. S. Crawford)

1 1 (4,31–35) 3
2 (4,14–16) 4
(4,18–5,37) 4
(5,33–37) 4
5 (8,19–9,26) 5*
2 9 (144,11–145,51) 175*
51 (208,14–16) 113
3 4 (385,65–69) 44
(386,89–90) 43
5 (389,57–62) 43
(404,503–504) 114*
(409,657–410,663) 48
(410,663–667) 48
16 (435,7–436,40) 48*
36 (500,592–593) 9

De caelo (ed. F. J. Carmody – R. Arnzen)

1 5 (13,39–42) 15*
20 (38,71–72) 48
63 (120,10–121,17) 177*
2 3 (274,21–25) 15*
15 (292,12–15) 145*
61 (391,37–42) 15*
71 (407,9–408,14) 192

De generatione et corruptione
(ed. F. H. Fobes – S. Kurland)

2 55 (146,6–8) 145

De substantia orbis (Venetiis 1562)

1 (3vM–4rA) 236
(5rB) 126
(5rC–5vG) 51, 83, 87
(5rC–D) 125
2 (6rA–7rA) 19
(6vG–H) 17
(6vH) 47*, 236*
(6vK) 230
(7rA) 19
(7vG) 18, 19
3 (9rE–F) 192*
(10rA–B) 47*, 236*
4 (10vG) 13
(10vH) 192*
5 (10vL) 17

Metaphysica (Venetiis 1562; II ed. G. Darms; V ed. R. Ponzalli; IX ed. B. Bürke)

2 1 (54,50) 47
5 18 (159,62–160,64) 253
8 4 (211rF) 48*
12 (219vM–220rA) 47
12 (220rM) 47*, 236*
16 (224vK–L) 46
16 (225rE) 46
9 7 (38,42–43) 30
11 18 (305vI) 120
51 (336vI) 43
12 36 (318vH) 18*
41 (324vG) 192*

Physica (Venetiis 1562)

1 79 (45rC) 47, 235
4 38 (138vI) 47, 235*
43 (142vH–I) 70
6 85 (300rF–vG) 157
7 27 (365rF) 7, 126

AVICENNA

Metaphysica (ed. S. Van Riet)

9 1 (446,48) 18
2 (447,52–448,79) 15*
(462,43–48) 16
(463,68–71) 14*
3 (473,64–79) 15*
10 1 (522,9–11) 16

BEDA

De natura rerum (ed. C. W. Jones)

3 (192,7–9) 152*

BERNARDUS CLARAEVALLENSIS

De consideratione
(ed. J. Leclercq – H. M. Rochais)

2 25 (414,6–7) 181

5 2 4 (469,16–17) 181

BIBLIA SACRA

Genesis
1 26 . . . . . 129*
2 2 . . . . . 202*
7 128

Exodus
20 11 . . . . . 202*
31 17 . . . . . 202*

Sapientia
8 1 . . . . . 77*

Ecclesiasticus
7 26 77

Evangelium secundum Matthaeum
22 30 252

Evangelium secundum Marcum
12 25 252

Evangelium secundum Lucam
20 35 252
36 . . . . . 185*
56 25

Evangelium secundum Ioannem
5 17 202

Ad Romanos
5 12 . . . . . 128*
8 19 . . . . . 255*
11 36 . . . . . 259*

Ad Corinthios I
2 9 249
13 12 . . . . . 188*
15 44 . . . . . 128, 232*
53 . . . . . 128*

Ad Corinthios II
5 1 249

Ad Philippenses
2 7 . . . . . 130*

Ad Thessalonicenses I
4 17 25

BOETHIUS

De arithmetica
(ed. H. Oosthout – J. Schilling)
